




THEOLOGIA MORALIS,

JUXTA SACRAM SCRIPTURAM, Canones, & Sanctos Patres.

AUTHORE

FRANCISCO GENETTO,

Avenionensi, Episcopo Vasionensi.

TOMUS SEPTIMUS.

Continens Tractatus de quinto & reliquis Decalogi præceptis; Epistolam Pastoralem Clementis Papæ XI. jussu, ad Episcopos scriptam; Resolutiones in materia Usuræ; & Edictum Romanum pro observatione Quadragesimæ.

Editio secunda Latina, auctior, variisque præsertim Conciliorum Provincialium, Synodorumque Italiæ Decretis illustrior.



VENETIIS,
Apud PAULUM BALLEONIUM.

M. DCCV.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.



INDEX
TRACTATUUM, CAPITUM, & Quæstionum
TOMI SEPTIMI.

TRACTATUS SEXTUS.
De Quinto Decalogi Præcepto.

CAPUT PRIMUM.
Quomodo peccatur in quintum Decalogi præceptum.

Caput II.

De variis peccatis, quæ committi possunt contra quintum Decalogi Præceptum.

CAPUT III.

De Pœnis & Censuris, quæ incurruntur propter homicidium & mutilationem.

TRACTATUS SEPTIMUS.

De sexto Decalogi Præcepto.

CAPUT PRIMUM.
De Variis speciebus Luxuriæ.

CAPUT II.
De cæteris quæ in sexto, aut etiam in nono Præcepto Decalogi prohibentur.

CAPUT III.
De Gula.

TRACTATUS OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

De Definitione & divisione furti.

CAPUT II.

De gravitate criminis furti.

CAPUT III.

De excusationibus, quæ à nonnullis adduci possunt, ut surripere valeant rem alienam, citra violationem hujus præcepti; quarum præcipua est necessitas.

Caput IV.

De restitutione, & an necessaria sit ad salutem?

Caput V.

Quænam personæ ad restitutionem tenentur.

CAPUT IV.

De restitutione, & an necessaria sit ad salutem?

CAPUT V.

Quænam personæ ad restitutionem tenentur.

Caput VI.

De iis qui ad restitutionem obligantur cooperando furto, vel damno proximo illato.

CAPUT VII.

De Ordine servando in restitutione, & de Loco in quo fieri debet.

TRACTATUS NONUS.

De octavo Decalogi Præcepto.

CAPUT PRIMUM.

De rebus quæ hoc Præcepto prohibentur.

CAPUT II.

De Mendacio.

Q. 3.

CAPUT IV.

De Detractione, & Calumnia.

CAPUT V.

De Iudicio Temerario.



TRACTATUS SEXTUS.

De quinto Decalogi Præcepto.



Ominus noster Jesus-Christus explicans præcepta Decalogi, ab isto incepit; quamvis in ordine sit tanquintum, cùm ait: tùm *Audistis, quia dictum est antiquis, Non occides, qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio: qui autem dixerit fratri suo, raca, reus erit consilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quapropter exponendum priùs erit, quomodo peccetur in hoc præceptum. Secundò, quandonam quis incurrat pœnas, & Censuras Ecclesiasticas in ejus violatione. Matt. 5.21.

Caput Primum.

Quomodo peccatur in quintum Decalogi præceptum.

Quæst. 1. QUænam prohibentur in hoc præcepto?

Resp.

Resp. Prohibetur omne damnum injustè illatum proximo in ejus corpore, quocumque modo; secundò ne illum malè accipiamus verbis injuriosis; denique ne illi malum cupiamus ex motivo vindictæ, vel invidiæ.

Quæst. 2. In hoc præcepto prohibetur nè Magistratibus, quominùs morte damnent malefactores authoritate publicâ, aut eorum ministris, quominùs illis mortem inferant?

Resp. Quamvis hominum vita sit in manibus Creatoris, qui solus habet supremum jus illam auferendi; hoc tamen jus personis publicis participavit, & ubi permisit populis eligere sibi dominos supremos, ac magistratus ad rempublicam administrandam, illi malefactores suppliciis afficere possunt, ac morti tradere, imò etiam tenentur id præstare, quoniam iis præsertim dixit Deus: *Maleficos non patieris vivere*; hinc etiam ait Apostolus: *Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum agit.*

Exod.c.22. 18.

Ad Rom. c.13. 4.

Unde supremi Principes, ac etiam Respublicæ, hanc à Deo potestatem acceperunt, ut per se, aut per alios à se deputatos, quibus suam communicant potestatem, sceleratos homines perimant secundùm leges justè stabilitas ad humanam societatem conservandam. Et ut ait Sanctus Augustinus: *Nam & miles hostem, & judex, vel minister ejus nocentem, non mihi videntur peccare, cùm hominem occidunt.* Sicut enim dicitur in Canone: *Non autem ipse occidit, qui ministerium debet jubenti, sicut adminiculum gladium est utenti. Et ideo nequaquam contra hoc præceptum fecerunt, quo dictum est, Non occides,*

S.Aug. de lib. arbitr. lib.1. c.4.

Canon. Si non licet, 23. q.5.

des, qui Deo authore bella gesserunt, aut personam gerentes publicæ potestatis, secundùm ejus leges, hoc est justissimæ rationis imperium, sceleratos morte punierunt. Et Abraham non solùm non est culpatus crudelitatis crimine, verùm etiam laudatus est nomine pietatis, quòd voluit filium nequaquam scelerate, sed obedienter occidere.

Quæst. 3. Licet-ne personis privatis occidere absque authoritate publicâ malefactores, qui mortem meruerunt?

Resp. Cùm necesse sit, ut duo concurrant ad occidendum hominem citra hujus præcepti violationem, scilicet sufficiens probatio secundùm justitiæ leges, aliquem hæc scelera perpetrasse, propter quæ morte mulctari debet, & authoritas publica, per quam is quiſeum condemnat, habeat legitimam damnandi potestatem; ac minister executioni sententiam mandare possit: sequitur, quòd qui occidit reum absque authoritate publicâ, committit verum homicidium: prohibitum in hoc quinto præcepto Decalogi. Hoc siquidem sensu Sanctus Augustinus relatus in Canone asserit: *Qui verò sine aliqua publica administratione maleficum, furem, sacrilegum, & adulterum, perjurium, vel quemlibet criminosum interfecerit, aut truncaverit, vel membris debilitaverit, velut homicida judicabitur: & tantò acriùs, quantò non sibi à Deo concessam potestatem, abusivè usurpare non timuit.* Can. Quicumque, 23. q. 8.

Quæst. 4. Licet-ne injustum vitæ nostræ aggressorem interficere?

Resp. Licèt secundùm utrumque jus, tam civile, quàm Canonicum, is, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ, seu cum moderatâ, & justa sui defensione, non potens alio modo propriam vitam con-

conservare, alium interficit, nullam mereatur pœnam, aut supplicium: nihilominus difficile prorsus est animo comprehendere, quâ ratione coram DEO esse possit innocens; quoniam quidem sancti Patres, & Ecclesiæ Doctores, quorum veneranda semper nobis debet esse authoritas, talem sui defensionem, cum alterius interfectione, sine peccato fieri posse negant, & asserunt, Christianum hominem pati debere potiùs mortem, quàm injustum aggressorem interficere, quemadmodum docuit CHRISTUS Dominus in

Matt.5.39. Euangelio: *Ego autem dico vobis non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Idem docet Sanctus Paulus ad Romanos scribens, cùm ait: *Non vosmetipsos defendentes, charissimi, sed date locum iræ.* (Ad Rom. c.12. 19.) Videtur etiam Nicolaus Papa relatus in Canone eandem doctrinam confirmare, dum ait: *De his Clericis, pro quibus consuluisti, scilicet qui se defendendo paganum occiderunt, si postea per pænitentiam emendati, possint ad gradum redire, aut ad altiorem conscendere: scito, nos nullam occasionem dare, nec ullam tribuere eis licentiam quemlibet hominem quolibet modo occidendi. Verùm si contigerit, ut Clericus, Sacerdotalis Ordinis saltem, paganum occiderit, multùm sibi consulit, si ab Officio Sacerdotali recesserit, satiusque est illi in hac vita Domino sub inferiori habitu irreprehensibiliter famulari, quàm alta indebitè appetendo, damnabiliter in profundum demergi*. (Nico Pap. Can. de his Clericis, dist. 50.) Hinc etiam ait Sanctus Ambrosius: *Mihi non videtur, quòd vir Christianus, & justus, & sapiens, quærere sibi vitam aliena morte debeat: utpotè qui etiamsi in latronem armatum incidas, ferientem referire non possit; ne dum salu-* (S. Amb. in Officiis, lib.3.c.4.)

ſalutem defendit, pietatem contaminent. De quo in Euangelii libris aperta & evidens ſententia eſt: Reconde gladium tuum; omnis enim qui gladio percuſſerit, gladio ferietur. Quis latro deteſtabilior, quàm perſecutor, qui venerat, ut Chriſtum occideret? Sed noluit ſe Chriſtus perſecutorum defendi vulnere, qui voluit ſuo vulnere ſanare omnes. Et ſanctus Auguſtinus, pleniùs hanc quæſtionem tractans, ita concludit, ac definit: *Legem quidem ſatis video eſſe munitam contra hujuſcemodi accuſationem, quæ in eo populo quem regit, minoribus malefactis, ne majora committerentur, dedit licentiam. Multò enim eſt mitius, eum, qui alienæ vitæ inſidiatur, quàm eum qui ſuam tuetur, occidi. Sed illi homines, lege inculpata, quomodo inculpati queant eſſe, non video: non enim lex cogit occidere, ſed relinquit in poteſtate: liberum eis itaque eſt neminem necare .... quapropter legem quidem non reprehendo, ſed quo pacto defendam qui interficiunt, non invenio.*

S.Aug.lib. 1. de liber. arbitrio, c. 5.

Quoniam quidem difficillimum eſt, ut is, cujus vita injuſtè impetitur, ſe contineat intra limites juſtæ moderationis, quæ neceſſaria eſt ad planè perfectèque oſtendendum defenſionem, quâ uſus eſt, cùm inimicùm & aggreſſorem occidit, eſſe juſtam, ut ſuam vitam tueretur. Illi fortaſſe Patres, & Doctores conſideraverunt id quod ferè ſemper accidit, potiùs quàm quod rariſſimè ſolet evenire, cùm hanc vitæ ſuæ defenſionem abſolutè damnarunt, quâ quis aggreſſorem interficit; ac ſignificare voluiſſe videntur, eos qui ſe defendendo alium interfecerunt, ſibi ſemper reos videri debere, ac tales in Eccleſia judicari; licèt abſolutè loquendo, & in aliquo caſu admodùm raro innocentes eſſe poſſint.

Quare sanctus Ivo Carnotensis Episcopus, qui inter præcipua Ecclesiæ Gallicanæ lumina computatus est, videns quemdam suæ Diœcesis Presbyterum à latrone impetitum, qui ei vitam cum hastâ, quâ erat armatus, volebat eripere, quique ejus vestes perforavit, ac ictum repetere, seu geminare volebat, lapidem accepisse, eumque in latronem vibrasse, & in capite graviter vulnerasse, quo vulnere postmodùm creditur mortuus. Sanctus inquam hic Episcopus hunc Presbyterum per annos septem ab omnibus sui ministerii functionibus suspendit; post illud tempus scire voluit, quid cum eo esset agendum; statuit illum ad sanctum Hildebertum mittere Archiepiscopum Turonensem, ut ab eo sciret, quid hac de re sentiret, quidve illi esset faciendum, ut prudentiùs, ac securiùs ageret, hujus Archiepiscopi sententiam sequens. Sapientiâ & eruditione clarus in tota Ecclesia sanctus Hildebertus, Carnotensi Episcopo scripsit his verbis: *Sicut parvitatem meam vestra docuit pagina, cùm latro quidam portitorem præsentium Sacerdotem invaderet, & pannis ejus lancea perforatis, eum vellet occidere, Sacerdos latronem lapide percussit, & ictus ipsius percussione & occasione latro mortuus esse putatur; pro quo scilicet delicto, jam per septennium ab Officio Dominicæ mensæ providentia vestra eumdem suspendit Sacerdotem. Sanè super hoc dignati estis meum quærere consilium, nisi fallor, & id vestram rescribi ad inquisitionem, si Sacerdoti ad sacrum liceat redire Officium, quod ei medicinaliter abstulistis. Consideranti igitur mihi, quanta in Sacerdote postuletur innocentia, & maximè quod immunis esse debeat à sanguine: non videtur Sacerdotem reum sanguinis oportere deinceps ministrare: quamvis*

S. Hildebertus Carnotensi Episc. Epist. 60.

vis tuendæ ſalutis neceſſitate homicidium occurrerit; quod enim vir Chriſtianus quærere ſibi vitam aliena morte non debeat, Ambroſius his oſtendit verbis: Quærit aliquis, ſi ſapiens in naufragio poſitus, inſipienti naufrago tabulam extorquere poſſit; utrum debeat? Mihi quidem etſi præſtabilius communi videatur uſui, ſapientem de naufragio, quàm inſipientem evadere; non tamen videtur, quòd vir verè Chriſtianus, ſapiens, & juſtus quærere ſibi vitam aliena morte debeat, utpote qui, & ſi in latronem armatum inciderit, ferientem referire non poſſit, ne dum ſalutem defenderit, pietatem contaminet. De reformatione igitur Sacerdotis mihi rem intuenti, nihil aliud quàm quod ſupra dictum eſt, videtur, quod etiamſi liceat, tamen non expedit; quoniam & exemplo offendit, & ulciſcendi ſecuritatem adducit. Si autem ſimile aliquid in commiſſa mihi Parochia contigiſſet, reum ad Apoſtolicam miſiſſem audientiam, quatenùs ex conſilio illius, & ego inſtruerer, & peccator de reformatione Sententiam ſuſciperet certiorem.

Non abs re fortaſſe foret, horum Sanctorum agendi rationem conſiderare, quantamque curam & diligentiam in caſibus conſcientiæ definiendis obſervabant, contemplari: verùm id prudenti lectori judicio, ne longior ſim, committo; ſolùm obſervare mihi liceat, eâdem fortaſſis intentione, unum ex Canonibus quos collegit Iſaac Epiſcopus Lingonenſis, ex Decretis duorum Conciliorum, quæ authoritate Zachariæ Papæ confirmata fuerunt, & omnibus Eccleſiis obſervanda, tradita, ita præcipere: *Si quis quietè gradiens per viam, aut ſi etiam in domo ſua fuerit, aut in platea, aut in villa, ſubitò ab alio ſit ſuperventus, aut litis commotione volens ſe*

Iſaac Epiſcop. Lingonenſis, Can. 13. tit. 2. homicidiis.

defendere, non habens contra illum antè odium, interfecerit hominem: Septem annis secundùm Canonicam Institutionem pœniteat: tres verò à Communione privetur: quatuor autem in Communione Orationum, & Oblationum susceptus in Sacerdotis pendeat arbitrio, utrum dignus sit Corpus Christi accipere, aut usque ad plenitudinem Pœnitentiæ ab eo separari: abstinentia autem ciborum in providentia Sacerdotis erit, secundùm possibilitatem Pœnitentis, & devotionem, & affectum.

Concilia quæ hunc Canonem condiderunt, ac summus Pontifex, qui eum authoritate sua confirmavit, supposuisse videbantur, aut hos homines in sua defensione excessisse, quoties occidunt; aut intentionem habuisse occidendi, ut plerumque accidere solet. Opinio verò sancti

S.Tho.2.2. q.64. art.7. in corp. Thomæ æquissima videtur, dum respondens authoritati Divi Augustini, ait: *Actus ergo hujusmodi, ex hoc quod intenditur conservatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti; cùm hoc sit cuilibet naturale, quòd se conservet in esse quantùm potest; potest tamen aliquis actus ex bona intentione proveniens, illicitus reddi, si non sit proportionatus fini: & ideò si aliquis ad defendendam propriam vitam utatur majori violentia quàm oporteat, erit illicitum; si verò moderatè violentiam repellat, erit licita defensio. Nam secundùm jura, vim vi repellere licet, cum moderamine inculpatæ tutelæ. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatæ tutelæ prætermittat ad evitandam occasionem alterius; quia plus tenetur homo vitæ suæ providere, quàm vitæ alienæ: sed quia occidere hominem non licet nisi publica authoritate propter bonum commune, ut ex supra dictis patet, illicitum est*

quòd

quòd homo intendat occidere hominem, ut se ipsum defendat, nisi ei qui habet publicam authoritatem.

Sanctus autem Thomas hanc sententiam amplexus est præsertim propter legem, quæ in Exodo habetur, quæque Canoni est inserta, cum explicatione Divi Augustini his verbis: *Si perfodiens inventus fuerit fur, & percussus mortuus fuerit, non est illi homicidium imputandum. Si autem oriatur sol super eum, reus erit. Intelligitur ergo non pertinere ad eum homicidium, si fur nocturnus occidatur: si autem diurnus fuerit, ad homicidium pertinere. Hoc est enim quod ait:* Si oriatur sol super eum, &c. *quia poterat dignoscere, quod ad furandum, non ad occidendum venisset, & ideò non debet occidi. Hoc etiam in antiquis legibus sæcularibus, quibus ista est antiquior, invenitur, impunè scilicet occidi nocturnum furem quoquo modo: diurnum autem si se telo defenderit; jam enim plus est quàm fur.* Can. Si perfodiés. de homicidio.

Videtur enim hæc Exodi lex inserta Canoni cum explicatione sancti Augustini, quanquam ad præsumptionem fori exterioris tantùm pertineat, fundamentum aliquod præbere, loca ejusdem Doctoris superiùs relata, aliaque per ejus opera sparsa interpretandi eo modo, quo eos exponit sanctus Thomas, asserendo, sanctum Augustinum eos tantùm damnare, qui intentionem habent occidendi, ut se à morte liberent. Quidquid sit, certum est, secundùm sanctum Thomam, duo requiri, ut aliquis possit occidere eum sine peccato, qui injustè eum invadit, vitamque suam eripere tentat. Primum, ut nihil omninò fiat, nisi quod prorsus est necessarium ad vitam defendendam, quemadmodum in

sequenti quæstione dicemus. Secundum est, ut nulla sit occidendi prorsus intentio, ut se quis à morte liberet; ut enim ait eruditissimus Alphonsus Tostatus, explicans authoritates sanctorum Patrum suprà relatas, juxta mentem sancti Thomæ: *Quando non intenditur bonum publicum, sed privatum, non licet velle occidere, quia malum est; sed licet velle defendere se, quia hoc bonum est: ideo si iste voluerit occidere hostem, quia putat non posse se defendere, jam malum vult, & respectu mali finis nullus modus perveniendi est bonus. Sicut si quis intendit fornicari, quidquid præmittat ad illud, non potest esse bonum: quia ea quæ sunt ad finem, non habent bonitatem, nec malitiam, nisi secundùm habitudinem ad finem. Item potest multùm prodesse illa intentio: quia dato quòd aliquis constitutus in necessitate, putet non esse possibile evadere, nisi occidat hostem: est tamen possibile hoc, quia fortè hostis cadet, vel timere incipiet, aut Deus impediet eum: & sic poterit evadere non occidendo hostem. Si tamen intenderit occidere, ut se defenderet, etiamsi posteà ista accidant, & non occiso hoste evadat, jam manet ei peccatum, quòd occidere aliquando intendit. Melius ergo fuisset nunquam intendisse occidere & sic non esset aliquid, de quo posset iste culpari secundùm conscientiam. Item quando dicitur, quod ista non differunt, scilicet, quod iste velit se defendere sufficienter, vel quòd velit occidere in casu in quo non possit se defendere, nisi occidendo adversarium: dicendùm quòd non est idem, eo quòd casus iste non est simpliciter concedendus; quia licèt ille putet quòd non est possibile sibi, defendere se, nisi occidendo hostem; tamen possibile est, quia potest hostis sponte cessare, aut fugere, aut cadere, vel à Deo impediri, & sic præsuppo-*

Tostatus Episc. Abulensis, parte 2. comment. in Euang. Matthæi c. 5. q. 105.

poni-

ponitur falsum in casu. Aliter potest dici, quòd etiam si verum esset, quòd iste non possit evadere nisi occidat hostem, non est idem velle se defendere, vel occidere hostem; quia hic est fallacia accidentis, ut si dicatur: cognoscis Corriscum, & Corriscus est veniens; ergò cognoscis venientem: nam accidit Corrisco venire. Ita nunc si dicatur: tu vis te defendere ab isto homine, & non potes nisi occidas illum: ergo vis occidere illum: non tenet; quia non posse me defendere sine occisione illius, accidens est ad me defendere, cùm sit possibile simpliciter loquendo, quòd me defendam ab isto, non occidendo eum. Et sic ille qui se defendit, non debet habere intentionem occidendi adversarium in quantacumque necessitate.

Quæst. 5. Quænam conditiones sunt necessariæ, ut quis se contineat in moderamine inculpatæ tutelæ?

Resp. Cum eodem Tostato, ibidem, requiritur: *Primò, quòd ille qui occidit alium, sit propriè defendens se: nam si aggrediatur & occidat alium, etiamsi sit mutuò pugna, non est dubium, quin teneatur: quia etiam secundùm legem humanam teneretur, etiamsi aggressus esset, & alius cœpit pugnare, & aggressor vellet jam cessare, & alius non vult, sed pugnat ut occidat aggressorem, ulcisci cupiens, aut nocere: & tunc aggressor, ut non occidatur, defendit se; etiamsi cum moderamine inculpatæ tutelæ se defendat, & non potens aliter se defendere, adversarium occidat, adhuc tenebitur tanquàm reus homicidii, & secundùm leges humanas; quoniam aggressor fuit, & dedit causam immediatam ad homicidium voluntarium, quod posteà ipse patravit, licèt quando patravit, jam non intenderet occidere. In judicio etiam Dei reus erit homicidii, sed non ita gravi-* Tostatus, ibid.

ter, sicut si semper habuisset voluntatem occidendi, ut habuit à principio, quando fuit aggressor.

Secunda conditio est, quòd homicidium committatur tunc, quando actualiter se defendit, non autem postea. Vtpotè si aggressor videns se deficere viribus, fugiat, & insequatur eum adversarius, & occidat; non dicitur eum occidisse se defendendo; quia repellere vim, ad hoc quod licitum sit, debet fieri statim, & sine intervallo, ut patet ex cap. Si verò *de Sententia excommunicationis, & cap.* Significasti *de homicidio.*

Tertia conditio, quòd fiat defensio moderatè, scilicet, quòd tantùm homo se defendat, quantùm necessarium sibi esse putat ad evasionem de periculo. Nam si invasor sit debilis, vel malè armatus, & invasus credat se superiorem viribus vel armis, & posset eum faciliter occidere: si occidat, potens se defendere non occidendo eum, reus est etiam secundùm humanam legem, quia jura humana dicunt, defensionem fieri debere cum moderamine inculpatæ tutelæ, cap. Significasti. *Extra de homicidio, & cap.* Olim *de restitutione spoliatorum. Dicitur autem tutela inculpata, quando in defendendo non excedit modum defensionis, ut in casu proposito; vel si aggressor fortè lassus, vel nolens percutere, jam cessaret, & defendens se percutiat eum: jam non est inculpata tutela, sed ad injuriam pertinet. Vocatur autem inculpata tutela, quando quis solùm illud facit, quo omisso non posset repellere violentiam, ut dicit Glossa in dicto cap.* Significasti. *Qui autem modum excedit in se defendendo, non solùm in foro conscientiæ, sed etiam secundùm leges humanas tenetur: cùm hoc ad injuriam pertineat, ut dicitur in eadem Glossa. Et justum est teneri hunc de homicidio; quia licèt velle vitam conservare,*

sit. f

sit finis honestus, iste tamen actus, qui est defendere se immoderatè, non est proportionatus illi fini; ideo error est. Nam in moralibus non solùm est peccatum per hoc quod aliquis constituit sibi malum finem in actionibus, sed etiam si constituto bono fine, utatur mediis inconvenientibus ad pertingendum ad illum finem.

Quarta conditio est, quòd se defendens, nullo modo intendat occidere invasorem; nam etiamsi non sit sibi possibile evadere, nisi occidat invasorem, nunquam tamen debet habere intentionem occidendi, sed solùm se defendendi. Nam etiam data necessitate inevitabili, ita ut quis sciat non esse possibile evadere nisi occidat invasorem, hoc intendere numquam debet, sed solum intendere se defendere quomodocumque sit sibi necessarium se defendere: & hoc modo non erit aliqua culpa. Si autem occidere intendat, etiamsi non possit evadere nisi occidendo, homicidii reus est saltem in foro conscientiæ. Sed dicetur, Quid differt inter hæc? Nam cùm quis scit se non posse evadere, nisi alterum occidat, & vult se defendere, necesse est, quod velit alterum occidere. Quid ergo differt, quòd velit se defendere, & occidat; vel quod velit occidere stante eodem casu, & occidat? Dicendum quod multùm differt: nam in moralibus cùm actiones principientur ab intellectu & voluntate, & quantum ad hæc principia dicantur humanæ operationes, accipient speciem ab eo, quod intenditur, & non ab eo quod est omnino præter intentionem. Si ergo aliquis in actu suo solùm habeat intentionem se defendendi, licèt ibi accidat homicidium adhibita moderata & inculpata tutela, non reputabitur homicidium moraliter, cùm sit omnino præter intentionem, & non potest actus accipere speciem ab eo, quod est

omninò per accidens. Si autem intendit occidere, ut se defendat, actus iste accipiet speciem ab eo, quod intenditur: & sic erit propriè homicidium, licèt non sit ita grave, sicut alia homicidia. Item si quis intendit solùm defendere se, etiamsi inde sequatur homicidium, actus istius nunquam potest esse malus; quia si esset malus, hoc accideret, quia vel malum intendebat, vel quia per inconvenientia media ad illud pervenire volebat: non stat primum, cùm detur, quòd iste solùm intendat se defendere, quod non solùm est honestum, sed etiam necessarium & naturale. Non etiam datur secundum, cùm præsupponatur, quod iste se defendat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Ergo non est possibile istum actum esse malum, cùm nihil sit, per quod possit esse malus. Si tamen ponatur, quod iste intenderet occidere, jam malum intendebat; quia occidere hominem, secundùm se malum est, nisi cùm occiditur in utilitatem reipublicæ, & per eum qui habet administrationem publicam.

Cap Significasti, de homicidio.

Id etiam patet ex Cap. *Significasti*, in quo sic habetur: *Si Sacerdos iste prius ab illo percussus sacrilego, mox eum cum ligone in capite percussit: quamvis vim vi repellere omnes leges & omnia jura permittant; quia tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam: non videtur idem Sacerdos à pœna homicidii penitùs excusari, tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit, quod cùm grave sit, non solet levem plagam inferre: tum ratione partis in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis lethaliter solet lædi.*

Quæst. 6. Potest-ne esse licitum occidere hominem, ad defendendum bona sua?

Resp. Præceptum charitatis, quo tenemur præferre bona proximi, quæ sunt superio-

perioris ordinis, nostris propriis bonis ordinis inferioris, non patitur, ut occidatur homo ad defendendum bona temporalia; & quamvis videatur, quòd secundùm leges humanas, quis puniendus non sit propter hujusmodi homicidium, cum debitis circumstantiis in foro exteriori requisitis, quæ eum aliquo modo excusant; tamen semper reus esset in foro conscientiæ. Ut enim ait sanctus Augustinus: *Quomodo apud divinam Providentiam à peccato liberi sunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti sunt?* Videmus etiam, Alexandrum Papam III. relatum in Canone, duorum religiosorum facinus damnasse, quorum alter interfecerat duos latrones nocturnos, ut se ab eorum insultibus liberaret, qui volebant ipsi vestes eripere, ac censuit Pontifex eos peccasse; sic enim scribit Abbati: *Verùm quoniam expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vilibus rebus & transitoriis, tam acriter in alios exardescere: abstineat humiliter ab altaris ministerio, & uterque peccatum suum ad arbitrium tuum studeat expiare.* Et Glossa ibidem ait: *Pro amissione rerum temporalium nullus debet homicidium incurerre.*

S. Aug. lib. 1. de liber. arbitrio c. 5.

Cap. Suscepimus, de homicidio.

In eundem sensum ait Innocentius Papa IV. in cap. *Si verò*, de Sententia excommunicationis: *Si hic timore, ne occidatur, alium occidat, non incidit in Canonem, licèt sit irregularis; sed si pro rebus occideret, secùs; quia tunc excederet modum. Cap.* suscepimus *de homicidio*. Sequitur igitur, eum mortaliter peccasse; quoniam nemo excommunicationis Sententiam incurrit sine peccato mortali.

Abbas Panor. in c. interfecisti, de homicidio voluntario notat. 4. Eruditissimus Abbas Panormitanus, explicans Canonem extractum ex Pœnitentiali Romano, qui videtur aliquo modo excusare eum qui latronem occidit ad vitam tuendam & bona, advertit: *Singulariter textus ibi*, te tuaque liberando: *Quod tunc quis excusatur ab occisione furis, etiam nocturni, quando fecit, ut liberaret se & sua; ergo pro rebus tantùm liberandis non licet occidere furem etiam nocturnum: nam ista ponuntur hìc copulativè; non sufficit ergo altera pars.*

Innoc. XI. in Decreto dato die 2. Martii 1679. cõtra 65. Propositiones. Quare Innocentius Papa XI. novam eorum opinionem rejecit, qui asserebant, posse aliquem alterum interficere, propter conservationem bonorum suorum, si alio modo ea conservare minimè possit; damnando tres sequentes propositiones.

31. Propositio damnata. *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.*

32. Propositio. *Non solùm licitum est defendere defensione occisiva quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.*

33. Propositio. *Licitum est tam hæredi, quàm legatario contra injustè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere: sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injustè impedientem.*

Quæst. 7. Est-ne licitum occidere ad tuendum suum honorem injustè petitum?

Resp. Præcepta patientiæ nobis in Euangelio tradita satis demonstrant iis, qui cæcutire nolunt, semper esse grave peccatum eripere vitam proximo, ne nobis eripiat honorem, qui consistit in merâ æstimatione hominum, quorum judicia, ut plurimùm, sunt parùm conformia justo Dei judicio. Quid homini Christiano indi-

dignius, quàm manus suas fraterno sanguine immergere, ut æstimationem hominum conservet, laudesque captet humanas, quas Scriptura sacra multis in locis sperni omninò, & contemni docet? Hac de causâ inter tot sanctos Patres & Theologos, qui floruerunt in Ecclesia per quindecim sęcula, nullus occurrit, qui disputaverit, utrum posset esse licitum occidere hominem ad tuendum proprium honorem. Hoc itaque illis visum fuit citra controversiam; si enim credidissent, quòd aliquid potuisset in tali casu excusare homicidium coram Deo, id profectò suis in scriptis nobis reliquissent. Hoc unicum universale silentium in re tanti momenti clarè ostendit, ab illis judicatum fuisse, illud in disceptationem venire non posse.

Et sanè quomodo limitari poterit Decalogi præceptum absque ulla authoritate insigni in Ecclesia Dei? Quomodo permittere possunt, ut aliquo in casu occidantur homines, sine ulla decisione alicujus summi Pontificis, Conciliorum, Canonum aut sanctorum Patrum, qui in hac fuerint sententia? Quare videtur satis superque responsum illis, qui quærunt, utrum liceat occidere ad tuendum suum honorem, proponendo prohibitionem Dei, *Non occides*.

Verùm licèt sanctis Patribus non venerit in mentem, ut hoc in quæstionem revocarent, ac proinde videatur, non posse hanc quæstionem secundùm ipsorum authoritatem expressam definiri; tamen cùm ex sancto Augustino nequidem liceat occidere ad conservandum honorem propriæ pudicitiæ, dubitari non potest, quin damnet & homicidia perpetrata ad tuendum honorem; nihil enim ad eripiendum honorem

S. August. lib. I. de libero arbitrio c. 5.

magis

magis conducit, quàm hujusmodi violentia. Hæc sunt verba sancti Doctoris: *De pudicitia verò qui dubitaverit, quin ea sit in ipso animo constituta, quandoquidem virtus est? unde à violento stupratore eripi nec ipsa potest. Quapropter legem quidem non reprehendo, quæ tales permittit interfici, sed quo pacto istos defendam qui interficiunt, non invenio.*

Quidquid objici potest contra istam veritatem, in hoc vertitur, quòd cùm honor sit pretiosior vitâ, & communiter asseratur licitum aliquando esse occidere ad tuendam vitam, videtur etiam licitum esse occidere ad tuendum honorem. Verùm nihil infirmius hoc argumento, si attentè expendatur: Nam si consideratur honor, ut bonum temporale, quod consistit in hominum existimatione, falsum est, quòd talis honor sit pretiosior vitâ, nisi fortè apud superbos. Verus Christianorum honor vitæ præponendus, in hoc consistit, ut vivant ad Euangelii normam, patienter ferant injurias, & imitentur Jesum Christum Dominum nostrum: *Qui*, ut ait Divus Petrus, *cùm malediceretur, non maledicebat: cùm pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti se injustè.* Ad hunc tuendum honorem, qui, ut ait Divus Paulus, *Gloria nostra est, testimonium conscientiæ nostræ*, vitam vir Christianus debet exponere. Verùm nunquam hic honor nos inducet ad effundendum sanguinem proximi, ne ab hominibus contemnamur: quandoquidem Christus Dominus Apostolis suis, nobisque simul cum iis dixit: *Gaudete, cum maledixerint vobis homines.*

Ep. 1. B. Petri c. 2. 23.

2. ad Cor. c. 1. v. 12.

Eusebius de morte Hieronymi.

Eusebius sancti Hieronymi Discipulus, de illius morte scribens ad Damasum Hostiensem Episcopum, colligit summâ cum

gratiâ & unctione omnia, quæ in Euangelio hac de re magis ad ædificationem leguntur, cùm S. Hieronymum introducit ita loquentem: *Gaudete, filii mei prædilectissimi, cùm odit vos mundus, desiderate sufferre contumelias & opprobria ab hominibus; quia beati eritis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos, mentientes propter filium hominis: gaudete tunc & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis. Vtinam in vos insurgeret iste mundus! Scitote quòd de mundo non estis: quoniam si de mundo essetis, mundus quod suum esset, diligeret. Omne gaudium vestrum existimate, cùm multa habebitis in sæculo opprobria, & adversitates: scientes, quòd fortitudo & patientia ex ipsis oriuntur. Patientia autem perfectum opus habet.*

Vir Christianus hanc mentem animique dispositionem induere debet, summâque cum veneratione salutaria Dei consilia in Euangelio proposita suscipere, proindeque ab istis homicidiis, quæ honoris defendendi causâ fiunt, prorsus abhorrere. Fateor quidem, esse laudabilem curam proprii honoris conservandi, modò referatur ad amorem proximi, ne scandalum accipiat, & opinio nostri casus, illum pertrahat ad aliquod præcipitium. Hæc tamen cura, quæ provenit à vera charitate erga proximum, nunquam nos inducere potest ad violandas leges divinas, & humanas, ut contingit in homicidio, ut tueamur nostrum inter homines honorem.

Ut enim ait Divus Thomas: *Tripliciter autem appetitum honoris contingit esse inordinatum: uno modo per hoc quòd aliquis appetit testimonium de excellentia quam non habet; quod est appetere honorem supra suam propor-* S.Tho.2.2. q.131. a.1. in corp.

tio-

tionem: alio modo per hoc quòd honorem sibi cupit, non referendo in Deum: tertiò per hoc quòd appetitus ejus in ipso honore quiescit, non referens honorem ad utilitatem aliorum.

Ivo Episc. Carnot. ep.240. ad Gautfridū.

Quod quidem egregiè prorsus explicat Ivo Carnotensis, cùm ait: *Cùm omnis castæ religionis professor visceribus charitatis abundare debeat, ut tam saluti proximorum, quàm suæ providere studeat, necesse est, ut hæc duo principaliter appetat, puram conscientiam, & bonam famam: conscientiam propter se, famam propter proximum: qui enim negligit famam suam, crudelis est; occidit enim proximum quantum in se est. Qui ergo vult famam suam conservare, non tantùm debet quæ bona sunt, facere, sed etiam quæ probabiliter fingi possunt mala, evitare. Hæc Paulus in se considerans, confidenter dicebat:* Pro minimo est ut à vobis judicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum judico; nihil enim mihi conscius sum. *Nos itaque, quamvis sanctitati Pauli longè impares simus, tamen quantum Dei gratia donante possumus, cum bona conscientia famam nostram conservare studeamus, ne cæco & infirmo fratri offendiculum aut scandalum ponamus, & pereat, secundùm Apostolum, infirmus in conscientia nostra frater. Quod evenire aliquando solet, cùm vicini curiosi corrosores vitæ nostræ, desidiosi autem correctores vitæ suæ, simplicia facta nostra inspiciunt, quæ in utramque partem verti possunt, adhibitis conjecturis, quibus aliquando credi oportet, aliquando non oportet. Unde infirmitati fraternæ consulentes, ea facere non debemus in oculis infirmorum, quibus tanquam argumento utantur ad velandam suam perversitatem, vel ad infuscandam mentis nostræ serenam simplicitatem. Quod quia periculosum est, vitanda est à nobis om-*

omnis occasio maledicti, ut is qui ex adverso stat, occasionem quærens, non inveniat; sed bono exemplo informatus, correctus ad se redeat.

Ecce quomodo sancti Patres volunt, ut nostrum tueamur honorem; fugiendo scilicet minimam criminis umbram, nullam præbendo proximo occasionem, ut malam de operibus suis suspicionem concipiat; non autem committendo crimen immane, quale est homicidium. Veri Christiani semper exhorruerunt opinionem quorumdam Casuistarum, qui licitum asserebant occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari non possit. Nonnullę etiam celebres Academię, multique Episcopi severissimis censuris hanc opinionem damnarunt.

Denique Innocentius Papa XI. crudelem hanc propositionem damnavit.

Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit; idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat. 30. Propos. damnata.

Quæst. 8. Quot modis committi potest homicidium?

Resp. Quamvis, propriè loquendo, homicidium solummodò committatur, quando eripitur homini vita corporalis; tamen largiùs uti possumus hac voce, ad exprimendas diversas actiones, quæ aliquatenùs ad homicidium referuntur: cùm Scriptura sacra, & Canones sæpè hoc nomen attribuant odio purè interno. Sic dividere possumus homicidium, in spirituale, & corporale: spirituale tunc committitur, quando illæso proximi corpore, infertur illi spirituale damnum, quod mortis quamdam spe-

speciem ipsi affert. Contingit autem quinque modis; odio habendo proximum, de illo detrahendo, seu maledicendo, mala consilia præbendo, illi nocendo, denique recusando quod necessarium est ad ejus vitæ sustentationem. Legimus enim in Epistola Beati Joannis: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in semetipso manentem*: Dicitur etiam in Canone: *Et qui odit, & qui detrahit, homicidæ esse monstrantur*.

Ep.1.Ioan. 3.v.15.

Canon.homicidiorũ 24. de pœnit. dist.1.

Quin etiam S. Augustinus, relatus in Canone, ait: *Noli putare, te non esse homicidam, quando fratri tuo mala persuades. Si fratri tuo mala persuades, occidis: ut scias quia occidis, audi Psalmistam*: Filii hominum dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta. Idem S. Doctor relatus in alio loco Canonis dicit: *Homicidium lege vetitum putabatur non aliud esse, nisi corporis peremptio; aperuit ergo Dominus, omnem iniquum motum ad nocendum fratri, in homicidii genere deputari*. Denique Sanctus Ambrosius relatus etiam in Canone ait: *Pasce fame morientem: quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti*. Quare quinque sunt homicidii genera, quæ spiritualia potiùs sunt, quàm corporalia: propter hæc autem homicidia spiritualia, nulla unquam incurritur irregularitas.

S. Aug. in Can. Noli putare, 27. de pœnit. dist. 1.

S. Aug. in Canon homicidium, 28. de pœnit. dist.1.

Can. Pasce fame, dist. 86.

Homicidium corporale duobus modis committi potest, facto scilicet, & verbo. Homicidium facti committitur quadrupliciter; nam alia sunt homicidia, quæ fiunt ex justitia, alia ex necessitate, alia casu, alia denique voluntaria.

Homicidia justitiæ sunt ea, quæ fiunt à ministris justitiæ in executione Sententiæ

pro-

prolatæ à legitimis judicibus, qui secundùm leges damnant reos ultimo supplicio: hæc autem homicidia justa sunt, fiuntque absque ullo peccato, dummodo nec Judex, nec justitiæ minister, moveantur pravo aliquo motivo, putà odii, invidiæ, vel crudelitatis; ut enim dicitur in Canone: *Cùm minister judicis occidit eum quem judex jussit occidi, profectò si id spontè fecit, homicida est, etiamsi eum occidat, quem scit à judice debuisse occidi*. Requiritur etiam, quòd Magistratus observet omnes formalitates juris, & judicet secundùm leges. Secùs enim coram Deo reus foret judex, licèt reverà reus is foret qui damnaretur. Can Cùm minister, 23. q. 5.

Homicidia fiunt ex necessitate, quando quis aggressorem interficit, non potens aliter vitam suam servare, seque cum moderamine inculpatæ tutelæ defendendo, ut suprà explicavimus.

Tertiò homicidia casu committuntur, quando absque ulla occidendi intentione, aliquis occidit ex casu fortuito, aliud agendo: hoc homicidium casuale non excusat à peccato, si eo committitur tempore, quo datur opera rei illicitæ, vel si non adhibuit omnem diligentiam necessariam, & quanta debuit adhiberi, ad evitandum talem casum. Pleniùs de his homicidiis casualibus postmodùm agemus, ubi tractabimus de pœnis homicidiorum.

Denique homicidium voluntarium, quod utique omnium gravissimum est, committitur, quando aliquis veram habet intentionẽ occidendi alterum, sive fuerit ab eo læsus, sive non; Ecclesia verò ita semper abhorruit ab hoc crimine, ut legatur in Can. *Si quis voluntariè homicidium fecerit, ad januam Ecclesiæ Catholicæ semper subjaceat, & Communionem in exitu vitæ suæ recipiat*. Canon. Si quis voluntariè, dist. 50.

Ho-

Homicidium linguæ committi potest dupliciter, mandando scilicet, aut consulendo: committitur homicidium per mandatum, quando mandatur alicui, ut occidat hominem sine authoritate publica; & tunc uterque reus est gravissimi criminis, tum ille qui occidit, tum etiam ille qui mandavit.

Homicidium ex consilio est, quando datur alicui consilium occidendi; quique tale perniciosum dat consilium, reus est homicidii; ut enim dicitur in Canone: *Perniciosè se decipiunt, qui existimant, eos tantùm homicidas esse, qui manibus hominem occidunt: & non potiùs eos, per quorum consilium, & fraudem, & exhortationem homines extinguuntur.* Illi quoque qui comitantur eum qui homicidium perpetrare intendit, sive ut ipsum adjuvent, sive ut eundem tueantur, aut defendant contra eos, qui possent eum impedire, seu capere ante vel post homicidium perpetratum, sunt etiam rei homicidii, non solùm in foro exteriori, verùm etiam in tribunali conscientiæ; ut enim ait Alexander Papa III. relatus in Canone: *Illi etiam qui, non ut ferirent, sed ut percussoribus opem ferrent, si forte per aliorum violentiam impedirentur, paulò minori debent pœna mulctari; quia cum scriptum sit: qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit: constat, ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt.* Dici quoque potest, eos qui authoritatem & potestatem habent impediendi, ne fiat aliquod homicidium, illudque non impediunt, reos esse quodammodò homicidii, secundùm Canonem in quo dicitur: *Qui potest obviare, & perturbare perversos, & non facit, nihil aliud est, quàm favere eorum impietati. Nec enim caret scrupulo*

Can. Perniciosè, 23. de pœnit. dist. 1.

Cap. Sicut dignum, de homicid.

Can. Qui potest, 23. q. 3.

pulo societatis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare. Idemque declarat S. Augustinus in Canone, ubi ait: *Qui desinit obviare, cùm potest, consentit.* Can. Ostendit, 23. q. 3.

Quæst. 9. Qui, vel quæ procurant voluntarium abortum, incurruntne in reatum homicidii propriè dicti?

Resp. Ut huic quæstioni satisfaciamus, duplicis generis abortus distinguendi sunt; nam vel est abortus fœtus animati, vel non. In primo casu, fœtus animati abortus, sine dubio verum est homicidium; & secundùm leges, omnes procurantes talem abortum obnoxii sunt pęnis contra veros homicidas latis; legimus enim in Canone Concilii Constantinopolitani: *Eas quæ dant abortionem facientia medicamenta, & quæ fœtus necantia venena excipiunt, homicidæ pœnis subjicimus.* Idem asserit Stephanus Papa V. relatus in Canone: *Qui conceptum in utero per arbortum deleverit, homicida est.* Legimus in Can. relato à Martino Bracharensi: *Quæ studuerit abortum facere, & quod conceptum est necare, aut certè ut non concipiat elaborat, sive ex adulterio, sive ex legitimo conjugio: has tales mulieres in morte recipere communionem priores Canones decreverunt. Nos tamen pro misericordia, sive tales mulieres, sive conscias scelerum ipsorum, decem annis agere pœnitentiam judicamus.* Can. 91. Synod. Constant. Quinisexta in Trullo apud Ant. Augustinum lib. 35 tit. 1. de homicid. p. 3. de iis qui fœtus necant, cap. 5. Can. Consuluisti, 2. q. 5. Apud Anton. Augustinum. ibid. c. 7.

In secundo casu, cùm procuratur abortus fœtus nondum animati, licèt sit gravissimum crimen, non est tamen homicidium propriè dictum: tunc enim solùm committitur proprii nominis homicidium, quando vita realiter aufertur. Quare ut dicit Innocentius III. relatus in Canone: *Respondemus, quod si nondum erat vivificatus conceptus, ministrare poterit: alioquin debet ab altaris officio abstinere.* Cap. Sicut ex litterarum, de homicid.

Quæst.

Quæst. 10. An abortus fœtus nondum animati, ex malitia procuratus, iisdem sit obnoxius pœnis, ac animati fœtus abortio?

Resp. Antiqui Canones vix ullum discrimen statuebant inter abortionem fœtus animati, aut inanimati, eandemque sine ullo discrimine pœnitentiam, alterutrum procurantibus, præscribebant; quia æqualis in utraque credebatur esse malitia: enimverò Concilium Ancyranum ait: *De mulieribus quæ fornicantur, & partus suos necant: vel quæ agunt secum, ut utero conceptos excutiant, antiqua quidem definitio usque ad exitum vitæ eas ab Ecclesia removet. Humaniùs autem nunc definimus, ut eis decem annorum tempus secundùm præfixos gradus pœnitentiæ largiamur.* Alii quoque Canones iisdem utuntur verbis, quemadmodùm & ii quos superiori quæstione laudavimus, easque tantùm denotant, quæ concepti fœtus abortionem procurant, non distinguendo, an sit animatum, an non. Legimus etiam in quodam Canone relato à S. Basilio: *Quæ de industria fœtum corrupit, cædis pœnas luat: formati autem, vel informis subtilitas à nobis non attenditur; hic enim non solùm quod nascendum est vindicatur, sed etiam ipsa quæ insidias paravit: quoniam ut plurimùm ejusmodi inceptis unà quoque mulieres intereunt.* Nihilominùs quoniam abortus fœtus nondum animati malitiosè procuratus, non est homicidium propriè dictum, ut superiùs diximus, idque explicatur à S. Augustino in Canone, ubi ait: *Quòd verò non formatum puerperium noluit ad homicidium pertinere, profectò nec hominem deputavit, quod tale in utero geritur..... ideò lex noluit ad homicidium pertinere, quia nondum dici potest anima viva in eo corpore quod sensu caret.*

Concil. Ancyran. ann. 314. Can. 20.

S. Basilius ad Amphilochium, cap. 2.

Can. Quòd verò, 32. q. 2.

Et Innocentius III. in Can. expresʃè dicit: *Respondemus, quòd ʃi nondum erat vivificatus conceptus, miniʃtrare poterit, alioquin debet altaris officio abʃtinere*, loquens de Presbytero, qui abortum procurarat. Quare dicere poʃʃumus, quòd licèt in tribunali pœnitentiæ eædem pœnæ imponi poʃʃint iis, qui, vel quæ procurant abortum fœtus nondum animati, ac ʃi animatus foret, juxta Canones à nobis ʃuperiùs relatos; nihilòminùs non incurrunt irregularitatem; modò certi ʃint, fœtum nondum eʃʃe formatum, ʃeu animatum.

Cap. Sicut ex litterarum, de homicid.

Quæʃt. 11. Qui, vel quæ præbent, aut ʃumunt medicamenta, vel aliud agunt, ad impediendum, quominùs mulieres concipiant, ʃuntne aliquo modo homicidæ?

Reʃp. Jam Canonem attulimus, quo crimen hoc in eodem gradu & ordine quàm abortio ʃtatuitur, & ʃimiliter decem annorum pœnitentiæ ʃubjicitur. Quare etiam dicitur in Canone: *Si aliquis cauʃa explendæ libidinis, vel odii meditatione, homini aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non poʃʃit generare, aut concipere, vel naʃci ʃoboles, ut homicida teneatur*. Unde patet, hoc peccatum eʃʃe graviʃʃimum, & homicidii quamdam ʃpeciem continere, quoniam generationem impedit, quâ vita infantibus datur. Hinc etiam dicit S. Auguʃtinus: *Nulla mulier potationes ad abortum accipiat.... Mulier autem quæcumque fecerit hoc, per quod jam non poʃʃit concipere, quantoʃcumque parere poterat, tantorum homicidiorum ʃe ream eʃʃe cognoʃcat*. Quare Sixtus Papa V. iiʃdem planè pœnis hoc crimen ʃubjecit, quibus abortum & homicidium ʃubjecta fuerunt, Conʃtitutione ʃua 87. cui moderationem adhibuit Gregorius XIV. ut inferiùs videbimus.

Cap. Si aliquis cauʃa de homic.

S. Auguʃt. ʃer. 244. de tempore.

Hæc

Hæc autem Bulla Sixti V. verbis ita propriis concepta est, ad horrorem hujus criminis imprimendam, quo prolis generatio impeditur, ut non abs re fuerit, aliquam ejus partem hìc inserere: *Quis non detestetur tam execrandum facinus, per quod nedum corporum, sed quod gravius est, etiam animarum certa jactura sequitur? Quis non gravissimis suppliciis damnet illius impietatem, qui animam Dei imagine insignitam, pro qua redimenda Christus Dominus noster pretiosum sanguinem fudit, æternæ capacem beatitudinis, & ad consortium Angelorum destinatam, à beata Dei visione exclusit, reparationem cælestium sedium quantùm in ipso fuit impedivit, Deo servitium suæ creaturæ ademit? Qui liberos priùs vita privavit, quàm illi a natura propriam lucem accipere, aut se materni custodia corporis ab efferata sævitia tegere potuerint? Quis non abhorreat libidinosam impiorum hominum crudelitatem, vel crudelem libidinem, quæ eò usque processit, ut etiam venena procuret, ad conceptos fœtus intra viscera extinguendos, & fundendos, etiam suam prolem priùs interire quàm vivere, aut si jam vivebat, occidi antequam nasci, nefario scelere moliendo? Quis denique non damnet gravissimis suppliciis illorum scelera, qui venenis, potionibus, ac maleficiis, mulieribus sterilitatem inducunt, aut ne concipiant, nec pariant, maleficis medicamentis impediunt? . . Vnde non immeritò sexta Synodo Constantinopolitana sancitum est, ut personæ quæ dant abortionem per medicamenta, & quæ fœtus necantia venena accipiunt, homicidæ pœnis subjiciantur. Sed & veteri Concilio Illerdensi cautum est, ut qui conceptos ex adulterio fœtus necare studuerint, vel in ventribus matrum potionibus aliquibus colliserint, si posteà pœnitentes ad Ecclesiæ mansuetudinem recurrant,*

Sixtus V. in Bull. 87. quæ incipit: Effrenatam.

rant, omni tempore vitæ suæ fletibus & humilitati insistant. Si verò clerici fuerint, Officium ministrandi eis recuperare non liceat. Omnesque tam Ecclesiasticæ, quàm profanæ leges gravibus pœnis afficiunt eos, qui in utero matris puerperium interimi, aut ne mulieres concipiant, sive ut conceptos fœtus ejiciant, nefariè machinantur.

Quæst. 12. Potest-ne aliquando esse licitum sumere potionem, aut quid simile facere ad procurandum directè abortum?

Resp. Cùm malum fieri nequeat sine peccato, ut inde bonum eveniat, & malum semper sit procurare abortum, sive fœtus sit animatus, sive tantùm inanimis; consequens est, nunquam licere sumere quidquam, vel aliquid facere, ut abortio procuretur; & licèt mater sit in periculo mortis, nunquam tamen fœtus abortio eligi potest, ut medium quo è periculo liberetur. Unde videmus, sanctam sedem Apostolicam duas has sequentes quorumdam Casuistarum propositiones damnasse. (Innocentius XI. in Decreto, contra 65. Propos. 2. Martii 1679.)

34. Propositio damnata.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida, occidatur aut infametur.

35. Propositio damnata.

Videtur probabile, omnem fœtum, quandiù in utero est, carere anima rationali, & tunc primùm incipere eandem habere, cùm paritur, ac consequenter dicendum erit in nullo abortu homicidium committi.

Enim verò, quoniam secundùm sanctum Thomam: *Hoc peccatum est grave; & inter maleficia computandum, & contra naturam; quia etiam bestiæ fœtus expectant.* Et Sixtus V. id vocat peccatum exécrandum in sua Constitutione. Et Gregorius XIV. in Bulla edita, ut mode- (Greg. XIV. in Bulla 8. quæ incipit: Sedes Apostolica.)

ramen adhiberet prædictæ Sixti V. Bullæ ait: *Ejusque gravissimi sceleris ..... nefariis ejusmodi flagitis*. Consequenter secundùm sententiam Divi Augustini, qui ait: *Nulla mulier potiones ad abortum accipiat*. Asseritque Tertullianus: *Nobis verò homicidio semel interdicto, etiam conceptum utero, dum adhuc sanguis in hominem deliberatur, dissolvere non licet. Homicidii festinatio est, prohibere nasci: nec refert natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet*. Nihilominùs tamen si mulier gravida in extremo esset periculo, morbusque non posset alio modo curari, quàm medicamento, aut sanguinis effusione, sive aliâ quavis re, quæ abortionem procurare posset; illa mulier uti posset tali medicamento, aut sanguinis effusionem permittere, si alio modo mortem instantem vitare minimè posset (modò tamen medicamentum directè non tenderet ad mortem prolis, aut ad abortionem matris procurandam; tunc enim licitum non foret) nam cùm moraliter impossibile sit, ut mater morbo moriatur, quin etiam fructus pereat, quem in utero gerit; nullum fieri videtur huic fœtui præjudicium, cùm remedium datur, quo posset mortis periculum evadere, matrem sine abortione curando, licèt fortasse remedium illud sequi posset abortio; imò verò in tali casu, videtur quòd adhiberi posset tale remedium, sive fœtus sit animatus, sive sit inanimis; quoniam par utrobique videtur esse ratio: fatendum tamen est, id gravi minimè difficultate vacare: urgensque esse debet necessitas, quæ cogat uti tale remedio, præsertim quando fœtus est animatus; quoniam quidem mater majorem habere debet curam salutis animæ prolis suæ, quàm vitæ pro-

S.Aug.ser. 244. de tempore. Tertull.in Apologet. c.9.

propriæ corporeæ, cùm ipsa nubendo omnibus matrimonii oneribus se subjecerit, ac proindè teneatur specialem liberorum omnium curam habere, qui fructus sunt matrimonii, ut ait Divus Thomas: *Proles intenta est essentialissimum in matrimonio, & secundò Fides, & tertio Sacramentum.* S. Th. in 4. Sent. dist. 31. q. 1. a. 3.

Ex his omnibus aliquas deducere possumus Conclusiones, quibus propositæ quæstioni satisfiat: an liceat sumere, facere, aut dare aliquid ad abortionem procurandam?

Primò, nunquam esse licitum directè procurare abortum, vel etiam aliquid agere ad occidendum fœtum, quâcumque tandem de causâ: cùmque hæc actio per se mala sit, nullo casu licita esse potest.

Secundò, nunquam sine gravi crimine procurari potest abortio, aut exponi mater probabili abortionis periculo, ad vitandam mortem, aut infamiam, quam mulier timere potest, si gravida fuerit comperta, sive fœtus sit animatus, sive non.

Tertiò, quòd si mater morbo affligetur ex quo conveniant medici, quòd mater evadere non possit alio modo, quàm per aliquod medicamentum, sanguinis emissionem, & hujusmodi, cum periculo abortus; potest in hoc casu præberi illi hoc remedium, si judicatur, fœtum nondum esse animatum, dummodò dictum remedium directè non tendat ad abortum, & abortus sequatur tantùm per accidens, & contra intentionem eorum, qui consilium, aut remedium præbent, & recipientis.

Quartò, quòd si fœtus sit animatus, cùm in hoc casu agatur de ejus vita spirituali, & æterna; nam si moriatur in utero materno, & consequenter sine Baptismo, privatur æternâ beatitudine, & damni pœnam

semper substinebit; non potest hæc vita animæ pueri exponi periculo, ut vita corporalis matris à periculo eripiatur; quia ex obligatione, quam charitas imponit matri, debet illa potiùs pati mortem corporis, quàm procurare mortem animæ pueri.

Denique concludere possumus, quòd si medici judicent, nullam adesse spem, ut mater possit effugere mortem, nec puer possit recipere Baptismum, nisi mater recipiat tale remedium, cum periculo quidem abortus, sed cum spe illam sanandi absque abortu, & ita proli medium procurare, quo possit baptizari: tunc potest hujusmodi remedium absque peccato præberi, quamvis fœtus sit animatus; quia tunc adeò nullum ipsi infertur præjudicium, quin imò id fit, quod ipsi maximè prodesse potest, tum ad vitam corporis, tum ad vitam animæ, quæ primariò semper considerari debet, & rebus omnibus præferri.

Quæst. 13. Qui, vel quæ præbent proximam occasionem abortui, licèt contra intentionem, peccant-ne?

Resp. Dupliciter contingit peccare, cum procuratur abortus, etiam contra propriam voluntatem. Primò, si fiat dando operam rei illicitæ. Unde sanctus Thomas ait: *Ille qui percutit mulierem prægnantem, dat operam rei illicitæ: & ideò si sequatur mors, vel mulieris, vel pueri animati, non effugiet homicidii crimen.* Secundò, quando ob notabilem negligentiam prævidendi, quod sequitur ad actionem, si sequatur abortio, licèt contra voluntatem; ejus tamen reus erit; ut enim asserit sanctus Antoninus: *Si mulier gravida præter intentionem abortitur, si commisisset ibi notabilem negli-*

S.Tho.2.2. q.64.at.8. ad 2.

S. Ant. in sum. Confess.p.1.in.

negligentiam, putà quia nimis saltavit, vel nimis inordinatè laboravit, vel propter inordinatas lascivias, non esset absque peccato mortali. Idem in viro, vel alio percutiente eam, unde hoc sequitur. Hinc etiam colligere debemus, mulieres teneri se conservare summâ cum curâ, quando gravidæ sunt, easque reas esse coram Deo, quoties se committunt abortus periculo ex imprudentiâ, seu negligentiâ, licèt abortio non sequatur.

terrogat. de 5. Præcepto, cap. unico.

Quæst. 14. Mulieres detinentes infantes in lecto sine arcula, antequam annum compleverint, incurrunt-ne reatum homicidii?

Resp. Incurrunt, quia voluntario se exponunt periculo eos suffocandi, & licèt non sequatur mors filiorum, non desinunt esse reæ coram Deo, ob periculum cui se exposuerunt. Hac de causa ex Stephano V. Papa, relato in Canone: *Monendi sunt, & protestandi parentes, ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur, vel opprimantur; unde ipsi homicidii rei inveniantur .... Hi autem qui probantur, vel confitentur talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio; quia si ille qui conceptum in utero, per abortum deleverit, homicida est, quantò magis qui unius saltem diei puerum peremerit, homicidam se esse excusare nequibit?*

Can. Consuluisti, 2. q. 4.

Eadem mente dixisse videtur Alexander Papa III. relatus etiam in Canone, dum ait: *De infantibus autem qui mortui repe-riuntur cum patre & matre, & non apparet utrùm à patre vel à matre oppressus sit ipse; vel suffocatus, vel propria morte defunctus; non debent inde securi esse parentes, nec etiam sine pœna; sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus* mor-

Cap. de infantib. de his qui filios occiderunt.

mortis causa fuerit. Si autem eos non latet ipsos interfectores esse, scire debent se graviter deliquisse. Quidam autem pœnitentiam trium annorum judicant esse debere, quorum unum peragant in pane, & aqua.

Isaac Epis. Lingonen. Canones tit. 2. de homicidiis, Can. ult. à Zacharia cōfirmati, ann. 742.

Legimus etiam in Canone apud Isaacum Episcopum Lingonensem: *Mulier quæ dormiens filium suum oppresserit, & mortuus fuerit, sex annis pœniteat. Vir ejus si in domo illius fuit, quatuor; si verò in uno lecto, simili modo pœniteat: duos in pane & aqua, reliquos quatuor, secundùm quod Sacerdos viderit, abstinentiam imponat ciborum.*

Videmus etiam in multis Diœcesibus, præsertim Galliæ, antiquum hujus disciplinæ spiritum ad hodiernum usque diem conservatum: quoniam Synodus Narbonensis anno 1667. celebrata, cogendos dicit indispensabiliter eos, qui suos secum liberos in lecto detinent ante annum & diem exactum, quo fit, ut suffocentur, venire ad Ecclesiam Metropolitanam, ac pœnitentiam publicam die cinerum accipere; absolutionem verò die Jovis Hebdomadæ Majoris. In Uticensi quoque Diœcesi pœnitentia imponitur publica pro suffocatione liberorum, quæ contingit ex negligentiâ parentum, qui eos secum collocant in eodem lecto, ante annum diemque exactum: quæ quidem satis ostendunt, parentes gravi crimini esse obnoxios, & homicidium quodammodò perpetrare, quoties secum in eodem lecto liberos detinent, aut cum nutricibus, aut aliis. Unde casus hic ferè ubique Episcopis est reservatus: ait enim sanctus Antoninus: *Si mater, vel nutrix suffocat filium, vel filiam quam tenet juxta se, inadvertenter opprimat, mortale est, & est Episcopale.*

S. Ant. in sum. Confess. p. 1. interrogatorii de 5. Præcepto, c. unico.

Quæst.

Quæst. 15. Poteſt-ne eſſe licitum in aliquo caſu ſe ipſum occidere?

Reſp. Cùm homicidium ſui ipſius multò magis opponatur charitati, quàm cœtera homicidia; quoniam ſecundùm charitatem benè ordinatam, tenetur unuſquiſque ſe priùs cœteris diligere; concludendum eſt, homicidium hoc eſſe graviſſimum, etenim contrarium eſt inclinationi naturali omnibus inditæ ab authore naturæ, per quam quiſque conatur propriam conſervare vitam. Prætereà homicidium ſui ipſius neceſſariò includit injuſtitiam contrà communitatem, imò contra univerſam naturam humanam, quæ læditur in quolibet homine.

Denique qui ſe ipſum occidit, injuriam Deo facit, quia uſurpat ſibi jus, quod nulli hominum conceſſit Deus, neque etiam ulli ſupremo Principi in vitam ſuam; ſeque ſubtrahit, quantùm in ipſo eſt, à ſupremo Dei dominio, de ſua vita contra expreſſa Dei mandata diſponendo, qui ait: *Ego occidam, & ego vivere faciam*. Quocirca nemini prorsùs licet ſe ipſum interficere, quâcunque tandem de causâ; quoniam homicidium ſui ipſius ſemper eſt malum, & non licet malum quacumque de cauſa perpetrare, licèt maximum inde ſperari poſſet bonum. Quòd ſi legimus in Scriptura ſacra, & in hiſtoria Eccleſiaſtica, quòd aliqui ſancti ſibi necem intulerunt, dicendum eſt, tunc eos ad id motos fuiſſe ſpeciali Spiritus ſancti impulſu, quo talis actio ſancta reputabatur, cùm ſine eo grave foret crimen: *Nec Samſon aliter excuſatur*, ait ſanctus Auguſtinus, *quod ſe ipſum cum hoſtibus ruina domus oppreſſerit, niſi quia ſpiritus latenter hoc juſſerat, qui per illum miracula faciebat. His igitur exceptis, quos vel*

Deuteronomii, c. 32. 39.

S. Aug. lib. 1. de civitate Dei, c. 21.

lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominum vel se ipsum, vel quemlibet occiderit, homicidii crimine innectitur.

Sancti etiam Canones considerant crudeles istos sui homicidas, ut indignos honore sepulturæ Ecclesiasticæ, & ut reos criminis gravissimi. Ut patet ex Nicolao Papa I. ad consulta Bulgarorum: hac de re consultus, ita respondet: *Si sit sepeliendus qui se ipsum occidit, vel si sit pro eo Sacrificium offerendum requiritis: Sepeliendus est quidem, ne viventium odoratui molestiam ingerat; non tamen est, ut aliis pavor incutiatur, solitorum obsequiis more ad Sepulcra ferendus. Sed etsi qui sunt, qui ejus Sepulturæ studio humanitatis obsequuntur, sibi, non illi qui extitit homicida, præstare videntur. Sacrificium verò pro eo non est offerendum, qui non solùm ad mortem usque peccavit, sed & mortis sibimet interitum propinavit. Quis enim magis peccatum ad mortem facit, pro quo Ioannes Apostolus dicit non orandum, quàm is, qui Iudam imitatus, sui ipsius homicida fuisse, Magistro diabolo comprobatur?* Idem statuitur in Canone desumpto ex Concilio Bracharensi, ubi dicitur: *Placuit, ut qui sibi ipsis voluntariè, aut per ferrum, aut per præcipitium, aut per suspendium, vel quolibet modo violentam inferunt mortem, nulla prorsùs pro illis in oblatione commemoratio fiat: neque cum Psalmis ad sepulturam, eorum cadavera deducantur.*

Nicolaus I. ad consulta Bulgar. c. 98.

Can. Placuit, 23. q. 5.

Quæst. 16. Est-ne licitum sibi abscindere, vel curare abscindendum aliquod sui corporis membrum?

Resp. Quemadmodum supremum non habemus dominium in vitam nostram, sic nec in membra corporis nostri: Et ita non videtur licitum sibi abscindere, aut cura-

curare, ut abſcindatur aliquod membrum, niſi quatenùs hæc abſciſſio eſt neceſſaria ad conſervationem vitæ totius corporis: nam ſi fiat temerè, vel ad reſiſtendum alicui tentationi, vel ad acquirendum honores, aut divitias, quoniam membra corporis noſtri non ſunt nobis in hunc finem tradita, videmur reſiſtere ordinationi Dei, & diſponere contra ejus voluntatem de re, cujus nobis dominium minimè reliquit; neque mediocris injuria divinæ providentiæ fieri videtur, quoties abſcinditur aliquid, ad integritatem illius operis pertinens: Denique deſtruitur quodammodò Templum Spiritus Sancti, ſecundùm Divum Paulum, qui ait: *An neſcitis, quoniam membra veſtra Templum ſunt Spiritus ſancti, qui in vobis eſt, quem habetis à Deo, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro.* 1. ad Cor. c.6.19.

Hac de cauſa ſic habetur in Canone: *Qui partem cujuslibet digiti ſibi ipſi volens abſcidit, hunc ad clerum Canones non admittunt. Cui verò caſu aliquo contigit, dum aut operi ruſtico curam impendit, aut aliquid faciens, ſe non ſponte percuſſit, hos Canones præcipiunt, & clericos fieri, & ſi in clero fuerint reperti, non abjici.* Can. Qui partem, diſt. 55.

Leges quidem Eccleſiaſticæ, alio planè modo eos tractandos cenſent, qui ſibi partem aliquam corporis abſciderunt, aut abſcindi curarunt ſpontè, & ſine ulla infirmitate; alio verò modo eos, qui per vim mutilati ſunt, aut qui tali mutilationi non conſenſerunt, niſi ut vitam ſuam ſervarent, quam aliter ſervare non poſſent, aut aliquod membrum magis præcipuum, quàm partis alicujus abſciſſione, ut à gravi morbo convaleſcerent: ii ſiquidem poſtremi, non conſiderantur ut rei, nullamque

incurrunt irregularitatem propter hanc mutilationem, nisi fortè hæc abscissio pareret notabilem aliquam deformitatem. V. G. si abscissus fuisset nasus, vel erutus oculus, aut incapax fieret, & ineptus ea mutilatione, ad exercendum Ecclesiastica Officia; in quo casu non esset irregularis præcisè propter mutilationem, sed propter deformitatem vel inhabilitatem ad obeunda sacra Ministeria: illi verò qui sponte sua se mutilarunt, nullo morbo periculoso coacti, ut tali uterentur remedio, à sacris Canonibus eodem modo considerantur, ac si seipsos interfecissent, & irregularitatem incurrunt; ut patet ex Canone his verbis: *Si quis pro ægritudine naturalia à Medicis secta habuerit, similiter & qui à Barbaris, aut dominis suis fuerint castrati, & moribus digni fuerint visi, hos Canon admittit ad Clericatus Officium promoveri. Si quis autem sanus, non per disciplinam Religionis & abstinentiæ, sed per abscissionem plasmati à Deo corporis, existimans posse à se carnales concupiscentias amputari, castraverit se: non eum admitti decernimus ad aliquod Clericatus Officium. Quòd si jam antè fuerit promotus ad Clerum, prohibitus à suo Ministerio deponatur.* Quoniam ut habetur in Canone: *Si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputavit sibi virilia, non fiat Clericus, quia sui est homicida, & Dei conditionis inimicus.*

Can. Si quis ægritudine, dist. 55.

Can. Si quis, dist. 55.

Quæst. 17. Qui facti sunt Eunuchi ab infantia, possunt-ne promoveri ad Ordines?

Resp. Clemens Papa III. relatus in Canone, hanc expressè dirimit difficultatem his conceptis verbis: *Ex parte Bartholomæi Monachi petitorium fuit nostro Apostolatui præsentatum, quòd cùm ipse in cunabulis se-*

Cap. Ex parte, de corpore vitiatis ordinandis vel non.

ctus

ctus fuerit, postmodùm sub regula & Abbate devotè Deo militans, in Diaconatus Ordinem est promotus, & infrà: *Sanè cùm, secundùm statuta Nicæni Concilii, illi ad Clericatus ordinem prohibeantur accedere, & si etiam in Clero fuerint, cessare debeant, qui se ipsos sani absciderint, vel affectaverint, ut ab aliis abscindantur: non credimus ei impedimentum afferre, quominùs possit provehi, qui in cunabulis sectus fuerit: quia non videtur hoc eo tempore affectasse, quo judicium animi non habebat; præsertim cùm in Canonibus Apostolorum sit manifestè sancitum, quòd Eunuchus, si per insidias hominum factus, vel ita natus sit, aut etiam in persecutione sint ei amputata virilia, & dignus est, possit in Episcopum promoveri.*

CAPUT II.

De variis peccatis, quæ committi possunt contra quintum Decalogi Præceptum.

PECCATA quæ committi possunt contra quintum Decalogi Præceptum, videntur includi posse in tribus præcipuis, quæ sunt veluti fontes aliorum, suntque juxta Euangelium, Ira, Odium, & Invidia.

Quæst. 1. Quid est ira?

Resp. Sanctus Gregorius magnus duplicem distinguit iram, dum ait: *Alia est ira quam impatientia excitat, alia quam zelus justitiæ format; illa ex vitio, hæc ex virtute generatur.* Eodem modo ait Lactantius Firmianus: *Ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit.* S.Greg.lib. 5.Moral.c. 30.in c.5. Iob. Lact. Firmi. de ira Dei, c.17.

Et in secundo sensu ibidem ait: *Ira est motus animi ad coercenda peccata insurgentis.* Sed sanctus Thomas fusiùs & uberiùs de his disserit, ac duplicis hujus iræ differentiam ostendit, docetque, quando peccatur, aut non peccatur, cùm ait: *Ordo rationis in ira potest attendi quantùm ad duo: Primò quidem quantùm ad appetibile in quod tendit, quod est vindicta; unde si aliquis appetat, quòd secundùm ordinem rationis fiat vindicta, est laudabilis iræ appetitus, & vocatur ira per zelum. Si autem aliquis appetat, quòd fiat vindicta qualitercumque contra ordinem rationis; putà si appetat puniri eum qui non meruit; vel ultrà quàm meruit, vel etiam non secundùm legitimum ordinem, vel non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ, & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus; & nominatur ira per vitium. Alio modo attenditur ordo rationis circa iram, quantùm ad modum irascendi, ut scilicet motus iræ non immoderatè fervescat, nec interiùs, nec exteriùs; quod quidem si prætermittatur, non erit ira absque peccato, etiamsi aliquis appetat justam vindictam.*

S.Tho.2.2. q.158.ar.2. in corp.

Ex hac Divi Thomæ doctrina patet, motum iræ bonum ac justum esse posse; tuncque zelum rectè vocari; verùm tunc justam tantùm optandam punitionem secundùm omnes circumstantias, hoc est, puniendus ille, qui verè meruit puniri, & solùm quantùm promeritus est; & ita quidem, ut in ea punitione legitimus ordo à legibus & à ratione stabilitus servetur; hoc est, ut ordine illius tantùm fiat, qui legitimam puniendi rei habet authoritatem, qualis est Judex, Pater, vel Dominus; & ut Judex formulas sibi à lege præscriptas observet, neque limites æquitatis transgrediatur, hæcque punitio fiat

tantùm aut optetur propter gloriam Dei & justitiam; sed & moderatus esse debet ille iræ motus, secundùm rectam rationem, etiam in interiori animo; quia si quis graviter irascatur propter rem levem, & ira non habeat proportionem cum culpâ, talis excessus iræ, non est immunis à peccato, licèt justus sit finis in hac punitione propositus: Unde sanctus Antoninus ait: *Ira, prout est peccatum, est inordinatior appetitus vindictæ.* S. Ant. p. 2. tit. 7. c. 1. §. 2.

Quæst. 2. Estne licitum coram judice, & secundùm justitiam exigere reparationem injuriæ acceptæ?

Resp. Perfectius esset Christiano non exigere, & imitari D. N. J. C. de quo dicitur *Iesus autem tacebat*, hoc est nihil omninò respondebat injustis accusationibus & injuriis, contra sacratissimam suam personam prolatis: videtur tamen exigi posse sine peccato, si non intendatur vindicta, & odio renuntietur, sed tantùm fiat vel zelo justitiæ, vel ad reparandum damnum acceptum sive in honore, sive in bonis suis; præsertim si is qui injuriam fecit, reparationem neget amicabili modo præstare, ad quam tamen tenetur: verùm cavendum est, ne talibus in occasionibus quis cæcutiat, sibique aduletur, se solo justitiæ zelo agere, ut jus suum tueatur, cùm tamen eam reparationem ex motivo vindictæ & odii prosequatur, & ne quis tunc erret, priùs adhibere debet pii cujusdam, docti, prudentis, & ab omnibus animi affectibus immunis viri consilium, ne in tali prosecutione grave damnum animæ patiatur, eaque pereat: ut enim ait S. Augustinus: *Illud diximus intuendum, quid sit irasci fratri suo, quoniam non fratri irascitur, qui peccato fratris irascitur: qui ergò non peccato fratris ira-* Matth. 26. S. August. lib. 1. Retract. c. 19.

irascitur, sine causa irascitur. Præterea quoniam vix, ac ne vix quidem, injuriâ affectus, in justa moderatione se continere potest, eum coram judice prosequendo, à quo injuriam est perpessus; ac sæpè fit, ut cùm quis se justo zelo putat agere, necessarium tamen moderamen non servet: *Unde necesse est*, inquit Sanctus Gregorius, *ut hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis movetur, attendat, ne ira extra mentis dominium transeat: sed in ultione peccati tempus modumque considerans, surgentem animi perturbationem subtiliùs retractando restringat, animositatemque reprimat, & motus fervidos sub æquitate disponat: ut eò fiat justior ultor alienus, quò priùs extitit victor suus: quatenùs sic culpas delinquentium corrigat, ut antè ipse qui corrigit, per patientiam crescat; ut fervorem suum irascendendo dijudicet, ne intemperanter excitatus ipso zelo rectitudinis, longè à rectitudine aberret.*

S. Gregor. lib. 5. mor. c. 30. in 5. cap. Job.

Quæst. 3. Quandonam ira est mortale peccatum?

Resp. Ex sancto Thoma: *Motus iræ potest esse inordinatus, & peccatum dupliciter; uno modo ex parte appetibilis; ut pote cùm aliquis appetit injustam vindictam; & sic ex genere suo ira est peccatum mortale, quia contrariatur charitati, & justitiæ: potest tamen contingere, quòd talis appetitus sit peccatum veniale propter imperfectionem actus; quæ quidem imperfectio attenditur vel ex parte appetentis, putà cum motus iræ prævenit judicium rationis; vel etiam ex parte appetibilis, putà cùm aliquis appetit in aliquo modico se vindicare, quod quasi nihil est reputandum; ita quòd etiam si actu inferatur, non esset peccatum mortale; putà si quis parùm trahat aliquem puerum per capillos, vel aliquid hujusmodi. Alio modo potest esse motus iræ inordinatus*

S. Thom. q. 158. ar. 3. in corp.

natus quantùm ad modum irascendi; ut pote si nimis ardenter irascatur interiùs; vel si nimis exteriùs manifestet signa iræ: & sic ira secundùm se non habet ex suo genere rationem peccati mortalis: potest tamen contingere, quòd sit peccatum mortale, si ex vehementia iræ aliquis excidat à dilectione Dei & proximi.

Ex hac divi Thomæ authoritate patet, quòd cùm ira nos impellit ad optandam injustam vindictam, peccatum est ex natura sua mortale; quo in casu fieri nequit veniale, nisi propter indeliberationem ejus qui irascitur, aut propter parvitatem materiæ, seu vindictæ quæ desideratur. Vindicta porrò injusta censetur, ut diximus ex Angelico Doctore, quando quis desiderat punire, aut curare, ut puniatur is, qui minimè meritus est puniri, aut magis quàm meritus est, aut optatur, ut hæc punitio fiat ab eo, qui nullam habet authoritatem legitimam, aut non optatur propter bonum finem, V.G. propter bonum publicum, aut correctionem ejus, qui erravit: verùm ubi ira motum tantùm excitavit vindictæ, aut punitionis omninò justæ, tunc non est peccatum mortale ex naturâ suâ, imò verò laudabilis est, & virtutis actus esse potest, ut diximus: potest tamen hæc ira, quæ punitionem tantùm justam desiderat, esse peccatum, si excedat, & proportionem non habeat cum culpâ commissâ, sive interiùs & in corde, sive exteriùs, sive in signis exterioribus iræ; & tunc peccatum est veniale ex naturâ suâ, & in se spectatum, quamquàm aliquando fieri possit mortale, si talis sit excessus iræ ac tantus, ut amorem Dei, aut proximi prorsùs extinguat in nobis.

Quæst. 4. Quænam sunt peccata ut plurimùm ab ira provenientia?

Resp.

S. Greg. li. 31. mor. in cap. 29. Job c. 17. sub fin.

Resp. Ex S. Gregorio: *De ira, rixæ, tumor mentis, contumeliæ, clamor, indignatio, blasphemiæ proferuntur.* Quod egregiè explicat S. Thomas, dum ait: *Ira potest tripliciter considerari: uno modo secundùm quod est in corde: & sic ex ira nascuntur duo vitia: unum quidem ex parte ejus, contra quem homo irascitur, quem reputat indignum, ut sibi tale quid fecerit: & sic ponitur* indignatio. *Aliud autem vitium est ex parte sui ipsius, in quantum scilicet excogitat diversas vias vindictæ, & talibus cogitationibus animum suum replet, secundùm illud Iob:* Nunquid sapiens implebit ardore stomachum suum? *& sic ponitur* tumor mentis. *Alio modo consideratur ira secundùm quod est in ore, & sic ex ira duplex inordinatio procedit, una quidem secundùm hoc quod homo in modo loquendi iram suam demonstrat, sicut dictum est de eo, qui dicit fratri suo, racha; & sic ponitur* clamor, *per quem intelligitur inordinata & confusa locutio: alia etiam est inordinatio secundùm quod aliquis prorumpit in verba injuriosa: quæ quidem si sint contra Deum, erit* blasphemia: *si autem contra proximum,* contumelia. *Tertio modo consideratur ira secundùm quod procedit usque ad factum, & sic ex ira oriuntur* rixæ, *per quas intelliguntur omnia nocumenta, quæ facto proximis referuntur ex ira.* Omnia porrò hæc peccata, quæ ex ira oriuntur, charitati sunt contraria.

S.Tho. 2.2. q. 158. ar. 7. in corp.

Quæst. 5. Quænam sunt aptiora remedia contra iram?

S.Greg. l. 5. mor. in 5. cap. Iob c. 30.

Resp. Ex S. Gregorio: *Duobus modis fracta possidere animum ira dessuescit. Primus quippe est, ut mens sollicita antequàm agere quodlibet incipiat, omnes sibi quas pati potest contumelias proponat; quatenùs Redemptoris sui probra cogitans, ad adversa se præparet. Quæ nimirùm venientia tanto fortiùs excipit,*

quantò se cautiùs ex præscientia armavit. Qui enim improvidus ab adversitate deprehenditur, quasi ab hoste dormiens invenitur; eumque citiùs inimicus necat, quia non repugnantem perforat; nam qui mala imminentia per sollicitudinem prænotat, hostiles incursus, quasi insidiis vigilans expectat, & inde ad victoriam valentem accingitur, unde nesciens deprehendi putabatur. Solerter ergo animus ante actionis suæ primordia, cuncta debet adversa meditari, ut semper hæc cogitans, semper contra hæc thorace patientiæ munitus, & quidquid acciderit providus superet, & quidquid non accesserit lucrum putet. Secundus autem servandæ mansuetudinis modus est, ut cùm alienos excessus aspicimus, nostra, quibus in aliis excessimus, delicta cogitemus; considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena. Patienter namque illatam injuriam tolerat, qui piè meminit, quòd fortasse adhuc habeat, in quo debeat ipse tolerari. Et quasi aqua ignis extinguitur, cùm surgente furore animi, sua cuique ad mentem culpa revocatur; quia erubescit sibi peccata non parcere, qui vel Deo, vel proximo sæpè se recolit parcenda peccasse.

Verùm inter omnia contra insurgentem iram remedia, nullum efficacius esse videtur, quàm reflectere ad deformitatem illius, ad gravia damna, quæ parere solet, & ad pœnitentiam, quam secum trahit. Ut enim ait Sanctus Joannes Chrysostomus: *Acutum est ira vitium, acutum & efficax animas nostras furari: propterea passim oportet ei aditum obstruere. Absurdum enim est feras quidem mansuefacere posse, animam verò nostram insolescentem despicere. Ignis est vehemens ira, omnia devorans: nam & corpus perdit, & animam corrumpit, & reddit insuavem, & in visu quem-* S. Chryf. hom.29. ad populum Antioch.

que

que turpissimum. Quòd si furoris tempore posset irascens sibimet ipsi notus fieri, non alia foret opus admonitione; nihil enim irascentis deformius aspectu. Verùm nihil magis confert irato, quàm ut se ab agendo, & loquendo etiam cohibeat, tunc cùm irascitur, & ut expectet, donec hæc animi commotio rationi locum præbeat, priusquam quidquam faciat, ne perniciosos iræ motus sequendo, agat aut dicat aliquid quod graviter sibi noceat, & cujus propemodùm ipsum pœniteat.

S. Ambr. offici. li. 1. c. 2. Sanctus Ambrosius de ira loquens ait: *Ferunt Architæ Tarentini dictum Philosophi, quod ad villicum suum dixerit: O te infelicem, quàm te afflictarem, nisi iratus essem.* Si contingat aliquando necessarium, aut utile prorsus esse, ut significet aliquis illatam sibi displicere injuriam, ne pergat is, qui injuriam infert; id minimè significare debet, cùm irâ commotus est, sed severiori tantùm vultu decet insolentiam ejus reprimere.

Præterea, interest etiam maximi, ut qui propensi sunt ad iram, seipsos singulis diebus hâc de re diligenter examinent, sibimet aliquam pœnitentiam imponant, quoties iræ indulserunt, & testentur dolorem sui lapsus iis, quos ex ira putant à se offensos fuisse. Nam ut notat sanctus Hieronymus: *Irasci hominis est, finem imponere iracundiæ Christiani.* Et ut ait S. Augustinus: *Nulli irascenti videtur ira sua injusta; unde ab omni indignatione citò redeundum est ad mansuetudinis lenitatem. Nam pertinax motus facilè in ejus odium transit, cui non celeriter ignoscitur.* Ideòque Divus Paulus Ephesios sic monet: *Sol non occidat super iracundiam vestram.*

S. Hieron. epist. ad Demetr. S. Aug. in sententiis decerptis ex suis operibus, n. 319. c. 4. v. 16.

Quæst. 6. Est-ne aliquando licitum odio ha-

habere proximum, maximè nefarios, hæreticos, & infideles?

Resp. Sanctus Thomas huic quæstioni sic satisfacit: *Odium amori opponitur, unde tantùm habet odium de ratione mali, quantùm amor habet de ratione boni; amor autem debetur proximo, secundùm id quod à Deo habet; id est secundùm naturam & gratiam: non autem debetur ei amor, secundùm id quod habet à se ipso, & à Diabolo: scilicet secundùm peccatum, & justitiæ defectum: & ideò licet habere odio peccatum in fratre, & omne illud quod pertinet ad defectum justitiæ; sed ipsam naturam & gratiam fratris non potest aliquis habere odio sine peccato. Hoc autem ipsum quod in fratre odimus culpam & defectum boni, pertinet ad fratris amorem; ejusdem enim rationis est, quòd velimus bonum alicujus, & quòd odiamus malum ipsius; unde simpliciter accipiendo odium fratris, semper est cum peccato.* Verumtamen si hoc odium respiciat peccatum, & non personam, laudabile est, atque oritur ex charitate quam habemus erga Deum & proximum. S.Tho.2.2. q.34 art.3. in corp.

Hac de causa ait Propheta David: *Iniquos odio habui. Non ait,* inquit S. Augustinus, *iniquos odio habui, & justos dilexi; aut, iniquitatem odio habui, & legem tuam dilexi: sed cùm dixisset, iniquos odio habui, exposuit quare, addendo, & legem tuam dilexi: ut demonstraret, non se in hominibus iniquis odisse naturam, qua homines sunt, sed iniquitatem, qua legi quam diligit inimici sunt.* Eodem modo idem Sanctus Doctor explicat alium locum Psálmi, dum ait: *Quid est perfecto odio? Oderam in eis iniquitates eorum, diligebam conditionem tuam. Hoc est perfecto odio odisse, ut nec propter vitia homines oderis, nec vitia propter homines diligas.* Hinc etiam dicitur in Canone: *Odio habean-* Psal. 118. S. Aug. in Psal. 118. Conc. 24. S. Aug. in Psal. 138. in fine. Can. Odio, dist. 86.

tur

tur peccata, non homines: corripiantur tumidi, tolerentur infirmi; & quod in peccatis severiùs castigari necesse est, non sævientis plectatur anima, sed medentis.

Ex hac doctrina tum sacræ Scripturæ, tum sanctorum Patrum, concludi potest. Primò licitum esse odisse peccatores solùm propter eorum vitia, id est odisse peccatum in ipsis. Secundò licitum esse optare illis aliquod malum temporale, ut inde resipiscant, seu corrigantur. Tertiò licitum esse optare malum temporale hæreticis, & malis Christianis, ac etiam mortem, pro bono publico, & illorum quos conantur suis inficere erroribus, & pravis exemplis. Denique licitum esse optare malum aliquod temporale reo, in favorem justitiæ, v. g. ut prædones suspendantur, ut justitia exerceatur. Verùm in his casibus cavendum est, ne odium extendatur ad personam peccatoris, & sic peccetur contra charitatem, cùm sibi videtur agere ex zelo justitiæ.

Quæst. 7. Homines fuerunt-ne semper obligati ad diligendos inimicos, etiam ante legem gratiæ?

Resp. Cùm præceptum charitatis, in quo continetur præceptum de diligendis inimicis, sit de jure naturali, sequitur, semper eandem fuisse obligationem, etiam ante adventum Domini Nostri Jesu-Christi. Quare præceptum de diligendis inimicis habetur in veteri testamento, ubi dicitur:

Levit. c. 19. 17. *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Et Proverbiorum cap. 24. *Ne dicas: quomodò fecit mihi, sic faciam ei, reddam unicuique secundùm opus suum.* Quin etiam Judæis præceptum fuit, ut darent signa benevolentiæ & charitatis inimicis suis, iisque in necessitatibus suis opem ferrent. Dicitur enim Exodi cap. 23.

Si

Si occurreris bovi inimici tui, aut asino erranti, reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed sublevabis cum eo. Et Proverbiorum cap. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere; prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.* In quem locum ait S. Augustinus: *Vt intelligas, carbones ignis esse urentes pœnitentiæ gemitus, quibus superbia sanatur ejus, qui dolet se inimicum fuisse hominis, à quo ejus miseriæ subvenitur.* S. Aug. de Doctrina Christiana l. b. 3. c. 16.

Denique cavetur etiam Proverb. cap. 24. gaudere de malo inimici, sic enim legitur: *Cùm ceciderit inimicus tuus, ne gaudeas, & in ruina ejus ne exultet cor tuum, ne fortè videat Dominus, & displiceat ei.* Videmus ex his, præceptum dilectionis inimicorum, non modò pertinere ad novum Testamentum, verùm etiam ad Judæos, omnesque homines, qui illud servare tenebantur, ante Salvatoris nostri adventum; quia præceptum est morale & naturale, non verò ceremoniale & judiciale tantùm. Nihilominùs asserere possumus, Christianos magis peccare, quàm Judæos, quoties hoc præceptum violant; quia nobis clariùs, quàm ipsis, datum fuit, & expressiùs: ita graviùs peccabant Judæi, quàm cæteræ nationes, quoties præcepta Decalogi violabant, licèt omnes homines illa tenerentur observare; quia hæc præcepta ipsis magis manifestata fuerant, quàm cæteris hominibus; proindeque ea magis observare tenebantur.

Quæst. 8. Quomodo intelligendum igitur est, quod Christus Dominus ait in Euangelio? *Audistis, quia dictum est antiquis, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.*

Resp.

S.Th. in 3. sent. dist. 30.q.1.art. 1.ad 2.

Resp. Sanctus Thomas sic dicta verba explicat: *In veteri lege homines tenebantur ad dilectionem inimicorum; unde quod dicitur,* Odio habebis inimicum tuum, *non est ex lege sumptum; quia nusquam hoc in littera invenitur, sed est additum ex prava institutione Iudæorum, qui ex quo præcipiebatur dilectio proximi, concludebant, quòd inimici essent odiendi*. S.Augustinus hac de re differit:

S.Aug. liv. 19. contra Faustum, cap.24.

Quæro ab istis, cur proprium velint esse legis Moysi, quod dictum est antiquis, Diliges proximum tuum, & oderis inimicum tuum. An & Apostolus Paulus non dixit homines quosdam Deo odibiles, & utique in hac admonitione ipse Dominus ad hoc nos hortatur, ut imitemur Deum, Ut sitis, *inquit*, filii Patris vestri qui in cœlis est, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos, & injustos. *Quærendum itaque est, quomodò intelligatur, exemplo Dei cui dixit quosdam odibiles Paulus, odio habendos inimicos: & rursùs exemplo Dei, qui facit solem suum oriri super bonos & malos, & pluit super justos & injustos, diligendos inimicos; sic apparebit Dominum malè intelligentibus id quod dictum est,* Oderis inimicum tuum, *inferre voluisse, quòd omnino non norant, ut diligerent inimicos suos ..... Hæc inquam regula est, qua & oderimus inimicum propter id, quod in eo malum est, id est iniquitatem; & diligamus inimicum propter id, quod in eo bonum est, id est socialem rationalemque creaturam. Audito igitur, & non intellecto, quod antiquis dictum erat,* Oderis inimicum tuum, *ferebantur homines in hominis odium, cùm deberent non odisse nisi vitium, hos corrigit Dominus dicendo:* Diligite inimicos vestros; *ut qui jam dixerat,* Non veni legem solvere, sed adimplere: *idcoque de odio inimici, quod scriptum est in lege, non solverat; præcipiendo uti-*

utique ut diligamus inimicos, cogeret nos intelligere, quonam modo possumus unum eundemque hominem, & odisse propter culpam, & diligere propter naturam. Unde videmus, ex hoc loco, adeò non licuisse Judæis inimicos odisse, ut contrarium ex illo ostendant Sanctus Augustinus & Sanctus Thomas, eoque demonstrent, solum peccatum in inimicis odio babendum, non autem ipsos inimicos. Pleniùs egimus hac de re, de charitate erga inimicos differendo, cap. 3. Secundi Tractatus de charitate. Tomo 6.

Quæst. 9. Quid est invidia?

Resp. Paucis eam sic definit S. Augustinus: *Invidia est odium fœlicitatis alienæ.* Ex S. Thoma: *Invidia est tristitia de bono proximi, prout proprium malum æstimatur, & diminutivum proprii boni. Tristitia de bono alieno contingit dupliciter: uno modo quando quis tristatur de bono alieno, in quantum imminet sibi ex hoc periculum alicujus nocumenti, sicut cùm homo tristatur de exaltatione inimici sui, timens ne lædat; & talis tristitia non est invidia, sed magis timoris effectus. Alio modo bonum alterius æstimatur ut malum proprium, in quantum est diminutivum propriæ gloriæ, vel excellentiæ; & hoc modo de bono alterius tristatur invidia: & ideò præcipuè de illis bonis homines invident, in quibus est gloria, & in quibus homines amant honorari, & in opinione esse.*

S. Aug. in Ps. 104.

S. Tho. 2. 2. q. 36. art. 1. in corp.

Dicendum igitur est, quòd invidia procedit à superbia, & quia amat quis propriam excellentiam, ideò tristatur de fœlicitate alterius, & invidis oculis eos, qui supra se sunt, respicit; quia eos adæquare nequit, molestiâque afficitur, quòd alii sibi fiant æquales; quia semper iis vellet esse superior. Denique tristatur de fœlicitate

æqua-

æqualium, quia credit eam minuere, aut impedire desiderium quod habet, se supra illos extollendi. Hoc autem multiplicibus modis contingère potest, qui quidem omnes non sunt omninò mali, nec invidiæ nomen merentur; nam homo potest tristari de bonis & virtutibus proximi, quia his virtutibus caret, aut hâc scientiâ, aut prærogativâ: in hoc casu propriè non tristatur de bono proximi, sed tantùm quia illo ipse caret, & propriè dicitur æmulatio: æmulatio autem non solùm est licita, sed etiam laudabilis, quando provenit à desiderio bonorum spiritualium, quæ spectant ad animæ salutem; juxta illud 1. ad Corinth. cap. 14. *æmulamini spiritualia*; ut si videntes hominem humilem, mortificatum, aliâque virtute præditum, quâ caremus, tristamur, non quia homo ille possidet hanc virtutem, sed quia nos pariter illam non possidemus. Ad illam æmulationem nos hortatur Apostolus 1. ad Corinth. cap. 12. dicens, *Æmulamini charismata meliora*: verùm si hęc æmulatio sit de bonis temporalibus, culpabilis est, posito quòd illa bona non sint statui nostro convenientia; ut si privatus homo tristatur se non esse Regem, vel Principem, & paribus divitiis non affluere: sed si illa bona non sint superexcedentia, non videtur illa æmulatio vituperanda; ut si quis videns se non habere, unde sustentet familiam juxta suum statum, & videt quòd alter suæ conditionis abundat, tristatur, quia in eodem non reperitur statu, desiderans tantum quod sibi sufficiat, cum Christiana ad Deum submissione, se divinæ Providentiæ penitùs subjiciendo.

Secundò potest quis de bono, quod accidit proximo, tristari, quia scit illum esse

dicto

dicto bono indignum, v. g. si quis videret aliquem promotum ad Parochiale Beneficium, aut aliud quo prorsùs esset indignus, & ita ut talis collatio esset injusta; & tunc est zelus laudabilis justitiæ.

Tertiò potest tristari de fœlicitate malorum, quia videt esse illis occasionem propriæ ruinæ, aut nocumenti proximi; & hæc tristitia provenit à charitate erga Deum & proximum; proindèque vituperari minimè debet.

Quartò denique posset quis affligi & tristari de bono alterius, cùm videns inimicum ad aliquam dignitatem evectum, tristatur, non propter bonum inimici, sed solùm quia locum habet timendi sibi aliquod magnum damnum. Triplex autem tristitia est effectus timoris: Prima cùm probabiliter timemus, ne bonum quod accidit alteri, nobis noceat injustè; & hæc tristitia non est mala, v. g. si aliquis metuit, ne inimicus injustis factis assuetus, Judex electus, verisimiliter se ipsum litigantem injustè damnet, videtur tristari posse sine ullo peccato: verùm si quis metueret ne justè damnaretur, non posset sine peccato tristitiam concipere de prosperitate alterius, à quo justè puniri posset: v. g. latro videns hominem probum ac peritum juris, Judicem constitutum, tristatur, quia metuit supplicium pati; talis tristitia non vacat crimine: licèt enim possumus metuere justè malum, non debemus tamen tristari de bono alterius, propter metum justi supplicii, ab eo nobis inferendi: quemadmodùm minimè licitum foret, talem Judicem suo munere privare, propter hujusmodi metum, si talem quis haberet facultatem. Tertia tandem tristitia

est, quando tristamur de fœlicitate alterius, timentes, ne nobis inferat damnum aliquod injustè: sed hic timor non est fundatus, & levi tantùm innititur conjecturâ; & hæc tristitia est pariter mala, quia non deberemus propter talem suspicionem hunc hominem illo bono privare: & ita peccaret contra charitatem, si quis tristis foret, quòd illud bonum possideret.

Quintò potest quis tristari de bono alterius, quia illum odit: vix enim aliquis tristitiam vitare potest, cùm videt eum bonis augeri, quem ex corde odit; & tunc est potiùs peccatum odii, quàm invidiæ. Denique potest quis tristari de bono proximi, quia timet inde diminutionem propriæ gloriæ; & tunc est propriè peccatum invidiæ.

Quæst. 10. Invidia est-ne peccatum ex natura sua mortale?

S.Tho.1.2. q.36.ar.3. in corp.

Resp. Ex sancto Thoma: *Invidia secundùm rationem sui objecti contrariatur charitati, per quam est vita animæ spiritualis secundùm illud* 1. *Ioan.* 5. Nos scimus, *quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres: unde manifestum est, quòd invidia ex suo genere est peccatum mortale.* Quare sanctus Basilius magnus relatus à sancto Damasceno, lib. 3. Parallelorum cap. 110. ait: *Proprium diaboli malum est invidia, quæ nec enuntiari potest, nec medicinam recipit. Qui capitis dolore afficitur, dolorem suum medico exponit: qui autem invidiæ morbo premitur, quid dicat? Fratris bona me in mærorem conjiciunt. Vnusquisque id dicere erubescit.* Enimverò videmus, quòd licèt hoc peccatum satis frequens sit, & ordinarium; pauci tamen in confessione illud deponunt, aut eo se reos esse credunt; & ita cùm nullum huic malo periculoso reme-

medium adhibeatur, rarò corrigitur, multasque secum in infernum rapit animas. Quæ cùm ita sint, ait sanctus Joannes Chrysostomus: *Quidnam hominibus invidis miserius excogitari queat? Cùm gaudere ipsi, atque ex gaudio emolumentum percipere liceat, malunt tamen ob aliorum gloriam nominisque splendorem mæstitia affici, atque unà cum ea mæstitia cruciatum quoque à Deo, pœnamque intolerandam sibi accersere.* Qui huic vitio dediti sunt, animadvertere debent, ea quæ in Sapientia dicuntur: *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui sunt ex parte illius.*

S. Chrysost. relatus à S. Damasceno. Ibidem.

Sapient. c. 2. 24.

Undè sanctus Cyprianus ait: *Latè patet zeli multiplex & fœcunda pernicies; radix est omnium malorum, & fons cladium, seminarium delictorum, materia culparum; inde odium surgit, animositas inde procedit, avaritiam zelus inflammat, dum quis non potest suo esse contentus, videns alterum ditiorem; ambitionem zelus excitat, dum cernit quis alium in honoribus altiorem: hinc Dominicæ vinculum pacis rumpitur, hinc charitas fraterna violatur, hinc adulteratur veritas, unitas scinditur, ad hæreses atque schismata prosilitur, dum obtrectatur Sacerdotibus, dum Episcopis invidetur, dum quis aut queritur non se potiùs ordinatum, aut dedignatur alterum ferre præpositum.* Peccata verò quæ ex invidiâ nascuntur, ita recensentur à sancto Gregorio: *De invidia, odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi; afflictio autem in prosperis nascitur.* Eademque recensentur à Divo Thoma 2. 2. q. 36. art. 4. ad 3.

S. Cyp. ser. 2. de zelo & livore.

S. Greg. lib. 31. Moral. in 39. c. Job c. 17. sub finem.

Quæst. 11. Quænam sunt remedia contra invidiam?

Resp. Ex sancto Cypriano: *Facilior cura*

 est;

Cyp. ser. de zelo & livore.

est, ubi plaga perspicua; & citò ad sanitatem, medela subveniente, perducitur vulnus quod videtur. Zeli vulnera obstrusa sunt & occulta, nec remedium curæ medentis admittunt qui se intra conscientiæ latebras cæco dolore clauserunt. Quicumque es invidus & malignus, videris, quàm sis eis quos odisti, insidiosus, perniciosus, infestus, nullius magis, quàm tuæ salutis inimicus es. Quisquis ille est quem zelo persequeris, subterfugere & vitare te poterit, tu te fugere non potes: ubicumque fugeris, adversarius tuus tecum est, hostis semper in tuo pectore est; pernicies intus inclusa est, ineluctabili catenarum nexu ligatus & vinctus es, zelo dominante captivus es, nec solatia tibi ulla subveniunt.

Ex his Divi Cypriani verbis patet, quàm difficilis sit cura livoris: verùm unum ex præcipuis remediis, est reflectere ad deformitatem istius vitii, & ad damna, quæ solet inferre corpori & animæ: Hâc de causâ ait sanctus Gregorius: *Admonendi sunt invidi, ut perpendant, quantæ cæcitatis sunt, qui melioratione proximi deteriores fiunt, dumque augmenta alienæ prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos ex iis afflicti cordis sui peste moriuntur. Quid istis infelicius, quos dum conspecta fælicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum vero bona quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent: sic quippè sunt universi consistentes in fide, sicut multa membra uno continentur in corpore, quæ per officium quidem diversa sunt, sed eo, quo sibi vicissim congruunt, unum fiunt: unde fit, ut pes per oculum videat, & per pedes oculi gradiantur, ori auditus aurium serviat, & ad usum suum auribus oris lingua concurrat; suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. In ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione servemus. Nimis*

S. Greg. Past. p. 3. admonitio 11.

ita-

itaque turpe est non imitari quod sumus. Nostra sunt nimirùm, quæ etsi imitari non possumus, amamus in aliis, & amantium fiunt quæque amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni quoque laboris opera, nostra facit sine labore.

Quomodò igitur, ait sanctus Basilius magnus, *morbum hunc, aut ab initio non perpetiemur, aut ipsi subjecti, effugabimus? Si primùm quidem nihil magnum, nihil excellens rerum humanarum esse judicaverimus, non opulentiam, non gloriam marcescentem. Iuxta id quod dicit Apostolus ad Galatas, cap. 5.* Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, invicem provocantes, invicem invidentes. S. Basilius Homil. de invidia.

Possumus quoque animo considerare, ea ipsa bona proximi, quæ in nobis invidiam excitant, nostra non fore, licèt ea ab ipsis non possiderentur; inutilemque esse invidiam nostram, quâ vellemus eos, iis bonis, privare, illaque nobis ipsis comparare. Si autem virtus & sanctitas proximi, nostram excitant invidiam, scire debemus, eas nobis prodesse posse, si de iis gaudeamus, & si in gratiâ Dei diligenter perstiterimus, eorum bonorum participes erimus, quoniam ea bona per charitatem fidelibus omnibus fiunt communia. Unde Propheta Regius Deo dicebat: *Particeps ego sum omnium timentium te, & custodientium mandata tua:* Atque adeò miseros nos cæcosque esse oportet, in propriis commodis procurandis, si ea ipsa cum livore intueamur, & in nostram ruinam convertamus. Psal. 118.

CAPUT III.

De Pœnis & Censuris, quæ incurruntur propter homicidium & mutilationem.

Quæst. I. QUænam sunt pœnæ homicidii?

Resp. Cùm varia sint homicidia, varia etiã est homicidii pœna statuta. In antiquis Canonibus tantùm sermo fit de duplici homicidio, voluntario scilicet, & involuntario seu casuali. Verùm ex quo Clemens Papa V. decrevit, ut qui occidissent defendentes se, non incurrerent irregularitatem, Canonistæ diviserunt homicidia in voluntarium, casuale, & necessarium. Ut patet ex Glossa, in cap. *sicut dignum: Aut committitur homicidium voluntate, aut casu, aut necessitate.* Hoc supposito, considerari possunt pœnæ, quæ sunt merè fori pœnitentialis, & eæ quæ ad forum exterius pertinent: in prioris generis pœnis constituendis, antiqua Concilia submittebant voluntarios homicidas perpetuæ pœnitentiæ, iisque tantùm in articulo mortis Communionem tribuebant.

De homicidio voluntario vel casuali verbo, Cõsilium.

Concilium verò Nannetense Can. 17. *Si quis voluntariè, & per insidias hominem interfecerit, jugi se pænitentiæ submittat: Et si hoc publicè actum constat, si laicus est, à Communione orationum quinquennio removeatur, post quinquennium tantùm in orationum Communione recipiatur, non autem offerat, non corpus Domini contingat. In quo perdurans quatuordecim annis, tunc ad Communionem cum Oblationibus recipiatur. Si quis de industria, & per insidias occiderit hominem,*

nem, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur, dicit Dominus. Idem Concilium Can. 18. ait: *Si quis casu non volens homicidium perpetravit, 40. diebus in pane & aqua pæniteat: quibus peractis, biennio ab oratione Fidelium segregetur: non communicet, nec offerat. Post biennium in Communione orationis offerat; non tamen communicet: Post quinquennium ad plenam Communionem recipiatur. Abstinentia ciborum in arbitrio Sacerdotis maneat.*

Aliaque Concilia varios constituerunt diversis sæculis Canones contra homicidii reos. Verùm ex his Canonibus qui contra homicidia casualia constituti sunt, facilè videre licet, quantùm Ecclesia semper abhorruerit ab homicidiis. Concilium Ancyranum relatum in Canone ait: *Eos verò qui non voluntate, sed casu homicidium fecerint, prior quidem regula post septem annorum pænitentiam Communioni sociavit, secundùm gradus constitutos; hæc verò humana quinquennii tempus tribuit.* Hæc intuentes Confessarii, homicidiis imponere debent pœnitentiam graviorem, quæ analogiam aliquam, & proportionem habeat ad antiquos Canones, quantùm infirmitas præsentis ætatis, & Christianorum morum laxatio patitur.

Can. Eos verò, dist. 50.

Aliæ verò pœnæ homicidiis præscriptæ ad duo irregularitatis genera revocantur; altera vocatur irregularitas per defectum; altera verò per crimen & delictum.

Quæst. 2. Quid est irregularitas?

Resp. Ut ait Lancellotus: *Irregularitas est nota, seu Canonicum impedimentum ex facto, seu defectu proveniens, quo quis tam ad Ecclesiasticos ordines promoveri, quàm promotus in iisdem ministrare prohibetur.*

Lancellotus instit. juris Can. lib. 4. tit. de suspensione, §. ult.

Quæst. 3. Quandonam incurritur irregularitas proveniens ex delicto, in homicidio, vel mutilatione?

Resp. Tunc scilicet, cùm committitur homicidium, vel mutilatio injusta & illicita; ut patet ex Concilio Tridentino his verbis: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.*

Côc. Trid. sess. 24. de refor. c. 4.

Quæst. 4. Quandonam incurritur irregularitas ex defectu, in homicidio, vel mutilatione?

Resp. Incurritur, quando commissum fuit homicidium, quod non est injustum vel illicitum.

Quæst. 5. Quot modis potest incurri irregularitas proveniens ex delicto in homicidio, vel mutilatione?

Resp. Quatuor modis, qui continentur in Canone, ubi sic habetur: *Si homicidii, aut facto, aut præcepto, aut consilio, aut defensione, post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad Clericatum venerit, dejiciatur, & in fine vitæ suæ Laicam Communionem tantummodò recipiat.* Homicidium facti duobus modis committi potest, voluntate scilicet, vel casu. Jam diximus de eo, quod voluntate fit; nunc de eo, quod casu contingit.

Can. Si quis viduã dist. 50.

Quæst. 6. Quid est homicidium casuale?

Resp. Illud est, quod contingit præter intentionem committentis, vel facientis ut committatur.

Quæst. 7. Incurritur-ne irregularitas propter omnia homicidia casualia?

Resp. Incurritur, quando commissa est aliqua culpa, quæ locum præbuit homicidio:

dio: quare hæc irregularitas, quæ provenit ex homicidio casuali, est semper irregularitas ex delicto, cùm numquam incurratur sine delicto.

Quæst. 8. Quænam sunt culpæ, propter quas incurritur irregularitas in homicidio casuali?

Resp. Duæ sunt quæ notantur in variis Canonibus, & explicantur à sancto Thoma his verbis: *Ille qui non removet ea, ex quibus sequitur homicidium, si debeat removere, erit quodammodò homicidium voluntarium: hoc autem contingit dupliciter; uno modo quandò dans operam rebus illicitis, quas vitare debet, homicidium incurrit: alio modo quandò non adhibet debitam sollicitudinem. Et ideò secundùm jura, si aliquis det operam rei licitæ debitam diligentiam adhibens, & ex hoc homicidium sequatur, non incurrit homicidii reatum: si verò det operam rei illicitæ, non adhibens diligentiam debitam, non evadit homicidii reatum, si ex ejus opere mors hominis oriatur.* Quod quidem ex variis colligitur Canonibus.

S.Tho.2.2. q.64.ar.8. in corp.

Nicolaus Papa relatus in Canone, ait: *Hi qui arbores incidere videntur, si contigerit, ut cadens arbor occiderit hominem, inculpabiles sunt, atque innoxii: quia nec voluntate eorum, nec desiderio homicidium perpetratum est. Si verò aliqua culpa eorum vel neglectu, morientis hominis interitus cognoscitur advenisse, abjiciendi sunt à gradu, & in sacro Ordine nullatenus suscipiendi.* Utique propter irregularitatem quam incurrerunt.

Can. Hi quis, dist. 50.

Gregorius Papa IX. relatus in Canone, idem decernit in simili casu; ait enim: *Quidam, ut asseris, ad ædificationem Ecclesiæ in adjutorium à Presbytero evocatus,*

Cap. Quidã, de homicidio.

ruens cum laqueari, quod idem Presbyter solvere nitebatur, hac occasione rebus est humanis exemptus: & infrà, *Attendentes igitur, quòd Sacerdos ipse dabat operam licitæ rei, studuit etiam quam debuit diligentiam adhibere, circunstantibus quibus periculum imminebat, ita tempestivè & alta voce præmonitis, quòd intelligere & fugere potuerunt; inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd ob hanc causam, vel quia omnes casus fortuitos, qui prævideri non possunt, forsitan non prævidit, non debet quoad Officium, vel Beneficium impediri.*

Contra verò Alexander Papa III. relatus etiam in Canone, damnat Diaconum, qui occasionem dederat homicidio ludens cum Laico: *Continebatur*, inquit, *in litteris tuis, quòd cùm Diaconus præsentium lator, & quidam alii Clerici à vineis Ecclesiæ opere consummato redirent, levandi laboris gratia, quendam ludum imitati viatorum, baculos suos studebant jacere in directum, & alter alterius fustem ferire: cujus ludi solet esse conditio, ut qui alterius baculum percuteret, quasi Victor, pro equo alio uteretur: sed præfati Clerici equitandi licentia non utentes, sola erant jocatione contenti; quidam autem Laicus cùm baculum ejusdem Diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus insiliit; & sic à falce illius Diaconi, qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo expiravit. Ideòque mandamus, quatenùs eundem Diaconum, sine licentia Romani Pontificis, ad Superiorem gradum non ascendere, vel Diaconatus Officio nullo unquam tempore ministrare permittas, sed eum dispensativè ministrare in Subdiaconatus Officio patiaris.*

Cap. Continebatur, de homicidio.

Cujus rationem reddit Glossa ibidem verbo *Romani Pontificis*, dum ait: *Hic*

dabat

dabat operam illicitæ rei, ludendo cum Laico, quod non licet; eademque Glossa in verbo *ludum*, ait: *Iste ludus Clericis non congruebat, & ideò si ludendo fecit, fuit in aliquantula culpa*. Potiori jure conveniunt Canonistæ, Clericum occidentem aliquem casu in venatione, incurrere irregularitatem; quia deditus erat rei à sacris Canonibus prohibitiæ Clericis: & observare juvat, sacros Canones Clericis non modò prohibere clamosas venationes, quæ fiunt cum canibus & avibus, verùm etiam omnes omninò venationes, nullâ prorsùs exceptâ, præsertim verò eas, quæ fieri non possunt sine armis; quia tunc duæ violantur leges, altera scilicet, quæ venationem prohibet, altera, quæ vetat arma sine necessitate gerere.

Unde etiam in celebri Synodo secunda Æsinâ Cardinalis Petrucciii, sic habetur: *Quia Clerici quidam, proprii status immemores, & dignitatis in qua à Deo constituti sunt, audent latenter & quandoque etiam palàm deferre arma; idcircò illis expressè prohibemus, ne sub quocumque prætextu, quovis tempore & loco, ferant arma cujusvisgeneris, tam defensiva quam offensiva, neque etiam causa itineris aut venationis: cujus quidem exercitium, juxta sacrorum Canonum dispositionem, illis interdicimus & prohibemus*.

Synod. Æsina, an. 1695. in Edicto, de Vita & honestate Clericorum, n. 6. E perche alcuni Ecclesiastici scordevoli del loro stato, e della dignità nella quale sono stati da Dio costituiti, ardiscono di portare nascostamente, e tal volta ancora scopertamente, le armi: prohibiamo però alli medesimi espressamente, di poter portare, sotto qualsivoglia pretesto, ne in qualunque tempo, ne luogo, armi di qualsisia sorte tanto offensive, quanto difensive, e ne pur per causa di viaggio, ne per uso di caccia, il di cui esercitio, secondo la disposizione de sagri Canoni, vietamo e prohibiamo.

Synod. Aversana, p.4.c.4.nu. 8. an.1702.

Et in recentiori Synodo Aversana sic decernitur: *Prohibemus omnibus Clericis delationem cujusque generis armorum, sive acuminata, sive ignivoma illa sint, etiam sclopeti venatorii, sive ignem excitet collisione petræ & chalybis, sive accenso stupario, sub arbitrariis Nobis pœnis.*

Cap. Multa sunt, ne cleri, vel mona. sæcul. negotiis.

Nicolaus Papa relatus in Canone ait: *Canes & aves sequi ad venandum, & omnibus quibuslibet causis superfluis interesse; ecce talia & his similia ministris Altaris Domini omninò contradicimus.* Concilium Aquense anno 1585. titulo de vita & honestate Clericorum, ait: *Ne ullum venationis genus exerceant.* Ex quibus sic concludit Cardinalis Toletus: *Clericus venationi, in qua sagittæ aut sclopeta emitti solent, incumbens, & casu occidens, quantumcumque omnem priùs diligentiam adhibuerit, irregularis est, quia operam dabat rei illicitæ, & talibus personis prohibitæ. Propositus Can. 1. n. 26. dist. 50.*

Toletus in sum. seu instruct. Sacerd. lib. 1.c.81. n.8.

S. Ant. p. 3. tit. 19. c. 2. §. 4.

Si Clericus, inquit sanctus Antoninus, *exercitatione, vel venatione jaculum mittit, & casu hominem occidit, est irregularis: quia talia opera debent ab eo esse penitùs aliena.*

Synod. Farfensis, sub Carolo Card. Barberino, c. 21. n. 6. pag. 184.

Et in accurata Synodo Farfensi decernitur, ut Clerici *à venationibus, in quibus canum, armorum, clamorumque strepitus intervenire solent, omninò abstineant; neque hoc, aut qualicumque alio prætextu, ullum armorum genus, de die vel de nocte ubilibet, sub pœnis amissionis eorundem, pecuniariis, carceris, aliisque juxta Edictum nostrum, pro loci, temporis, armorumque ratione, ferre audeant, nisi in itinere, vel aliter imminente periculo: & tunc quoque licentiam à Nobis, vel Vicario nostro generali, in scriptis obtinendam esse intelligant.*

In

In Concilio etiam Beneventano sic statuitur: *Clerici & Religiosi venationibus aut aucupationibus non intendant: Religiosi quam maximè per Decretalem:* Ne in agro: De statu Monachorum, *superiùs allegatam, graviter punientur.* Concil. Benevent. ann. 1374. cap. 11.

Illicitæ venationes, inquit Cardinalis Ursinus in recenti Concilio Beneventano, *præsertim tormento bellico, quod sclopum vocant, antiquis Patribus ignoto, tum Episcopis, tum Clericis inferioribus inhibentur; eisdemque mandatur, ne canes aut accipitres ad venandum nutriant.* Concilio Benevent. ann. 1693. tit. 1. c. 11.

Et in Synodo Ravennatensi statuitur, ut *venationis vitio Clerici dediti non sint, artibus & officiis quibuscumque à Clericali proposito abhorrentibus non insistant: tabernas, hospitia, seu diversoria ne frequentent, nisi itineris & necessitatis gratia: Qui in prædictis offenderit, 25. scutorum pœnam luet.* Synod. Ravennat. ann. 1607. de Vita Clericor. num. 21.

Alexander Sperellus, Episcopus Eugubinus, variis libris in lucem editis celeberrimus, graviter Clericos monet in Synodo his verbis: *Venationem Clericis à Sacris Canonibus interdictam fuisse meminerint, à quibus, ac tabernis, nisi itineris causa, & ab artibus & ministeriis & officiis à Clericorum proposito abhorrentibus, tam publicè quam in domo privatim omninò abstineant: qui in prædictis offenderint, pœna pecuniaria locis piis applicanda plectentur.* Synod. Eugubina, ann. 1646. tit. 35. c. 8.

Novissimè Illustriss. Episcopus Amerinus, Josephus Crispinus, in Diœcesibus Prænestinâ & Albanâ Visitator Apostolicus, sic statuit: *Li Chierici non portino ne anche archibugio, ancorche per uso di caccia, sotto pena della perdita dell'armi, e di carcere. Si astengano dalle caccie illecite, come sono le clamorose, e quelle che si fanno co' cani da caccia, o quelle che si fanno con l'uso dell' ar-* Decreti generali di Visita Apostolic. ann. 1704. c. 4. §. 13.

archibugio, che fù incognito a nostri antichi SS. Padri.

Synod. Rossanen. ann. 159. cap.13.

Demùm Archiepiscopus Rossanensis, Lucius Sanseverinus, in Synodo rectè dicit, quòd *Clericorum statui illud venationis genus incumbit, quo animæ per antra peccatorum errantes, virtutum retibus capiantur, hasque feras, Domini armis, fortiter insectentur: canes verò, accipitres, retia, aliaque venationis instrumenta, venandique genera à Sacris Canonibus interdicta, Clerici omnes, cujuscumque gradus existant, sibi prohibita, sub gravi pœna, prænoscant.*

Synod. Assisiensis ann. 1689. tit.19.

Et in egregiâ Synodo Assisiensi, ab inclyto Cardinali Nerlio celebratâ, sic decernitur: *Venationes in quibus canum, armorum, clamorumque strepitus intervenire solent, à Sacris Canonibus vetitas, sub pœnis sancitis prohibemus: arma cujusvis generis, neque interdiù neque noctu, sub pœna scutorum decem, aliisque arbitrio nostro irrogandis, deferre liceat.*

Quæst. 9. Amentes, infantes, & illi omnes, qui voluntariè committunt homicidium facti, incurrunt-ne irregularitatem?

Clement. Si furiosus de homic.

Resp. Clemens Papa V. in Concilio Viennensi hanc definivit quæstionem, his verbis: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit: & idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat invasorem.*

Concil. Trid. sess. 14. de ref. c.7.

Verùm videtur, quòd Concilium Tridentinum aliquantulùm temperavit hanc Clementinam, dicens: *Si homicidium non ex proposito, vel casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defendat, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum*

Ordi-

Ordinum, & Altaris ministerium, & Beneficia quæcumque ac dignitates, jure quodammodo dispensatio debeatur: committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitano, seu viciniori Episcopo; qui non nisi causa cognita, & probatis precibus, ac narratis, nec aliter, dispensare possit.

Apparet igitur ex hoc Concilii decreto, quòd licèt homicidium casu sine ullâ culpâ fuerit commissum, ut superiùs exposuimus, aut se defendendo, cum moderatione, inculpatæ tutelæ, opus esse in præfatis casibus dispensatione Pontificiâ, ut promoveri quis possit ad ordines; quæ tamen dispensatio non videtur recusanda, cùm fundetur in jure, & sufficit adducere causam resultantem ex veritate facti, quâ innocentia ejus, qui homicidium perpetravit casuale, aut in necessariam vitæ suæ defensionem, satis sit perspecta. Episcopus tamen tales dispensationes facilè non debet executioni mandare, neque solis partibus fidem adhibere; sed tenetur solidas habere factorum omnium quæ adducuntur, veritatis probationes, eorumque quæ in talibus dispensationibus narrantur.

Quæst. 10. Quandonam incurritur irregularitas proveniens ex delicto ratione mandati?

Resp. Incurritur, cùm mandatur alicui, ut committat homicidium, aut mutilationem injustam, sequuto effectu; quo non sequuto, nunquam incurritur irregularitas. Verùm non solùm fit quis irregularis propter mandatum, ut occidat hominem, sequuto homicidio: sed etiam propter mandatum, ut aliquis verberetur, posito quòd sequatur occisio; quia hoc homicidium, quod est merè casuale, respectu mandantis aliquem verberari, illi imputatur, quia

occa-

occasionem homicidio præbuit, propter illicitum mandatum. Ut patet expresse in Canone his verbis: *Is qui mandat aliquem verberari (licèt expressè inhibeat, ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur) irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet, vel occidat, cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.*

Cap. Is qui mandat de homicid. in 6.

Clerici incurrunt etiam hanc irregularitatem, ex delicto procedentem, quando dictant, aut proferunt sententiam mortis in aliquem; quia id expressè illis prohibitum est in Concilio generali Lateranensi sub Innocentio III. ubi sic legitur: *Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit .... nec quisquam Clericus litteras dictet, aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas.* Idem priùs decretum fuerat ab Alexandro Papa III. in Canone, pro clericis majoribus, seu qui essent in sacris Ordinibus: *Clericis,* inquit, *in sacris Ordinibus constitutis, ex Concilio Toletano, judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas; quòd si quis tale quid fecerit, honore privetur & loco.*

Cap. Sententiam, Ne clerici vel Monachi sæcul. negot. se immisc.

Cap. Clericis in sacris, eod. titulo.

Juvat tamen hìc observare cum Glossa ibidem verbo *sanguinis*: *Sed si interest tantùm, nunquid propter hoc efficitur irregularis, ut propter hoc deponatur? Non videtur, quòd debeat deponi; sed aliàs debet puniri, quia interfuit contra præceptum hujus Canonis.*

Innocentius autem Papa IV. explicans verbum: *Intersit*, hujus Canonis, ait, *Intersit: hoc non facit irregularitatem, nisi authoritatem præstans vel auxilium.*

Le-

Legimus in Concilio Matiſconenſi : *Cognovimus etiam, quoſdam Clericorum infrunitos, ad forales eorum Sententias frequenter accedere. Propterea prohibitionis eorum acceſſus hunc Canonem protulimus, definientes, ut ad locum examinationis reorum nullus Clericorum accedat, neque interſit atrio ſauciolo, ubi pro reatus ſui qualitate quiſpiam interficiendus eſt. Si tamen nunc aliquis eorum definita contemnens, illuc acceſſerit, aut interfuerit: defraudatus honeſti honoris ſtola, illis gregibus examinatorum ſocietur, quos divinis prætulit Myſteriis.* Ex decreto hujus Concilii concludere debemus, Eccleſiaſticos non debere intereſſe morti reorum, niſi ut illis auxilio ſint, eos ad ſanctè moriendum exhortando: non tamen propterea fiunt irregulares propter authoritates ſuperiùs allatas. Concil. Matiſc. 2. an.586.ſub Pelag. 2. Can. 9.

Unde etiam in præclaro Edicto de Vita & honeſtate Clericorum, anno 1593. à Carolo Baſcapè, Epiſcopo Novarienſi, Sancti Caroli olim familiari, publicato, ſic expreſsè habetur: Clerici *non ſint præſentes dum aliquis torquetur, aut ultimo ſupplicio afficitur, niſi ut conſolatoris officium præſtent.* Carlo Veſcovo di Novara, nell' Editto della vita & honeſtà del Clero: Non ſtiano preſeti a vedere tormentare, ò fare morire alcuno, ſe pure non ci fuſſero a fare officio di conſolatore.

Et antea Sanctus Carolus expreſsè ſtatuerat: *Cum neces & cruciamenta improbis hominibus Magiſtratuum judicio illata, multitudini ſpectanda proponuntur, nullomodo Eccleſiaſtici Ordinis viri interſint; niſi eorum pia opera, conſolandique officium uſui futurum ſit illis qui ad ſupplicium ducuntur.* Concil. Provinc. 4.Mediol. part.3.pag. 170.

Præterea Eminentiſſimus Jacobus Cardinalis Boncompagnus, in Synodo Bononienſi decernit, ut Clerici *à publicis ſuppli-* Synodo Bonon. lib.3.c.1.

pliciorum spectaculis abhorreant; nisi fortè pro confortandis patientibus vocati, opus impleant charitatis. Et in Synodo Nonantulæ Eminentissimi Cardinalis de Angelis, expressè etiam habetur: *Nunquam publicis suppliciorum spectaculis intersint, nisi interdum consolandi gratia patientem*.

Synodo Nonantul. ann. 1688. cap. 7.

Illud quoque Decretum appositum est Synodo Venusina, his verbis: *Clerici animadvertant, ne in publicis suppliciorum spectaculis intersint, nisi interdùm consolandi gratia*. Vide Tom. 2. Tr. 1. cap. 8. q. 6.

Synodo Venusina, ann. 1614. de vita & hon. Cler. cap. 12.

Quod etiam graviter prohibetur à celebri Episcopo Amerino, Antonio Maria Gratiano: *Non solùm*, inquit. *ab omni nece patranda cogitandaque longè abesse Clericorum pietas atque humanitas debet, sed etiam oculos ab ejus aspectu continere. Valdè enim deforme est, Ecclesiasticum hominem in turba atque tumultu plebis, ad supplicia, quæ publicè jussu magistratus, de sontibus sumuntur, spectanda concurrentis, conspici, & intentis oculis miserorum mortes pœnasque intueri eum; quem maximè avertere ab his cruciatibus animum, & pereuntium vicem misereri convenit. Præcipimus itaque omnibus omnium ordinum Clericis, ut ne quis, cum damnati ducuntur necanturque, aut quovismodo publicè torquentur ac puniuntur, eorum suppliciis cruciamentisque intersit; nisi fortè ad pium officium consolandi eos, atque ut forti & christiano animo pœnam subeant, hortandi, adhibitus fuerit*.

Synodo Amerina, ann. 1595. cap. 668.

Statuerat prius idem eruditissimus Episcopus, ut *nemo Clericorum, nisi longa & ad talos usque demissa veste utatur. In itinere, si equo vehantur, tunica contractiori expeditiorique, infra genua tamen demissa, uti licebit*. Ita tamen ut lugubres vestes non ferant, ut vidimus Tom. 2. *Communem*, in-

Synodo Amerina, ann. 1595. cap. 653. & 658.

inquit idem Præsul, *inter sæculares homines morem, ob suorum funera lugubrem vestem sumendi, eamque, pro gradu propinquitatis quo mortuum attingebant, diu gestandi, in Clericis minimè probamus. Hos enim Deo addictos, non lugere suorum mortem decet, luctusque insigne præferre; sed animam humanis miseriis defunctam, sanctis ac piis precibus Deo commendare; ac suam erga propinquos pietatem ac benevolentiam, hoc genere officii potius, quàm vestimenti mutatione testari: & non fractum dolore atque luctu, sed constantem, æquabilem, & res humanas humaniter ferentem animum, in unumque intentum Deum profiteri. Igitur posthac qui Clericali in veste incedunt, eam, ne in parentum quidem funeribus, ponant, & cum atrata lugubrique commutent*]. Vide super hujusmodi materiâ Tom. 2. Tr. 1. cap. 9.

Quæst. Quandonam non incurritur irregularitas propter mandatum, quod locum præbet homicidio?

Resp. Primò ex S. Antonino: *Princeps qui legem condidit, cujus legis authoritate homines sunt traditi morti, non efficitur propter hoc irregularis.* Quoniam leges & statuta non sunt condita ad procurandam alicui mortem, sed potiùs ad impediendum, ne populus malè agat, metu pœnæ ab iis intentatæ. S.Ant. p. 3. tit. 29. de irregularitate in princip. cap. 2.

Secundò *Episcopus, seu quicumque alius Prælatus, vel Clericus Iurisdictionem obtinens temporalem, si homicidio, aut alio maleficio ab aliquibus in Iurisdictione sua commisso, Ballivo suo, aut alii cuicumque injungat, ut super hoc veritatem inquirens justitiæ debitum exequatur, irregularis censeri non debet, quamvis ipse Ballivus, vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit justitia mediante. Nam licèt Clericis* Cap. Episcopus, Ne Cleric. vel Monach. sæcul. negotiis se immisc. in 6.

cau-

causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cùm Iurisdictione obtinent temporalem) debent & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare.

Tertiò non incurritur irregularitas propter mandatum, quandò præcipitur, aut consulitur alicui opus licitum, ex quo verisimiliter nullum sequi debeat homicidium seu mutilatio, quamvis deinde sequatur per accidens, quòd aliquis occidatur aut mutiletur; quia præcipiens, aut consulens in tali casu, nihil fecit illicitum, nec culpam aliquam, aut negligentiam perpetravit prævidendo quod accidere debebat; proindeque cùm homicidium sit omninò casuale, & sine ullâ ejus culpâ, nullam propterea incurrit irregularitatem; ut patet ex Innocentio Papa IV. in explicatione Canonis, qui ait: *Sed si insisteret consilio liciti operis, ut quòd caperetur maleficus, vel alter consimilis; tunc non fit irregularis consiliarius, etiamsi capiens maleficum, eum occidat, quia hoc non consuluit*: sed consuluit solùm rem justam, scilicet quòd caperetur maleficus.

Innoc. IV. ad audientiam de homicid. volunt. num. 1.

Idem dicendum de Domino, vel Patre mandante alicui discretæ personæ, ut moderatè servum verberet, vel filium ob aliquam culpam. Hic enim Dominus vel Pater non incurrunt irregularitatem, licèt accidat, ut servus, vel filius in executione occidatur.

Denique ex eodem Innocentio IV. ibidem numer. 5. non incurritur irregularitas quando retractatur mandatum ante executionem; sic enim habet: *In eo autem qui mandasset fieri homicidium pro se, videretur sufficere, si tantùm contrarium mandaret, vel si pacem iniret cum occidendo, vel parentelam, vel aliam amicitiam cum eo contrahe-*

ret,

ret, sciente eo cui mandatum erat de occidendo: quia quando mandato alterius, & pro alio tantùm fiebat homicidium, videtur quòd contrario mandato, vel contraria voluntate ostensa, debet ab homicidio cessare. Et ita ex hoc ratiocinio, licèt homicidium sequatur, malitia occidentis est sola illius causa, & ille qui consilium dederat, quod posteà retractavit, nullo modo concurrit ad illud, ideoque non fit irregularis.

Quæst. 12. Quomodò incurritur irregularitas proveniens ex delicto ratione consilii inducentis ad committendum homicidium?

Resp. Consilium in casu homicidii eumdem habet effectum, ac mandatum respectu irregularitatis, cum hoc solo discrimine juxta Innocentium IV. in explicatione ejusdem capitis *ad audientiam*, quòd: *Non interest, si ille cui consulitur homicidium, statim faciat homicidium post consilium, vel post etiam longo tempore interposito: nisi contrarium dissuaderet, & primum consilium revocaret. Imò & plus videtur necesse, quòd etiam illi, de cujus morte tractatum est, denuntiet, quòd sibi caveat; nisi firmiter & probabiliter credat, quòd post revocationem consilii revocetur ille cui consultum est homicidium, à proposito occidendi..... Vbi non fit homicidium pro alio, sed pro se, ille qui consuluit, semper debet contrà suadere, & etiam plus facere, si hoc dictat conscientia, cautè tamen, ne prodat. Si autem antequàm revocetur consilium, procedat, sed postquàm consulens jam pœnituerat; tunc videtur quòd irregularis sit, quamvis tempore homicidii fuerit in charitate.* Innoc. IV. in cap. ad audientiã, de homic. n.2.& 3.

Observandum præterea est, quòd irregularitas faciliùs incurritur consulendo rem illicitam, quàm si licita consulatur. Et

sanè

causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen (cùm Iurisdictionē obtinent temporalem) debent & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare.

Tertiò non incurritur irregularitas propter mandatum, quandò præcipitur, aut consulitur alicui opus licitum, ex quo verisimiliter nullum sequi debeat homicidium seu mutilatio, quamvis deinde sequatur per accidens, quòd aliquis occidatur aut mutiletur; quia præcipiens, aut consulens in tali casu, nihil fecit illicitum, nec culpam aliquam, aut negligentiam perpetravit prævidendo quod accidere debebat; proindeque cùm homicidium sit omninò casuale, & sine ullâ ejus culpâ, nullam propterea incurrit irregularitatem; ut patet ex Innocentio Papa IV. in explicatione Canonis, qui ait: *Sed si insisteret consilio liciti operis, ut quòd caperetur maleficus, vel alter consimilis; tunc non fit irregularis consiliarius, etiamsi capiens maleficum, eum occidat, quia hoc non consuluit*: sed consuluit solùm rem justam, scilicet quòd caperetur maleficus.

Innoc. IV. ad audientiam de homicid. volunt. num. 1.

Idem dicendum de Domino, vel Patre mandante alicui discretæ personæ, ut moderatè servum verberet, vel filium ob aliquam culpam. Hic enim Dominus vel Pater non incurrunt irregularitatem, licèt accidat, ut servus, vel filius in executione occidatur.

Denique ex eodem Innocentio IV. ibidem numer. 5. non incurritur irregularitas quando retractatur mandatum ante executionem; sic enim habet: *In eo autem qui mandasset fieri homicidium pro se, videretur sufficere, si tantùm contrarium mandaret, vel si pacem iniret cum occidendo, vel parentelam, vel aliam amicitiam cum eo contraheret,*

ret, sciente eo cui mandatum erat de occidendo: quia quando mandato alterius, & pro alio tantùm fiebat homicidium, videtur quòd contrario mandato, vel contraria voluntate ostensa, debet ab homicidio cessare. Et ita ex hoc ratiocinio, licèt homicidium sequatur, malitia occidentis est sola illius causa, & ille qui consilium dederat, quod posteà retractavit, nullo modo concurrit ad illud, ideoque non fit irregularis.

Quæst. 12. Quomodò incurritur irregularitas proveniens ex delicto ratione consilii inducentis ad committendum homicidium?

Resp. Consilium in casu homicidii eumdem habet effectum, ac mandatum respectu irregularitatis, cum hoc solo discrimine juxta Innocentium IV. in explicatione ejusdem capitis *ad audientiam*, quòd: *Non interest, si ille cui consulitur homicidium, statim faciat homicidium post consilium, vel post etiam longo tempore interposito: nisi contrarium dissuaderet, & primum consilium revocaret. Imò & plus videtur necesse, quòd etiam illi, de cujus morte tractatum est, denuntiet, quòd sibi caveat; nisi firmiter & probabiliter credat, quòd post revocationem consilii revocetur ille cui consultum est homicidium, à proposito occidendi..... Ubi non fit homicidium pro alio, sed pro se, ille qui consuluit, semper debet contrà suadere, & etiam plus facere, si hoc dictat conscientia, cautè tamen, ne prodat. Si autem antequàm revocetur consilium, procedat, sed postquàm consulens jam pœnituerat; tunc videtur quòd irregularis sit, quamvis tempore homicidii fuerit in charitate.*

Innoc. IV. in cap. ad audientiâ, de homic. n.2.& 3.

Observandum præterea est, quòd irregularitas faciliùs incurritur consulendo rem illicitam, quàm si licita consulatur. Et

sanè

ſanè irregularitas tantùm locum habet conſulendo rem licitam, quando directè tendit ad committendum homicidium, ut ſi conſulatur occiſio talis viri, qui eſt inimicus reipublicæ, proſcriptus, & à Principe morte damnatus, licèt non conſulatur res injuſta; tamen cùm hoc conſilium tendat directè ad mortem, neceſſe eſt, ut irregularitas incurratur. Hac de cauſa Clerici, qui in exercitu agunt Capellanos, vel aliter, non fiunt irregulares hortando milites ad ſtrenuè pugnandum in bello juſto, modò ipſi neminem occidant, vel mutilent.

Sed è contra, ſi conſilium eſt de re illicita, non ſolùm irregularitas locum habet, quando directè tendit ad occidendum, ſed etiam quando hoc conſilium tendit ad faciendum aliquid, quod ſit cauſa propinqua mortis alterius; ut docet Abbas Panormitanus his verbis: *Hæc nota, quia extendunt jura dicentia, quem effici irregularem ex ſolo conſilio, ut procedant nedum quando directè conſuluit in mortem alicujus, ſed etiam quando præſtatur cauſa propinqua ad mortem. Et hoc intellige, ubi conſulitur res illicita, ſecundùm Innocentium.*

Abbas Panormit. in cap. Ad audientiam, De homic. voluntario vel caſual.

Hìc adverte, quædam eſſe generalia & indeterminata conſilia, quædam verò determinata ad aliquem ſpecialem caſum, V.G. ſi magiſtratus petit ab aliquo, quânam pœnâ mulctandi ſunt prædones, non loquendo de aliquo reo in individuo; ille qui reſpondet eos damnandos eſſe morte, vel aliâ pœnâ, conſilium tantùm præbet generale & indeterminatum, propter quod non incurritur irregularitas: ſed è contra ſi agatur de caſu particulari, putà de furto vel de homicidio commiſſo à tali, & petat Judex, quâ ſit pœnâ mulctandus, qui reſpon-

pondet, eum morte puniri debere, incurrit irregularitatem, si ejus consilium inducat judicem ad hanc condemnationem, & dicitur irregularitas ex defectu, si consiliarius sit Laicus, si verò sit Ecclesiasticus, est irregularitas ex delicto, quia prohibitum est Clericis se in causa sanguinis immiscere. Quare Clerici debent esse admodùm cauti in his casibus, respondendo solùm in genere, si interrogati fuerint: facite quod leges decernunt, legite bonos authores, qui de his criminibus agunt, consulite peritos Laicos in his rebus versatos; & id generis.

Quæst. 13. Quandonam incurritur irregularitas proveniens ex delicto, propter defensionem, vel auxilium præstitum in homicidio, vel mutilatione?

Resp. Quamvis antiqui Canonistæ acceperint defensionem, prout in Canone suprà citato, pro irregularitate, quam incurrebant utique in antiquo jure, qui aliquem occidebant, defendentes se etiam cum moderamine inculpatæ tutelæ; tamen communior opinio est, quòd hæc defensio, de qua sermo est in Canone, respicit irregularitatem quam incurrunt, qui defensionem, vel auxilium præstant alicui in committendo homicidio. Ut patet ex Alexandro Papa III. relato in Canone, qui ait: *Illi enim qui non ut ferirent, sed ut percussoribus opem ferrent, si fortè per aliorum violentiam impedirentur, paulò minori debent pœna mulctari: quia cùm scriptum sit: Qui potuit hominem liberare à morte, & non liberavit, eum occidit, constat ab homicidii reatu immunes non esse, qui occisoribus opem contra alios præstare venerunt.*

Cap. Sicut dignum de homicid. voluntar. vel casuali, §. illi etiam.

Præterea Judex, testes, Notarius, Advocatus & hujusmodi, qui efficaciter con-

fe-

ferunt ad mortem hominis, quem sciebant innocentem, vel non debere mulctari pœnâ capitali, contrahunt hanc irregularitatem ex delicto provenientem. Idem est de Clericis, quamvis judicium foret justum; quia nunquam illis licet se in causa sanguinis immiscere. Attamen possunt deferre ad judices eos, à quibus acceperunt injuriam, absque metu incurrendæ irregularitatis; modò servent conditionem appositam in Decretali, in qua sic habetur: *Prælatis, vel Clericis quibuscumque, qui de Laicis suis malefactoribus querelam penes sæcularem judicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, & provideri, ne contra eos talia de cætero præsumantur, protestando expressè, quòd ad vindictam, seu pœnam sanguinis non intendunt, imputari non debet, quamvis aliàs in tali casu de jure debeat pœna sanguinis irrogari, si judex mortem illi inferat, justitia exigente. Alioquin si Prælati aut Clerici propter metum hujusmodi (quia judex ad pœnam sanguinis posset procedere) de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè deprædandi. Notandum* hìc cum Cardinali Hostiensi, *quòd dicitur præter voluntatem; nam si intentio nostra erat, ut ad mortem damnaretur, irregulares essemus, quibuscumque verbis fuerit intentio velata, licèt per Ecclesiam non prohibeamur, nisi ei constet per Confessionem, vel probationem.*

Cap. Prælatis, de homicid. in 6.

Card. Hostiensis in summa tit. de homicid. §. 4. num. 5.

Hęc eadem irregularitas incurritur etiam ex delicto, quando alicui præbetur gladius, quo scimus uti velle ad duellum, vel ad aliquem occidendum, posito, quòd homicidium sequatur, vel mutilatio.

Quæst. 14. Quot modis potest incurri irregularitas ex defectu in homicidio?

Resp.

Resp. Hæc irregularitas ex defectu, ut diximus, incurritur in homicidio, vel mutilatione justâ, & sine crimine: sic Judices, Notarii, Advocati, & alii Ministri justitiæ, qui cùm sint Laici concurrerunt ad mortem, vel mutilationem rei, contrahunt hanc irregularitatem ex defectu. Idem dic de testibus, accusatoribus, consiliariis & hujusmodi. Prætereà milites, qui probabiliter aliquem occiderunt, vel mutilaverunt in bello justo, sunt irregulares defectu lenitatis.



TRACTATUS SEPTIMUS.

De sexto Decalogi Præcepto.

HOc præceptum continetur his duobus verbis, *Non mœchaberis*, Exodi cap. 20. quamvis obligationes quas imponit, aliundè latè pateant: etenim omnem prohibet obscœnitatem, & videtur dici posse, quòd Deus nobis ostendere hac brevitate voluit, non expedire, ut quis in hac materia prolixior sit; quia, ut ait Catechismus Concilii Tridentini: *Verendum est enim, ne dum is latè atque copiosè nimis explicare studet, quibus modis homines ab hujus legis præscripto discedant, in illarum rerum sermonem fortè incidat, undè excitandæ libidinis potiùs materia, quàm restinguendæ illius ratio emanare solet.* Catech. Roman. p. 3. de 6. Præcepto Decal. n. 2.

Breviter igitur ea, quæ circa hoc præceptum scire oportet Confessarios, explicabo, non meo sensu, nec ut plurimùm

etiam meis verbis, sed Scripturæ sacræ, & sanctorum Patrum & Doctorum, juxta perpetuum hujusce operis institutum.

Caput Primum.

De variis speciebus Luxuriæ.

Quæst. 1. Sola-ne mœchia, sive adulterium, hoc præcepto vetatur?

Resp. Hanc sibi quæstionem proposuit S. Augustinus, dum sic ait: *Quæri solet utrum mœchiæ nomine etiam fornicatio teneatur? Hoc enim Græcum verbum est, quo jam Scriptura utitur pro Latino; mœchos tamen Græci non nisi adulteros dicunt:* Et post pauca: *Sed si non omnis fornicatio etiam mœchia dici potest, ubi sit in Decalogo prohibita illa fornicatio, quam faciunt viri qui uxores non habent, cum fœminis quæ maritos non habent, utrùm inveniri possit ignoro. Sed si furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ; non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi auferetur: profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi.* Et ita possumus cum Catechismo Romano indubitanter asserere, *hujus præcepti duplicem esse vim; alteram, qua disertis verbis adulterium vetatur: alteram, quæ eam sententiam inclusam habet, ut animi corporisque castitatem colamus.*

S. Aug. in septem lib. q. lib. 2. q. super Exod. n. 71.

Catechis. Côc. Trid. p. 3. de 6. Præcepto Decal. n. 3.

Quæst. 2. Quot sunt species fornicationis, seu luxuriæ, quæ hoc præcepto generaliter prohibetur?

Resp. Septem vulgò luxuriæ assignantur spe-

species, videlicet fornicatio simplex, stuprum, adulterium, incestus, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturam. Licèt enim sanctus Thomas sex tantùm species enumeret, dum sacrilegium reducit ad speciem adulterii: *Quia mulier vovens continentiam, quoddam spirituale matrimonium facit cum Deo; & ideò sacrilegium quod committitur in violatione talis mulieris, est quoddam adulterium spirituale. Et similiter alii modi sacrilegii reducuntur ad alias species luxuriæ*: Tamen nomine tenùs videtur tantùm discrepare ab aliis qui septem assignant, dum quod alii sacrilegium vocant, adulterium spirituale appellat. Unde etiam de hac sacrilegii specie seorsim differit Doctor Angelicus art. 10.

S.Tho.2.2. q.154. art. 1.ad 3.

S.Tho.2.2. q.154.p.10.

Quæst. 3. Quid est fornicatio simplex?

Resp. Hæc fornicatio specifica nihil aliud est, quàm viri soluti cum soluta muliere concubitus extra matrimonium: id est hominis qui nullo conjugii vinculo, aut castitatis voto, aut Ecclesiastici vel religiosi Ordinis status conditione obligatus est, cum fœmina, quæ nec virgo est, nec conjugio aut aliquo voto castitatis, aut religiosi status susceptione obstricta, impudica commixtio.

Quæst. 4. Fornicatio simplex est-ne peccatum mortale ex natura sua?

Resp. Certum est, fornicationem esse ex genere suo peccatum mortale, dicente Apostolo, quòd *neque fornicarii, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt*. Sed hujus peccati gravitatem clariùs aperit, dum ita loquitur: *Nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi? tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Et rursus: *Fugite fornicationem*.

1. ad Cor. c.6.9.

Ibid. 15.

Ibid. 18.

Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat. An nescitis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri? empti enim estis pretio magno. Glorificate & portate Deum in corpore vestro. Facit, juxta eundem Apostolum, gravem Deo injuriam, eumque jam in corpore suo portare non potest; imò de templo illum suo atque habitaculo turpiter expellit, qui corpus suum, id est, Dei templum, fornicatione polluit: quod quàm grave sit crimen, hæc ejusdem Apostoli verba significant: *Si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus*. Et in alio loco: *Omnis fornicator aut immundus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*. Et in Epistola ad Hebræos: *Fornicatores & adulteros judicabit Deus*, id est, condemnabit. Demum Sanctus Joannes in Apocalypsi asserit, quòd *fornicatoribus pars erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda*. Neque verò lex Mosaica hoc crimen intactum reliquit; nam prætérquàm quòd simplex fornicatio, ut diximus, in sexto præcepto: *Non mœchaberis*, continebatur, in Deuteronomio prohiberi censetur fornicatio, his verbis: *Non erit meretrix in filiabus Israel, nec scortator de filiis Israel*. Unde gravissima pœna statuitur adversùs illam quæ fornicata est ante matrimonium, his verbis: *Si non est in puella inventa virginitas, ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis illius, & morietur; quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui*. Et in mandatis quæ Tobias senior filio dedit, ita loquitur: *Attende tibi, fili mi, ab omni fornicatione, & præter*

[Margin notes: 1. ad Cor. c. 3. 17. — ad Ephes. c. 5. 5. — ad Hebr. c. 13. 4. — Apocalyp. c. 21. 8. — Deuteron. c. 23. 17. — Deuteron. c. 22. 21. — Tobiæ, c. 4. 13.]

ter uxorem tuam numquam patiaris crimen scire. Eandem veritatem unanimis Patrum & Canonum consensus firmat. Nam ut alios brevitatis causâ prætercam, rem paucis verbis definit Sanctus Chrysostomus, dum ait: *Quoties scortatus es, toties damnasti teipsum*. Et in Canone qui Eutichiano Papę in Decreto Gratiani tribuitur, inter graviora delicta, quibus severior imponenda erat pœnitentia, annumeratur fornicatio, his verbis: *Nosse debent, talem de perjurio pœnitentiam imponi debere, qualem & de adulterio, & de fornicatione, & de homicidio sponte commisso, & de cæteris criminalibus vitiis*. Demùm Innocentius XI. hanc propositionem damnavit: *Tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur*.

S. Chrys. hom. 2. in Ep. 2. ad Cor.c.10. Can. Prædicandum 22. q.1.

48. Propos. damnata ab Innoc. XI. in Decreto contra 65. Propositiones dato die 2. Martii 1679.

Quæst. 5. Inter fornicationes simplices, suntne aliæ aliis graviores?

Resp. Sunt equidem: nam fornicationes cum concubina, aut cum meretrice graviores sunt cæteris: quia in meretrice sæpiùs impeditur non tantùm bona educatio nasciturae prolis, sed etiam ne penitùs nascatur proles. Unde etiam in hujus sceleris detestationem: *Non offeres*, inquit Deus in lege Mosaica, *mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei tui, quidquid illud est quod voveris; quia abominatio est utrumque apud Dominum Deum tuum*. Concubina vocatur fornicaria fœmina, quæ quidem publicum prostibulum non est, sed ad hoc tenetur ab aliquo, sive in domo propria, sive etiam alibi, ut quoties libuerit, cum ea fornicetur. Ideoque concubinatus est gravior aliis simplicibus fornicationibus; quia in eo homo

Deuteron. c.23.18.

non solùm peccat, sed etiam manet in statu peccati, & in continuo proposito, saltem virtuali, peccandi; unde concubinarii nullo modo sunt absolvendi, quin priùs concubinas ejiciant, si in domo sint, quamvis mors immineat, nisi tempus ejiciendi omninò desit, nam tunc sufficeret verum ejiciendi propositum: sed extra instantis mortis periculum, primitùs & ante omnia necesse est, ut concubina expellatur; quòd si domi non sit, aliqua est experientia sumenda de illius concubinarii continentia, antequàm absolvatur, ut in tractatu de Pœnitentia fusiùs diximus, dum de iis qui in aliqua occasione peccandi proxima versantur, locuti sumus tomo 3. tract. 6. cap. 9. n. 7. & cap. 12. per totum. Quæ doctrina Rituali Romano & Decretis Summorum Pontificum confirmatur. Nam 1. Alexander VII. sequentem propositionem damnavit: *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo regalo, dum deficiente illa nimis ægrè ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.*

Ritual. Rom. de sacr. Pœnit. vers. Videat autem.

Alexander VII. in Decreto contra 54. Propositiones morales 18. Martii 1666. 41. Propositio damnata.

Deinde Innocentius XI. propositiones quæ sequuntur condemnavit.

Innocent. XI. in Decret. contra 65. Propositiones morales die 2. Martii 1679.

LVIII. Propositio damnata: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.*

LX. Propositio damnata: *Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra Legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio, dummodò ore proferat, se dolere & proponere emendationem.*

LXI. Propositio damnata: *Potest ali-*

quan-

quando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quin imò directè & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

LXII. Propositio damnata: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.*

Quæst. 6. Sunt-ne aliquæ pœnæ adversùs concubinarios in jure statutæ?

Resp. Variæ in Canonibus pœnæ statutæ reperiuntur, quas Concilium Tridentinum innovavit his verbis: *Grave peccatum est, homines solutos concubinas habere; gravissimum verò, & in hujus magni sacramenti singularem contemptum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere, ac audere eas quandoque domi etiam cum uxoribus alere, & retinere. Quare, ut huic tanto malo sancta Synodus opportunis remediis provideat, statuit, hujusmodi concubinarios, tam solutos, quàm uxoratos, cujuscumque status, dignitatis & conditionis existant, si, postquàm ab Ordinario, etiam ex officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommunicatione feriendos esse; à qua non absolvantur, donec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quòd si in concubinatu per annum censuris neglectis permanserint, contra eos ab Ordinario severè, pro qualitate criminis, procedatur. Mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris seu concubinariis publicè vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpæ puniantur; & extra oppidum, vel diœcesim, si id iisdem Ordinariis videbitur, invocato, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur: aliis pœnis contra adulteros & concubinarios* Côc. Trid. sess. 24. de refor. Matrim. c.8.

inflictis, in suo robore permanentibus. Concilii autem œcumenici Decretum variæ Synodi provinciales, præsertim in Gallia habitæ, iisdem ferè verbis, suis Canonibus inseruerunt: & in Concilio Bituricensi cautum est, ut *concubinarii cujuscumque status, dignitatis, aut conditionis, anathemate feriantur, donec resipuerint*. Concilium verò Narbonense statuit, ut *moneant Parochi, eorumque Vicarii diebus Dominicis è suggesto, quod Pronum vocant, populo ad rem divinam audiendam congregato, concubinarios & adulteros publicos, tam reipsa, quàm nomine, aut alio modo cognitos & manifestos, matrimonii vinculo conjunctos vel solutos, ut meretrices & concubinas procul expellant, ne excommunicationem incurrant: quos lapsis octo diebus, habita hujusmodi monitionum cognitione, nisi resipuerint, excommunicatos esse Concilium decrevit: & ubi in jus inquisitione in eos facta, aut alio modo posteà vocati fuerint, tanquàm Sacramenti conjugalis contemptores, ac nisi ab hoc vitio destiterint, hæreseos nomine suspecti, digno supplicio afficiantur*.

Conc. Rothomagése ann. 1581. tit. de Matrim. n. 14.
Concil. Aquense ann. 1585. tit. de matrimonio.
Concil. Avenion. ann. 1594. tit. 61. de concubinariis.
Concil. Burdigal. ann. 1624. cap. 7. de matrim. parag. 7. de concubin.
Concil. Bituric. ann. 1584. tit. 7. de matrim. can. 10.
Concil. Narbon. an. 1551. de Sacram. Matrim. num. 54.

Quæst. 7. Fornicatio potest-ne in aliquo casu non esse peccatum mortale?

Resp. In his casibus, in quibus fornicatio non est voluntaria, est sine peccato; & ita fœmina quæ vim passa est, potest non peccasse, si nullo modo consenserit. *De pudicitia*, inquit Sanctus Augustinus in Canone, *quis dubitaverit, quin ea sit in animo constituta, quandoquidem virtus est? Unde à violento stupratore eripi nec ipsa potest*. Et Sanctus Hieronymus ibidem: *Corpus mulieris non vis maculat, sed voluntas*. Quia, ut ait Sanctus Augustinus, *usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nisi*

S. August. lib. 1. de lib. arbitr. c. 5. refertur in can. de pudicitia 32. q. 5.
S. Aug. lib. 1. Retract.

sit

sit voluntarium, nullo modo sit peccatum. Sed quod de puellâ vim passâ dicitur, locum non habet in viro, qui est agens, & ita non potest fornicari sine aliquo consensu, licèt coacto: & timor cadens in virum constantem, non potest excusare; quia, ut ait Angelicus Doctor, *si aliquis propter timorem, quo refugit periculum mortis, vel quodcumque aliud temporale malum, sic dispositus est, ut faciat aliquid prohibitum, vel prætermittat aliquid quod est præceptum in lege divina, talis timor est peccatum mortale.* Præterea phreneticus aut amens in tali actu non peccaret, sicut nec etiam omninò ebrius, nisi antea illius peccati periculum prævidere debens, sibi cavere noluisset, ut diximus fusiùs tom. 1. tractatu 1. capite 11. nam tunc ebrietas illum à peccato non excusaret: *Aliquid enim,* inquit Sanctus Thomas, *potest esse voluntarium, vel secundùm se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur; vel secundùm suam causam, quando voluntas fertur in causam, & non in effectum, ut patet in eo qui voluntariè inebriatur; ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit.*

c. 13. Refertur in princ. apud Gratian. 15. q. 1.

S. Tho. 2. 2. q. 125. ar. 3. in corp.

S. Tho. 2. 2. q. 77. a. 7. in corp.

Quæst. 8. Quid est stuprum, & obligat-ne ad restitutionem?

Resp. Gravius fornicatione simplici est stuprum, quod est concubitus, quo mulier virgo extra matrimonium defloratur, sive corrumpitur; unde necessariò videtur aperienda stupri species in confessione, sive à viro qui eam, quam putabat virginem, defloravit, sive à virgine, quæ sic virginitatem amisit. Stuprum autem *fit deformius peccatum luxuriæ,* ex Sancto Thoma, *ex peccato injustitiæ; quia videtur concupiscentia esse inordinatior, quæ à delectabili*

S. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 6. ad 3.

non abstinet, ut injuriam vitet; habet autem duplicem injuriam annexam: unam quidem ex parte virginis, quam etsi non corrumpat, tamen eam seducit; & sic tenetur ei satisfacere. Vnde dicitur Exod. 22. Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Si autem pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt. Aliam verò injuriam facit patri puellæ; unde ei secundùm Legem tenetur ad pœnam: dicitur enim Deuter. 22. Si tenuerit vir puellam virginem, quæ non habet sponsum, & apprehendens concubuerit cum illa, & res ad judicium venerit: dabit qui dormivit cum ea, patri puellæ quinquaginta siclos argenti, & habebit eam uxorem.

Deuteron. c. 22. 8.

Notandum autem, quòd licèt Lex Exodi suprà relata ex se non obliget in novo Testamento, quia est tantùm judiciaria, non moralis; tamen vim obligandi etiam nunc accepisse videtur, dum in Jure Canonico, & Decretalibus Gregorii fuit apposita, unde etiam secundùm eam in foro externo judicatur: *In foro autem conscientiæ*, inquit sanctus Antoninus, *sic agendum videtur secundùm Guillelmum. Si deflorat eam voluntariam, non tenetur ei, patri autem tenetur, quia injuriatus est ei: unde in aliquo satisfaciat, vel saltem eum placet. Si autem seduxit, puta promissionibus & mendaciis, non videtur fuisse voluntarium: invitam ergo & seductam si constupravit, injungendum est, quòd satisfaciat ad arbitrium boni viri, vel cum ea componat; & si promisisset eam ducere in uxorem, ut copulam ab ea extorqueret, servet promissum, & multò magis juramento firmatum. Et hoc nisi nimis distans esset eorum conditio, putà*

Cap. 1. de Adulterio & Stupro.

S. Ant. p. 2. tit. 5. c. 6. de stupro. perag.

mu-

mulier plebeja, vir nobilis & potens; non enim mulier præsumitur fraudem ignoraße: vel etiam si magnum aliquod scandalum inde creditur proventurum, & tunc petat remissionem promissi, & aliter faciat secundùm suam facultatem, & mulieris indigentiam. In hac materia nimis immorari non expedit; ideò breviter dicendum videtur, quòd illud omne damnum, quod ex stupro accidit, ille qui ejus author fuit, tenetur ex justitiâ omni meliori modo resarcire; præsertim si vim aliquam, aut nimis importunas preces, aut falsas persuasiones adhibuerit, ut ferè fit, ita ut dici possit, virginem fuisse seductam: quin imò licèt omninò spontaneus fuerit consensus virginis, tamen parentum injuria & damnum debet aut matrimonio, aut dotatione regulariter reparari, præsertim si res ad notitiam hominum devenerit, etiam in foro conscientiæ; ut patet ex doctrinâ sancti Thomæ, & sancti Antonini superiùs relatâ.

Quæst. 9. Quid est adulterium?

Resp. Adulterium est alieni tori violatio. Tribus autem modis committi potest, aut per concubitum conjugati cum soluta, aut conjugatæ cum soluto, aut denique conjugati cum conjugata aliena: in quo casu duplex ex utraque parte est adulterium. Hujus sceleris gravitatem variis in locis Scriptura sacra describit, & imprimis in Ecclesiastico: *Dedecus erit omnibus mulier omnis relinquens virum suum, & statuens hæreditatem ex alieno matrimonio; primò enim in lege Altissimi incredibilis fuit; secundò in virum suum deliquit; tertiò in adulterio fornicata est, & ex alio viro filios statuit sibi .... dedecus illius non delebitur.* Et in Proverbiorum libro quasi leve pecca-

Can. Lex illa, 36. q. 1.

Ecclesiast. c. 23. 3.

Prov. c. 6. v. 30. tum reputatur furtum præ adulterio, his verbis: *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam, deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet. Qui autem adulter est, propter cordis inopiam perdet animam suam: turpitudinem & ignominiam congregat sibi, & opprobrium illius non delebitur.* Unde etiam graviter admodùm puniebatur adulterium

Levit. c. 20 in veteri Lege, in qua scriptum est: *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetravit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Cæterùm dubitari non potest, quin verum sit adulterium, quotiescumque alienus torus violatur, etiamsi conjux alter id non ægrè ferat, imò etiam expresè consentiat; & propositio contrarium errorem continens, fuit haud ita pridem à summo Pontifice damnata.

Innoc. XI. in Decret. contra 65. Proposit. morales dato die Martii 1679.

L. Propositio damnata: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; atque adeo sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.*

Quæst. 10. Ex adulterio commisso tenetur ne quis ad restitutionem?

Resp. Certum est, adulterum, seu adulteram, ex justitia teneri in solidum restituere omnia damna, quæ ex illorum adulterio patiuntur filii legitimi, aut etiam maritus, & ejus hæredes, sive propter infamiam quæ inde sequuta est, sive propter impensas factas in alimentis & similibus datis supposititio filio, sive etiam propter hæreditatem quâ spoliati sunt in

6. Raym. in summa lib. 2. tit. de raptorib. parag. 10. totum, aut ex parte, filii legitimi aut alii hæredes. *Mulier*, inquit Sanctus Raymundus, *quæ de adulterio suscepit filium, vel supposuit sibi alienum partum, debet laborare*

rare

rare quibuscumque modis potest, ut legitimi hæredes non fraudentur hæreditate paterna; cautè tamen, revelare enim simpliciter marito, vel etiam ipsi spurio, vel supposito, non expedit, tum quia guerræ, homicidia & adulteria fierent, cùm maritus fortè dimitteret eam, & non valentes forsitan continere, utrique adulterarentur, & alia multa pericula possunt oriri, quia fortè non crederent sibi. Ex altera parte non videtur, quòd possit agere pænitentiam, vel esse in statu salvandorum, durante tali deceptione; quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Can. Si res aliena 14. q. 6. *Verùm quia propter hoc non est ei pænitentia deneganda, ut ait Innocentius cap.* Officia, extra de pœnit. *ita procedat. Revelet in pænitentia factum suo Sacerdoti Parochiali, vel de licentia ipsius, alii magis perito, & posteà cum ipso, vel etiam sine ipso, si vult, revelet Episcopo suo similiter in pænitentia: & tunc Episcopus, vel etiam Sacerdos, si tantæ discretionis, vel maturitatis sit, vel quod tutius est, ambo simul inquirant diligenter & cautè, si ille spurius, vel suppositus sit homo spiritualis & timẽs Deum: quo invento, vocent eum secretò, & coram muliere, & si videbitur expedire, recepto priùs sacramento ab ipsa, quòd calumniosè non procedat, & etiam ab illo quòd factum secretum teneat: poterunt revelare sibi, & inde consulere, ut ingrediatur Religionem, vel transferat se ad longinquam regionem, ut sic nihil percipiat de bonis illius, quem credebat esse patrem suum. Si verò illi spurio, vel supposito non potest revelari sine periculo; vel etiam facto sibi revelato secundùm formam prædictam, non vult acquiescere consilio: tunc etiam injungatur mulieri, quòd de sponsalitio suo, vel aliis rebus quas habet, vel in futurum habere poterit, satisfaciat juxta posse, dolens semper*

de

de peccato; & quia non potest plenè satisfacere, proponens firmiter in animo, quod satisfaciet quàm citò poterit. Hoc tamen fiat per medium pœnitentialem, vel personam religiosam secretò & cautè, & potest uti his verbis: Quædam persona tenetur vobis in hoc, accipite: & ita erit in bono statu. Ad eandem restitutionem teneretur adulter, cùm scit filium natum, esse suum, quem idcircò ipsemet alere teneretur.

Quæst. 11. Quid est incestus, & unde illius peccati gravitas desumitur?

Resp. Incestus est copula nefaria cum consanguinea aut affine, intra quartum, aut proximiorem gradum; quod intelligitur extra matrimonium cum legitima dispensatione contractum. Tribus potissimùm de causis gravissimum est scelus, quod per

S. Ant. p. 2. tit. 7. cap. 5 §. 2.

incestum committitur. *Prima ratio est*, inquit S. Antoninus, *quia naturaliter debet homo quandam honorificentiam parentibus, & per consequens aliis consanguineis, qui ex eisdem parentibus de propinquo originem trahunt, in tantum quòd apud antiquos, ut Valerius Maximus refert, non erat fas filium simul cum patre balneari, ne sic seipsos invicem nudos conspicerent. Manifestum est autem secundùm prædicta, quod in actibus venereis maximè consistit quædam turpitudo honorificentiæ contraria; unde de his homines verecundantur; & ideo incongruum est, quòd conjunctio venerea talium personarum fiat ad invicem. Et hæc ratio videtur exprimi Levitici cap.* 18. *ubi dicitur:* Mater tua est, non revelabis turpitudinem ejus. *Et idem postea dicitur in aliis. Secunda ratio est, quia personas conjunctas sanguine, necesse est ad invicem simul conversari; unde si homines tales, scilicet qui sunt consanguinei vel affines, non arcerentur à commixtione venerea, nimia op-*

por-

portunitas daretur hominibus venereæ commixtionis, & sic animi illorum nimis emollescerent per luxuriam. Et ideo in veteri Lege *illæ personæ specialiter videntur esse prohibitæ, quas necesse est simul commorari. Tertia ratio est, quia per hoc impeditur multiplicatio amicorum; dum enim uxorem extraneam quis accipit, junguntur sibi quadam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei sui.* Unde dicit Augustinus: *Habita est ratio rectissima charitatis, ut homines quibus esset utilis atque honesta concordia, diversarum necessitudinum vinculis necterentur; nec unus in una multos haberet, sed singulæ aspergerentur in singulos: ac sic ad socialem vitam diligentiùs colligendam, plurimæ plurimos obtinerent. Pater quippe & socer, duarum sunt necessitudinum nomina; ut ergo alium quisque habeat patrem, alium socerum, numerosiùs se charitas porrigit.* Porrò ex illo crimine incestus, si commissum fuerit à viro cum consanguinea conjugis suæ, vel ab uxore cum consanguineo viri usque ad quartum gradum inclusivè, nascitur impedimentum impediens matrimonium contrahendum mortuâ uxore vel marito: quia tale crimen inhabilitat ad quodcumque matrimonium contrahendum, ut patet ex Canone apposito in Decretal. Gregorii IX. ubi ita dicitur: *Si quis cum filiastra sua scienter fornicatus fuerit, nec à matre debitum petere, nec filiam unquam habere potest uxorem: nec filiastra, nec ille nullo unquam tempore aliis se poterunt matrimonio copulare.* Et ita patet, quòd ille qui sine legitima dispensatione contraheret, & non obstante illo impedimento, graviter peccaret: quod etiam dicendum videtur de reliquis impedimentis non dirimentibus juxta opinionem Eminentissimi Cardinalis Brancati de

S. August. lib. 15. de Civ. Dei, cap. 6.

Cap. 1. De eo qui cognovit cōsanguineā uxoris suæ vel spōsæ.

Lau-

Laurea in suo aureo tractatu de Matrimonio.

Sed non solùm incestus committitur circa consanguineas aut affines, sed etiam circa illas quæ cognatione tantùm spirituali junguntur, nec possunt matrimonio absque dispensatione copulari, ut vidimus in tractatu de Matrimonio, cap. 6. Quomodo autem propter incestum privetur quis jure petendi debitum, in eodem tractatu dictum est cap. 10. Notandum est etiam, in confessione incestus, omnino explicandum esse gradum affinitatis aut consanguinitatis in quo quis peccavit: nam aliud est peccare cum consobrina, aliud cum matre, aut sorore; aliud etiam peccare cum affini, aliud cum consanguinea: plus enim est esse conjunctum ex proprio sanguine, quàm ex sanguine uxoris, & natura magis repugnat in uno, quàm in altero.

Tom. 4. tr. 9. de Sacr. Matrim. c. 6. nu. 9. Ibid. c. 10. num. 22.

Quæst. 12. *Quid est raptus?*

Resp. Raptus est, cùm virgo, vel corrupta, vel conjugata, vel quæcumque alia mulier, seu etiam vir, per vim, seu contra suam aut parentum voluntatem, matrimonii, aut concubitus, aut etiam alterius libidinis causâ, à propria domo extrahitur. Hoc autem peccatum, quantùm ad actum luxuriæ, non distinguitur ab aliis; sed addit crimen contra justitiam, rapinam scilicet, & violentiam quandam, quæ aliquando fit personæ raptæ, aliquando parentibus illius, aut etiam parentibus simul & personæ raptæ: in omnibus istis casibus grave scelus est, & ex eo oritur obligatio resarciendi omni meliori modo damna quæ ex raptu secuta sunt.

Notandum est autem, quòd raptus alienæ sponsæ est impedimentum impediens matrimonium cum qualibet fœmina contra-

tra-

trahendum; nam, ut dicitur in Canone, quod Concilio Toletano tribuitur apud Gratianum, *statutum est à sacro Conventu, ut si quis sponsam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, & sine spe conjugii maneat, & si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur.* Can. Statutum. 7.

Præterea voluit Concilium Tridentinum, ut ex raptu oriretur impedimentum dirimens, his verbis: *Decernit Sancta Synodus, inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quòd si rapta à raptore separata, & in loco tuto ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat; & nihilominus raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant: teneatur præterea raptor, mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.* Concil. Trid. sess. 24. de ref. matr. c. 6.

Quæst. 13. *Quid est sacrilegium?*

Resp. Sacrilegium, inquit Sanctus Augustinus, *prout est species luxuriæ, est coitus exercitus per personam sacram, vel cum persona sacra, id est habente ordinem sacrum, vel votum continentiæ, vel etiam in loco sacro*. Sed breviter notandum est, oscula, tactus, desideria, & cætera hujusmodi libidinosa opera interna, seu externa, à persona sacra, ut suprà, vel circa personam sacram perpetrata, ad hanc speciem sacrilegii haud dubiè pertinere, & ideò in confessione talem circumstantiam personæ necessariò aperiendam esse. S. Ant. p. 2. tit. 5. cap. 8. in princ.

Observandum est etiam, per sacramentum pœnitentiæ contrahi velut aliquod cogna-

gnationis ſpiritualis vinculum, ratione cujus, Confeſſarius, qui carnaliter peccat cum ſua pœnitente, tenetur illam circumſtantiam perſonæ, ex quâ nova malitia ſacrilegio accedit, in confeſſione declarare.

Can. Omnis. Canon. Si quis ſacerdos, & can. uit, 30. q. 1.

Idque probari poteſt ex variis Canonibus. *Non debet*, inquit Cœleſtinus Papa, *Epiſcopus aut Preſbyter commiſceri cum mulieribus, quæ ei ſua peccata fuerint confeſſæ. Si fortè, quod abſit, hoc contigerit, ſic pœniteat, quomodo de filia ſpirituali; Epiſcopus quindecim annos, Preſbyter duodecim, & deponatur.* Ubi videre eſt, quòd tale ſcelus æquiparatur fornicationi commiſſæ cum filia ſpirituali, ſeu quam quis tenuit in Baptiſmo. Et ibidem: *Si quis*, inquit Symmachus Papa, *hoc ſcelus perpetravit, non ſolum dignitatis honorem amittat, verùm etiam uſque ad exitum vitæ ſuæ jugi pœnitentiæ ſe ſubdat.* Undè

S.Th. in 4. ſent. diſt. 41. q. 1. a. 2. ad 8.

etiam S. Thomas diſertè docet, quòd *per pœnitentiam contrahitur quoddam fœdus inter Sacerdotem & mulierem confitentem, ſimile cognationi ſpirituali, ut tantùm peccet eam carnaliter cognoſcens, ac ſi eſſet ſua ſpiritualis filia. Et hoc ideo, quia maxima familiaritas eſt inter Sacerdotem & confitentem, & ex hoc iſta prohibitio eſt inducta, ut tollatur peccandi occaſio.* Videri poſſunt, quæ de ſollicitantibus in confeſſione notavi Tom. 4. tit. 6. Cap. XI. n. 9.

Quæſt. 14. *Quænam pœnæ adversùs illius peccati gravitatem à ſacris Canonibus fuerunt ſancitæ?*

Reſp. Varii Canones in hujuſmodi flagitium, ſive à Sacerdotibus, & aliis qui in ſacris Ordinibus conſtituti ſunt, ſive à Monachis, aut Monialibus perpetratum, invehuntur, & gravibus pœnis coercent; ſed ne nimiùm in his immoremur, multis brevitatis causâ præteritis, ſolùm obiter referam,

ram, Concilium Triburiense sequens Decretum promulgavisse: *Impudicas detestabilesque personas Monachorum, quæ abjecto proposito sanctitatis, illicita atque sacrilega contagione se miscuerint, & in abruptum conscientiæ desperatione perductæ, de illicitis complexibus liberè filios procuraverint, à Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus lamentatione continua deflentes, purificatorio possint igne pœnitudinis decoqui, ut eis ad mortem solius misericordiæ intuitu per Communionis gratiam possit subveniri.* Et in Concilio Turonensi Can. 6. *Qui se sacris virginibus per conjunctionem nefandam miscuerit, vel propositum professæ religionis dereliquerit, utrique à Communione habeantur alieni; quia si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus: donec resipiscentes à laqueo Diaboli, à quo captivi tenentur, ab ipsius voluntate, ad auxilium pœnitentiæ revertantur.* Hujusce sceleris gravitatem disertè explicat Concilium Troslejanum, dum verba Capitularium Caroli Magni suis Decretis interserens, sic loquitur: *Scire vos convenit, quia blasphemiam Deo irrogat, qui cum Deo sacrata, vel cum velata fœmina se commaculat. Si Clericus cum velata fœmina, vel Deo sacrata se maculaverit, proprio honore privetur. Et sciendum est omnibus, quòd Deo sacrarum fœminarum corpora per votum propriæ sponsionis, & verba Sacerdotis Deo consecrata, templa esse, Scripturarum testimoniis comprobantur: & ideo violatores earum, sacrilegi, ac, juxta Apostolum, filii perditionis esse noscuntur.* Deinde in eodem Ecclesiæ Gallicanæ celebri Conventu fusè commemorantur varia priorum Conciliorum & Summorum Pontificum Decreta, quibus om-

Concil. Tribur. Can. 7. refertur in Cap. Impudicas, q. 1.

Concil. Turonens. Can. 6.

Concil. Troslejan. anno 909. Can. 8. ex Capitular. lib. 6. c. 309 aut 412.

omnes impudicitiæ occasiones à Clericis omnibus summoperè vitandas sanxerunt: ipsam quoque criminis suspicionem, quæ in Ecclesiastico homine magnum semper scandalum parit, valdè fugiendam esse, asseruit Eugenius II. in Synodo Romæ habitâ, dum ait: *Si quispiam Sacerdotum, id est, Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, de quacumque fœmina crimine fornicationis suspectus, post primam, secundam & tertiam admonitionem, inveniatur fabulari cum ea, vel aliquo modo conversari, excommunicetur.* Quæ verò esset pœnitentia imponenda Presbytero in fornicatione lapso, habetur in Synodo Hibernensi habitâ sub Leone Papa III. his verbis: *Si Presbyter fornicationem fecerit, quamquam, secundùm Apostolorum Canones, deponi debeat, juxta tamen authoritatem B. Silvestri Papæ, si in vitio non perduraverit, sed sua sponte confessus adjecit ut resurgeret, decem annis in hunc modum pœniteat. Tribus siquidem mensibus privato loco à cæteris remotus, solo pane & aqua à vespera in vesperam utatur: diebus autem Dominicis, & præcipuis festis, modico vino & pisciculis atque leguminibus recreetur, sine carne, sine sagimine, ovis & caseo, sacco indutus, humo adhæreat: die ac nocte jugiter misericordiam Dei omnipotentis imploret. Finitis tribus continuis mensibus, exeat, tamen in publicum non procedat, ne grex fidelis in eo scandalum patiatur: nec enim debet Sacerdos publicè pœnitere, sicut Laicus. Posteà aliquantisper resumptis viribus, unum annum & dimidium in pane & aqua expleat, exceptis Dominicis diebus, & præcipuis festis, in quibus vino, sagimine, ovis, & caseo, juxta canonicam mensuram, uti poterit. Finito primo anno & dimidio, Corporis & Sanguinis Domini, ne indurescat, particeps fiat,* ad

Eugen. II. in Synodo Roman. Canon. 15. refertur in Canon. Si quispiam, dist. 18. & in cap. Si quisquam, de cohab. Cleric. & mulier.

Synodo Hibernen. sub Leone III. refertur in can. Presbyter. dist. 82.

ad pacem veniat, cum fratribus psalmos in choro ultimus canat, ad cornu Altaris non accedat. Iuxta B. Clementis vocem, minora gerat officia. Deinde verò usque ad expletionem septimi anni, omni quidem tempore, exceptis Paschalibus diebus, tres legitimas ferias in unaquaque hebdomada in pane & aqua jejunet. Expleto septimi anni circulo, si sui confratres, apud quos pœnituit, ejus condignam pœnitentiam collaudaverint, Episcopus in pristinum honorem, juxta B. Calixti Papæ authoritatem, eum revocare poterit. Sanè sciendum est, quia secundam feriam, unum psalterium canendo, aut unum denarium pauperibus dando, si operarius est, redimere poterit. Finitis autem septem annis deinde usque ad finem decimi anni, sextam feriam, nulla interveniente redemptione, observet in pane & aqua. Eadem quoque pœnitentia erit Sacerdoti de omnibus aliis peccatis & criminibus, quæ eum in depositionem inducunt. Neque hoc cuilibet videatur onerosum, si Sacerdos post lapsum, dignè, ut suprà dictum est, pœnitens ad pristinos redeat honores.

Ad præcavenda hujusmodi peccata, videri possunt, quæ habentur Tom. 5. Tract. 8. cap. 4. quæst. 4. Prætereà in Concilio Beneventano, relato in Synodicon in lucem edito ab Eminentissimo Cardinali Vincentio Maria Ursino, sic statuitur: *Inhibemus districtè, ne Prælati, aut alii Clerici fœminas teneant, de quibus suspicio incontinentiæ possit esse; sed nec Rectores Ecclesiarum, Abbates, vel Archipresbyteri juvenes matres, sorores, amitas, consanguineas secum in domibus Ecclesiarum, vel aliis in quibus habitant, tenere præsumant; sed alibi, si pauperes fuerint, eis si voluerint necessaria subministrent, & juxta Statutum Provincialis Concilii antiqui, nullus Sacerdos, vel Clericus* Concil. Benevent. ann. 1374. cap. 11.

bene-

beneficiatus mulierem habeat in domo suspectam: Monentes quoscumque habentes, ut à se abjiciant intra dies quindecim. Alioquin, præter pœnas juris, inobediens in una uncia danda Curiæ nostræ, & Curiis Suffraganeorum nostrorum per eorum subditos, in piis usibus convertenda puniatur. Præcipientes, sub pœna prædicta, omnibus & singulis Abbatibus, & Archipresbyteris Civitatis, Diœcesis, & Provinciæ, ut dictos Sacerdotes & Clericos tales mulieres habentes, & à se non abdicantes, Nobis, aut Suffraganeis nostris, infra decem dies revelent, & in scriptis tradant, & assignent nomina eorundem.

Concilio Benevent. ann. 1695. tit. 18. c. 3.

Et in recentiori Concilio Beneventano sic statuitur: *Nemo ex Clericis mulieres quascumque, præter matrem, amitam, & sororem, aliasque usque ad secundum consanguinitatis vel affinitatis gradum, secum habitare permittat, idque Episcopo annuente; debent enim non solum malum cavere, verùm etiam omnem mali suspicionem fugere, ne in cujusquam offensionem incurrant. Qui soli degunt, nullam domi mulierem, cujuscumque ætatis & conditionis existat, sub famulatus prætextu, absque expressa Episcopi licentia, & hac, non nisi ea quinquaginta annos nata sit, concedenda, prorsus detineant.* Advertantque Episcopi, quod apud Cyprianum legitur: *Cùm Clerico fœmina nulla commaneat, non despecta, non vetula, sive affinitate peculiariter suscipienda, ad domesticum obsequium; quia magis illic citò delinquitur, ubi sine suspicione securum potest esse delictum; maximè quia cupidini nulla deformitas, nulla despectio fastidii, vel vilis existit; sed Diabolus pingens, preciosum efficit, quidquid fœdum & horridum fuerit.*

Præterea in Concilio Neapolitano sic decernitur, quòd *in ædibus ad usum Ecclesiæ mini-*

ministrorum constructis, fœminæ ne commorentur, quamcumque cum eis necessitudinem cognationemque habeant; in aliis verò quæ Clericali usui non sunt assignatæ, non nisi ex causa rationabili, Ordinarii judicio approbanda, possint Clerici cum mulieribus cohabitare contubernio insuper, familiaritate, consuetudine publica, vel secreta, quarumcumque suspectarum mulierum, sibi interdictum esse intelligant; hinc enim, ut Cabilonense Concilium ait, non minimum vita & opinio polluitur; nec facilè alligabit quis ignem in sinu suo, ut vestimenta ejus non comburantur. Concil. Neapolit. ann. 1576. cap.22.

Comedias, fabulas, choreas, equestres seu hasticos ludos, profana colloquia, atque spectacula nec edant ipsi, nec spectent. Talis, tesseris, pictis pagellis, globo missili, vel pila parva palmari palam, aliove ludi genere prohibito, nec ludant, nec ludentibus spectatores adsint: publicè verò nec etiam honesto, sub pœnis gravissimis.

Nullum venationis genus à Sacris Canonibus Clericis vetitum exerceant. Comessationibus, compotationibus, aliisve minus honestis conviviis non intersint: cauponas, seu tabernas, nisi iter facientes, non ingrediantur; at neque in tonstrinis, vel aromatariis, vel aliis artificum, vel vendentium officinis, tempus otiosè conterant, ne labia Divinis laudibus consecrata, scurrilia potiùs, & quæ ad rem non pertinent, sonare audiantur.

Quantùm ad ludos Clericis vetitos, Cardinalis Nerlius in omni sacra eruditione versatissimus, sic graviter decernit in Synodo Assisiensi: *Ludum, alearum præsertim & taxillorum, qui non sine maximo ecclesiasticæ dignitatis dedecore exerceri potest, dum ludentium animi crebrò avocantur à Divinis, & forsan Dei sanctum nomen impiè blasphematur, ecclesiasticique redditus nefariè* Synod. Assisiensis ann. 1689. tit.19.

pro-

profunduntur, sub pœna suspensionis ipso facto incurrendæ, authoritate per sacrum Concilium Tridentinum Nobis attributa, omninò interdicimus.

Si Ecclesiastici lectioni Sacræ Scripturæ attenderent, prout eis maximè convenit, otio omnium malorum incentivo non tabescerent, nec inutiliter, ut sæpiùs fit, tempus consumerent, cum non mediocri sæcularium scandalo: frequentem hanc sacræ paginæ lectionem graviter commendat Eminentissimus, & nunquam satis laudatus Cardinalis Ursinus, in sua Synodo decima octavâ Beneventana, his verbis: *Contigit Nobis, præsentem nostræ Diœcesis Visitationem agentibus, quod Nobis contigisse oportuit, sed contigisse profectò non libuit: in quibusdam scilicet Oppidis, populo adhuc non ignobili, Clero non exiguo conspicuis, Sacrum Bibliorum Codicem apud quemquam non reperire. Quod scelus, in Sacerdotibus præcipuè & Ecclesiarum Rectoribus damnantes, quos Divinarum oportet litterarum habere peritiam, ut parati sint ad satisfactionem omni poscenti eos rationem de fide quæ in eis est. Mandamus, ut de libro hujusmodi singuli supradicti ac Clerici omnes, ad superiores Ordines aliàs non promovendi, infra mensem omninò provideatur. Acceptum autem ne seponant; verùm ad Ezechielis instar, lectioni illius assiduè attendentes, volumen illud, quod à Deo est, inexplebili aviditate comedant, pro spirituali etiam contra sensus illecebras antipharmaco, juxta illud Hieronymi ad Rusticum:* Ama studia Scripturarum, & carnis vitia non amabis.

Synod. 18. Benevent. ann. 1703. tit. 2. c. 1.

Et Eminentissimus Jacobus Cardinalis Boncompagnus, in venerabili Synodo Bononiensi, statuit, ut *à colloquiis fœminarum quātum possunt se contineant tam Clerici, quam*

Synodo Bonon. ann. 1698. lib. 3. c. 1.

quam Sacerdotes, earumque contubernia vitent; prohibemus autem, ne in domesticam servitutem quascumque admittant, sed eas, quæ præ ætate, moribus, & honesta fama, omnem adimant suspicionem intemperantiæ: sintque maturæ ætatis, nec sine licentia in scriptis concedenda, & quotannis confirmanda, eas in famulas retineant; aliter in pœnas incident juxta Edictum nostrum. Caveant quam habitationem conducant, ne sit contermina fœminis suspectis, & pravitate vitæ occasionem præbeant mali; eoque magis ne in aliqua ejus parte similes mulieres inhabitent: certè quod transgressores severè puniemus, volentes pessimum abusum desuper irreptum omninò tollere. Nullus earumdem ædes frequentet, nec confabulari præsumat; quod districtè prohibemus. Si quis sacrorum Canonum contemptor extiterit cum similibus pravè vivens, pro facti qualitate, & ecclesiasticis, & arbitrariis pœnis subdetur.

Et in novissimo Concilio Provinciali Neapolitano, à Jacobo Cardinali Cantelmo congregato, sic habetur: *Memores Sacrorum Canonum, cohabitationem Ecclesiasticorum cum mulieribus interdicentium, nemo ex Clericis audeat ancillas domi retinere ex quibus ulla possit adversa suspicio suboriri; de hujus autem suspicionis periculo ne quis sibi temerè blandiatur; Episcopus diligenti examine inquirat, prudentique consilio judicet. Neque docere audeant puellas aut mulieres legere, scribere, canere, & alia hujusmodi, nisi venia ab Ordinario impetrata, sub pœna carceris formalis.*

Concil. Neapolit. ann. 1699. cit. 9. c. 5. num. 10.

Prætereà in Synodo Ravennatensi, ut omnis incontinentiæ suspicio sedulò à Clericis vitetur, expressè statuitur, ut *ad exterarum fœminarum domos Clerici nullo modo accedant, neque hujusmodi mulieribus suas*

Synod. Ravennat. ann. 1607. de Vita Clericor. num. 14.

suas ædes patrimoniales concedant, aut infamibus personis locent; quod multo magis intelligendum est de domibus suarum Ecclesiarum propriis, ubi residentiam facere tenentur, sive sint domus parochiales, sive canonicales; quas locare non audebunt, aut commodare cuicumque personæ sine nostra licentia, sub pœna scutorum 25. pro qualibet vice.

Synod. Genuen. an. 1619. de vita & honest. Cler.

Eodem planè modo, ut omnis abusui intercludatur aditus, Archiepiscopus Genuensis, Dominicus de Marinis, statuit in Synodo, ut *Clerici quamvis mulieres, etiam consanguineas, domi retinere non possint, sine licentia Nostra, sive Vicarii generalis.*

Synod. Sabinen. ann. 1590 cap. 1.

Cardinalis Ptolomæus Gallius, dictus vulgò Cardinalis Comensis, in Synodo Sabinensi sic decrevit: *Clerici in domo nulli omninò mulieri cohabitent, nisi arctissimo consanguinitatis aut affinitatis gradu conjunctæ, non remotiori quidem quàm secundo; arbitrio tamen Vicarii nostri relinquitur, id etiam prohibere, si aliqua suspicio existat de mala vita earum mulierum.*

Synod. Amerina, ann. 1595. cap. 66.

Demùm celeberrimus Episcopus Amerinus, Antonius Maria Gratianus, sic statuit in Synodo: *Clerici qui separare à propinquis domum possunt, ne cum eorum uxoribus aliisque mulieribus habitent, prudenter sanè, & ex veterum more Patrum, rationeque facient, si id exequantur. Decet enim Ecclesiasticum hominem, non crimen solùm, sed etiam criminis suspicionem vitare; præterquam quod domestica & quotidiana fœminarum etiam propinquarum consuetudine mollitur animus, sensimque flexus, à constantiæ & continentiæ consiliis desciscit. Illi autem qui à suis, proprias in ædes secesserint, cum iis ullam omninò fœminam habitare prohibemus, nisi à Nobis ejus rei facultatem obtinuerint,*

qui

qui & necessitatis eorum, & mulieris ætatis, famæque & morum rationem ducemus.

Et in celebri Synodo Assisiensi Eminentissimi Cardinalis Nerlii, statuitur his verbis: *Monemus insuper, ad omnem incontinentiæ suspicionem effugandam, suspectarum mulierum familiaritatem & cohabitationem prorsùs evitare; eas verò quæ à jure permittuntur ancillas seu famulas, licèt honestæ semper famæ, & ætate provectiores, absque nostra vel Vicarii nostri generalis licentia, retinere vel accipere non præsumant, sub gravissimis arbitrio nostro pœnis.*

Synod. Assisiensis, an. 1689. tit. 19.

Quæst. 15. Quæ sunt peccata contra naturam?

Resp. Omnibus sceleribus suprà relatis, quæ ex luxuriâ originem trahunt, multùm graviora sunt illa, quæ contra naturam fiunt: *Omnium horum est pessimum*, inquit sanctus Augustinus, *quod contra naturam fit; ut si vir membro mulieris non ad hoc concesso voluerit uti. Usus enim naturalis si ultra modum prolabitur, in uxore quidem veniale est, in meretrice damnabile; sed iste qui est contra naturam, execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius in uxore. Flagitia quæ sunt contra naturam, ubique & semper detestanda, atque punienda sunt; qualia Sodomitarum fuerunt: quæ si omnes gentes facerent, eodem criminis reatu divina lege tenerentur, quæ non sic fecit homines, ut se illo utantur modo. Violatur quippè ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet, cùm eadem natura, cujus ipse author est, libidinis perversitate polluitur.* Unde Summus Pontifex hanc circa mollitiem, quæ etiam pollutio dicitur scandalosam propositionem damnavit: *Mollities jure naturæ prohibita non est; unde si Deus eam non interdixisset, sæpè esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.* Porrò

S. Aug. de Adulter. conjugiis, Refertur in Can. Adulterii, 32. q. 7.

S. Aug. lib. 3. Confess. c. 8. Refertur in Can. Flagitia, 32. q. 7.

Innocētius XI. in Decret. contra 65. propositión. 49. propositio damnata.

peccatorum contra naturam, quatuor vulgò species inter se diversæ recensentur: *Uno quidem modo*, ait sanctus Thomas, *si absque omni concubitu causa delectationis venereæ pollutio procuretur; quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant. Alio modo, si fiant per concubitum ad rem non ejusdem speciei, quod vocatur bestialitas* (sub qua specie comprehenditur execrabilis concubitus cum Dæmone succubo vel incubo.) *Tertiò si fiat per concubitum ad non debitum sexum, putà masculi ad masculum, vel fœminæ ad fœminam, ut Apostolus dicit; quod dicitur sodomiticum vitium. Quartò si non servetur naturalis modus, aut quantùm ad instrumentum non debitum, aut quantùm ad alios monstruosos & bestiales concumbendi modos*. De quibus modis locuti sumus alibi. Notandum autem est, illud quod diximus superiùs, peccata scilicet contra naturam, graviora esse reliquis speciebus luxuriæ, ut adulterio, incestu, & aliis, cum hoc fortasse temperamento intelligendum esse, ut aut non simpliciter de omnibus peccatis contra naturam specificè, sed tantùm genericè dicatur; nam vix credi potest, simplicem pollutionem, etsi gravior sit simplici fornicatione, graviorem etiam esse incestu cum matre, aut sacrilegio cum Moniali perpetrato; aut certè id ita intelligendum est, ut quodlibet peccatum contra naturam, sit quidem gravius in ratione luxuriæ, quia per se magis est contra naturam generationis, quàm aliæ luxuriæ species; sed istæ graviores ex alia parte esse possunt, quia scilicet sunt contra justitiam, pietatem, aut religionem. Advertendum est, illa peccata contra naturam posse aliquando concurrere in eadem persona cum aliis speciebus luxuriæ, stupro, adulterio & reli-

S.Tho.2.2. q. 154. art. 11. in corp.

Ad Rom. c.1.26.

Tom. 4. trait. 9. du Mariage, chap. 10. nombre 14. Tom... trait. 4. de l'Eucharistie, ch. 10. nomb. 6.

reliquis: in quo casu duplex est peccatum. De pollutione autem nocturna jam dictum est in tractatu de Eucharistia. Cæterùm illa species peccati contra naturam, in qua quis peccavit, necessariò aperienda est in confessione: Unde propositio quæ sequitur, damnata fuit à Summo Pontifice: Alexander VII. in Decreto dato die 14. Septembris 1665.

XIX. Propositio damnata: *Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideòque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.*

Quæst. 16. Inter peccata contra naturam, sunt-ne alia aliis graviora?

Resp. Sunt certè; nam imprimis congressus cum dæmone, multò gravior videtur cæteris; deinde bestialitas; tertiò sodomia; quartò si in concubitu inter personas diversi sexus non servetur naturalis modus, præsertim si ita fiat, ut non possit sequi generatio; nam si conceptus non impediatur, videtur esse potiùs præter naturam, quàm contra naturam; maximè si concubitus modo consueto difficilè possit fieri ob imprægnationem, ut diximus aliàs: Tom. 4. traite 9. du Mariage, chap. 10. nomb. 14. quinto denique loco ponenda videtur pollutio, sivè mollities, quando aliquis solus, sive vir, sive fœmina, polluit seipsum voluntariâ seminis effusione, sine omni concubitu. Illius peccati gravitatem indicat Scriptura, dum Onam filium Judæ, qui se nefariè polluebat, *idcirco percussit Dominus, quòd rem detestabilem faceret.* Genes. c. 38. 10. *Inter vitia quæ sunt contra naturam*, inquit sanctus Thomas, S. Tho. 2. 2. q. 154. a. 12. ad 4. *infimum locum tenet peccatum immunditiæ, quod consistit in sola omissione concubitus ad alterum: gravissimum autem est peccatum bestialitatis; quia non servatur debita species: unde Genes. cap. 37. Accusavit fratres suos crimine pessimo*, dicit Glossa, *quòd cum pecoribus miscebantur.*

tur. Posthoc autem est vitium sodomiticum, cùm ibi non servetur debitus sexus. Post hoc autem est peccatum ex eo, quòd non servatur debitus modus concumbendi: magis autem si non sit debitum vas, quàm si sit inordinatio secundùm aliqua alia pertinentia ad modum concubitus.

CAPUT II.

De cæteris quæ in sexto, aut etiam in nono Præcepto Decalogi prohibentur.

Quæst. 1. QVibus gradibus luxuria homines perdit?

S. Antoninus p.2. ti. 5.c.1. §.4. *Resp.* Sanctus Antoninus septem hujusmodi gradus enumerat, his verbis: *Sciendum, quòd sicut ignis paulatim consumit templum, ità luxuria à cogitatione turpium incipit, & nisi resistatur, ulteriùs procedit. Progressus autem luxuriæ fit per septem gradus. Primus est sensualis complacentiæ toleratio: secundus est morosa delectatio; tertius est in actum consensio; quartus impudica aspectio; quintus turpis confabulatio; sextus libidinosa contrectatio; septimus operis expletio. Primi tres sunt in corde ab intra, alii quatuor in corpore ab extra.*

Quæst. 2. Quandonam sensualis complacentia ad peccatum imputatur?

S. Anton. p.2. tit.5. c.1.§.4. *Resp. Sciendum est*, inquit S. Antoninus, *quòd tunc cogitatio luxuriæ peccatum est, quando quis cogitans turpia voluntariè, sive ad pœnitendum de his quæ gessit, sive ad intelligendum vel discendum materiam de turpibus, bona intentione, sive involuntariè, occurrit cogitatio turpis ex otiositate mentis, vel*

vel curiositate, vel ex gestis per eum, vel per suggestionem dæmonis sensualitatis: tamen aliqualiter delectatur, & sibi complacet, cum displicentia tamen rationis, ibi est peccatum veniale. Quod tamen intelligendum videtur, si sit quædam negligentia culpabilis, & eo casu, quo quis aliquo modo advertens, talem sensualem complacentiam non protinùs rejicit, & ei renuntiat: unde de hac improvisa delectatione sic differit S. Franciscus Salesius: *On est quelquefois surpris de quelque chatouillement de delectation qui suit immediatement la tentation, devant que bonnement on s'en soit pris garde; & cela ne peut etre pour le plus qu'un bien leger pechè veniel; lequel se rend plus grand, si apres que l'on s'est apperçu du mal où l'on est, on demeure par negligence quelque temps à marchander avec la delectation, si l'on doit l'accepter, ou la refuser; & encore plus grand, si en s'en appercevant, on demeure en icelle quelque temps par vraie negligence, sans nulle sorte de propos de la rejetter. Lorsque volontairement & de propos deliberé nous sommes resolus de nous plaire en telles delectations, ce propos meme delibère est un grand peche, si l'objet pour lequel nous avons de la delectation est notablement mauvais.*

S. François de Sales dans son Introduction à la Vie devote, part. 4. ch. 6.

Quæst. 3. Quid est morosa delectatio?

Resp. Delectatio, ex S. Thomâ, *dicitur morosa, non ex mora temporis, sed ex eo quòd ratio deliberans circa eam immoratur, nec tamen eam repellit, tenens & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, ut Augustinus dicit.* Licèt autem hæc morosa cogitatio, seu delectatio, ad alia etiam peccata pertinere possit; tamen sæpiùs accidit in genere luxuriæ, de qua in hoc sexto Præcepto agitur: *Cogitatio autem morosæ delectationis circa materiam*

S. Tho. 1. 2. q. 74. art. 6. ad 3.

S. Anton. p.2.tit.5. c.1.§.5.

S.Aug.lib. 12. de Trinitate, c. 12.

luxuriæ est perversa, ut ait S. Antoninus; *quia contra debitum usum seu rectitudinem rationis, unde & mortalis*. Quod authoritate S. Augustini confirmant S. Thomas & Antoninus: sic enim loquitur: *Nec sanè cùm sola cogitatione mens oblectatur illicitis, non quidem decernens esse facienda, tenens tamen, & volvens libenter, quæ statim ut attigerunt animum, respui debuerunt, negandum est esse peccatum, sed longè minùs quàm si & opere statuatur implendum; & ideò de talibus quoque cogitationibus, venia petenda est, pectusque percutiendum, & dicendum: Dimitte nobis debita nostra*. Et-ne putaret quispiam, de peccato veniali tantùm loqui S. Augustinum, mox subjungit: *Neque enim sicut in illis duobus primis hominibus personam suam quisque portabat, & ideò si sola mulier cibum edisset illicitum, sola utique mortis supplicio plecteretur: ita dici potest in uno homine, si delectationibus illicitis, à quibus continuò se deberet avertere, cogitatio libenter sola pascatur, nec facienda decernat mala, sed tamen suaviter in recordatione teneantur, quasi mulierem sine viro posse damnari; absit hoc credere; hic quippè una persona est, unus homo est, totusque damnabitur, nisi hæc, quæ sine voluntate operandi, sed tamen cum voluntate animum talibus oblectandi, solius cogitationis sentiuntur esse peccata, per Mediatoris gratiam remittantur*. Quibus verbis apertè docet, consensum in delectationem morosam, esse peccatum mortale, dum asserit totum hominem propter illud damnandum, nisi per gratiam Mediatoris, scilicet per Sacramentum Pœnitentiæ, fuerit condonatum; sicut Eva, etiamsi sola pomum prohibitum comedisset, morte fuisset plectenda.

Quæst.

Quæst. 4. *Ille qui cogitationes de rebus venereis non expellit, sed in illis volens immoratur, semperne peccat mortaliter?*

Resp. Etsi ut plurimùm talis cogitatio, seu delectatio morosa, præsertim in hac materia, mortale peccatum involvat; attamen notandum est, venialem solummodò esse culpam, si de re veniali tantùm cogitatio hujusmodi habeatur, citra grave periculum ulterioris consensus. Prætereà delectatio duobus modis potest accidere, vel de cogitatione tantùm, vel de re cogitatâ: si sit tantùm de cogitatione ipsa, quia scilicet animus noster naturaliter delectatur, dum aliquid novum occurrit, vel quidpiam discit, præsertim si sit rarum, aut admirandum, aut subtile; talis enim notitia per se delectat, etiamsi res, de qua cogitatio est, nullo modo placeat. Et hoc modo delectantur homines narratione, vel lectione homicidiorum, bellorum, fraudum, vel etiam rerum quæ per artem magicam facta sunt, licèt talia homicidia, fraudes, & similia, valdè per se displiceant. Et talis delectatio de sola cogitatione non videtur per se mala, licèt in venereis, ratione superfluæ, & etiam periculosæ curiositatis, frequenter peccatum adesse possit: nam sæpiùs per se aliquo modo placere incipiunt. Attamen aliquando non solùm peccato caret talis cogitatio, sed etiam meritum habet, dum scilicet quis, invitus licèt & reluctans, de talibus rebus cogitat, ut alios doceat, vel etiam ut meliùs eas intelligat, & discernat, & ita vanos scrupulos à se removere, vel etiam sibi meliùs cavere possit, ut contingit etiam in Medicis, qui talibus immorari necesse habent, ut rationem medendi probè intelligant. In his porrò casibus, ardentibus, & sæpiùs

repetitis orationibus incumbendum est, ut pericula quæ ex talibus cogitationibus frequenter oriuntur, Deo adjuvante, caveantur. Quòd si è contrario delectatio habeatur de re ipsa cogitatâ, quæ concipitur ut bonum delectabile, ita ut talis delectatio sequatur ex affectu & amore erga ipsam rem, nempè fornicationem, sicut si reverâ præsens esset, quia per imaginationem seu phantasiam aliquo modo præsens sit, ut patet in somniis; tunc talis delectatio, quæ voluntariè sumitur ex re quæ peccatum mortale involvit, mortalis est.

S.Tho.1.2. q.74.art.8. in corp. Hæc doctrina habetur apud S. Thomam dum ait: *Aliquis de fornicatione cogitans, de duobus potest delectari: uno modo de ipsa cogitatione, alio modo de ipsa fornicatione cogitata. Delectatio autem de cogitatione ipsa, sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam: cogitatio autem ipsa secundùm se non est peccatum mortale, imò quandoque est veniale tantùm, putà cùm aliquis inutiliter cogitat de ea: quandoque autem sine peccato omnino, putà cùm aliquis utiliter de ea cogitat, sicut cùm vult de ea prædicare vel disputare. Et ideo per consequens affectio & delectatio, quæ sic est de cogitatione fornicationis, non est de genere peccati mortalis; sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum; unde nec consensus in talem delectationem est peccatum mortale. Quòd autem aliquis cogitans de fornicatione, delectetur de ipso actu cogitato, hoc contingit ex hoc, quod affectio ejus inclinata est in hunc actum; unde quòd aliquis consentiat in talem delectationem, hoc nihil aliud est, quàm quòd ipse consentiat in hoc, quòd affectus suus sit inclinatus in fornicationem: Nullus enim delectatur nisi in eo, quod est conforme appetitui ejus. Quòd autem aliquis ex deliberatione eligat, quod affectus*

suus

suus conformetur his quæ secundùm se sunt peccata mortalia, est peccatum mortale: unde talis consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale.

Illud autem obiter notandnm est, delectationem morosam esse ejusdem speciei, cujus est actus, de quo habetur delectatio, v. g. incestus, raptus, stuprum & similia, & ita talem circumstantiam necessariò in Confessione aperiendam esse: *Quia*, ut ait S. Thomas, *delectatio quæ consequitur cogitationem ex parte actus cogitati, reducitur in idem genus; quia nullus delectatur in aliquo, nisi afficiatur ad illud, & apprehendat illud ut conveniens. Unde qui consentit in delectationem interiorem, approbat exteriorem, & vult saltem ea frui cogitando de ea.* Præterea delectatio morosa non solùm est peccatum mortale, cùm consurgit ex actu mortali cogitato, sed quandoque etiam dum habetur ex actu aliàs licito, sed non tunc cùm de eo cogitatur: & ita peccat, qui delectatur de cogitatione copulæ habendæ, dum matrimonium contraxerit: sicut & vidua dum de eâ quam cum marito habuit, voluntariè cogitat, aut etiam maritus, qui cogitat de actu conjugali habito, & delectationi præsenti extra illum actum apud se consentit: quia ille actus non est licitus, nisi dum fit, & cogitationes de illo actu, peccato non carent, nisi ad illum statim exercendum referantur. De his diximus aliàs.

S.Th.q.15. de veritate,a.4.ad 8.

Quæst. 5. Consensus in rem veneram estne ejusdem speciei, & non minùs peccatum, quàm sit ipse actus, cui consensus præbetur?

Tom.4. tr. 9. de matrimonio, c.10.n.ult.

Resp. Huic quæstioni respondere videtur sanctus Ecclesiæ Doctor Augustinus, dum ait: *Si cui etiam non contingat facultas cum-*

S.Aug.lib. 1. de liberi

arbitrio, c. 3. Refertur in Can. Si cui, De pœnitentia dist. 1. S. Anton. 2. p. tit. 5. c. 1. §. 6.

cumbendi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo sit, id eum cupere, & si potestas detur, facturum esse; non minùs reus est, quàm si in ipso facto deprehenderetur. Sciendum tamen est, inquit sanctus Antoninus, *quòd cùm peccatum cogitationis mortale, sit ejusdem speciei cum eodem opere exteriori perpetrato, sed differant secundùm imperfectum & perfectum; quia peccatum cordis dicitur imperfectum respectu peccati operis, secundùm Thomam 1. 2. Ideò quemadmodum peccata mortalia operis de necessitate oportet confiteri, non solùm in genere, sed in ultima specie; non enim sufficeret dicere se perpetrasse luxuriam, sed oportet, quòd exprimat speciem luxuriæ, putà simplicis fornicationis, vel adulterii, vel stupri, vel sacrilegii, & hujusmodi. Ita etiam de cogitationibus deliberatis luxuriæ, non sufficit confiteri se habuisse cogitationes turpes cum consensu; sed etiam oportet, quòd exprimat materiam ipsarum, videlicet si ergà conjugatam, vel solutam, vel virginem, vel sanctimonialem, vel mares, & hujusmodi. Ex idem judicium videtur de cogitationibus morosis, ut scilicet exprimatur qualitas personarum, ergà quas animus versatus est.*

Quæst. 6. Committitur-ne grave peccatum in aspectu libidinoso?

Resp. In tali aspectu grave fieri peccatum, nemo inficiatur, dicente Christo in Euangelio, quòd *omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo:* Videre autem mulierem ad concupiscendum eam, est eam ad hoc intueri, ut concupiscas eam, hoc est, ut cogitatione concubitus ejus te occupes, vel ut imagineris pulchritudinem ejus, quàmque delectabilis sit ejus aspectus, ut ex eo voluptatem quamdam libidinosam sumas, licèt ulteriùs progredi non ve-

Matth. c. 5. 27.

velis. *Nec solo tactu*, inquit S. Augustinus, *sed affectu quoque & aspectu appetitur & appetit fœmina. Nec dicatis, vos animos habere pudicos, si habeatis oculos impudicos; quia impudicus oculus impudici cordis est nuntius: & cùm se invicem sibi, etiam tacente lingua, conspectu mutuo corda nuntiant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutro delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus; nec putare debet, quæ in masculum figit oculum, & illius in se ipsam diligit fixum, ab aliis se non videri, cùm hoc fecerit: videtur omnino, & à quibus se videri non arbitratur: sed etsi lateat, & à nemine hominum videatur, quid faciet de illo superno Inspectore, quem latere nihil potest? An ideò putandus est non videre, quia tantò videt patientiùs, quantò sapientiùs? Illi ergo timeat sancta fœmina displicere, ne velit viro malè placere. Illum cogitet omnia videre, ne velit viro malè videri; illius namque & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est, Abominatio est Domino defigens oculum.* S. August. ep. 109. ad Monach. refertur in Canon. Nec so lo, 31. q. 5.

Potest autem aliquis aspicere multipliciter mulieres, ut ait Sanctus Antoninus; *Quia vel à casu sine præmeditatione, vel ex causa rationabili, ut scilicet cognoscat eam in effigie, & discernat ab aliis; vel ut attentiorem reddat, si loquitur de utilibus; vel ut considerans vanitatem ornatus, possit meliùs reprehendere; vel ex quodam honesto amore, sicut pater respicit filium, & amicus amicum: & in his nullum est de se peccatum;* S. Ant. p. 2. tit. 5. §. 7. licèt propter grave periculum, quod ex tali aspectu quandoque exurgit, vel aliis circumstantiis, peccari etiam in his aspectibus ex se licitis possit: *vel ut ex pulchritudine creaturæ, exurgat in laudem Creatoris,*

secundùm illud Psalmistæ : Delectasti me Domine, in factura tua: *quod tamen est perfectorum, imperfectis autem est periculosum; vel ex quadam curiositate, ut sciat factionem seu formam ejus, vel ornatum earum, quadam sensuali complacentia de pulchritudine ejus: sicut mulieres de Ægypto ascendebant per muros, ut viderent transeuntem Ioseph pulcherrimum; quod sine peccato veniali non est: vel ut libidinosè inardescat in concupiscentiam ejus, & hoc est, aspicere ad concupiscendum; quod est mortale. Et quod dictum est de viro erga mulierem, idem per totum de muliere aspiciente virum. Ex hoc ostenditur quàm graviter, & quàm innumerabiliter peccant, qui diebus festivis, vel aliis, discurrunt per Ecclesias vel vias ad procandum* (id est, ad perquirendum & aspiciendum) *mulieres, vel filo capti in aliqua sequuntur eam: ad quid enim nisi concupiscendum libidinosè, qui tot peccata mortalia perpetrant, quot diversas, concupiscentes aspiciunt, vel quot vicibus unam & eandem sequentes, diversis temporibus aspiciunt ad concupiscendum? Ipsæ etiam mulieres perpendentes se adamari & procari, quotiescumque studiosè se offerunt aspectibus amatorum, ut illis placeant, toties peccant mortaliter, etiamsi nihil turpe agere vellent cum illis. Et ratio est, quia sunt occasio efficax ruinæ illorum; & qui occasionem damni dat, damnum quoque dedisse videtur, ut habetur in Canone.* Idem planè docuerat S. Joannes Chrysostomus his verbis: *Si qua verò ideo ornatur & comitur, ut in se oculos omnium irritet, etiamsi nullum pulchritudine sua potuerit vulnerare, dabit tamen extrema supplicia; paravit quippe virus, temperavit venenum, porrexit poculum, etiamsi nullus qui mortem biberet, inventus est.* Quantum autem nobis periculum

S. Chrys. hom.17.in c.5.Mat.

culum

culum immineat ex temerario mulierum aspectu, quàmque diligenter cavere debeamus, ne oculi nostri impudici fiant, & cor nostrum ad illicita trahant, dum menti infigitur corporalis figura, & sæpè recurrit vulnus vix sanabile cordi infligens, ut videre est in explicatione Decalogi ex præscripto celebris Concilii Coloniensis facta, his verbis: *Quum Christus animi libidinem ac concupiscentiam tanto serio prohibeat, simul quoque prohibet quæcumque eam vel excitant, vel nutriunt; qualia sunt, verba impudica, lasciva historiæ, spuriæ cantilenæ, imagines indecoræ: deinde oscula, tactus, cogitationes, nimius ornatus & comptus corporis, occasio, & potissimùm crapula, ebrietas, desidia, otium, somnus, & si quæ sunt similia. Propterea quum prohibuisset concupiscentiam, statim subjecit: Quòd si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum mittatur in gehennam. Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te: expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quàm corpus tuum eat in gehennam. Hæc enim docendi gratia per similitudinem dicuntur, non ut quis sibi ipsi amputare debeat genitalia: tum quòd membrorum natura mala non sit, tum quòd hoc proximo Præcepto planè, ut fiat, prohibeatur. Sed magis his verbis docetur omnis concupiscentiarum occasio diligentissimè vitanda, adeoque cavendum nobis ab omni eo, quod in hujusmodi peccatum nos protracturum timemus, etiamsi id tam charum ac necessarium nobis fuerit, quàm sunt oculi, manus & pedes, imò dexter & potior oculus. Quid enim non abjicere & contemnere potiùs eligamus, quàm vitam æternam amittere? & quosnam animorum affectus* (*qui*

Concil. Colonien. ann. 1536. in explicatione sexti Præcepti. S.Chrys. in Psalm. 1. 3. Dæmon autè nudæ quoque figuræ assidet.

(qui ipsius quoque membra sunt) præferemus desiderio regni cælestis? Principio ergo hoc videtur monuisse Christus, ut si contingat nos vitæ consuetudinem habere cum eo homine, à cujus favore tota nostra felicitas post Deum dependere videatur, atque interim suggestione Diaboli fiat, in ejus hominis domo aspectum nostrum in mulierculam aliquam incautiùs conjectum, malæ concupiscentiæ ignibus inardescere, vel nostram pudicitiam sollicitari, tùm potius esse, ut eam occasionem evitemus, ac quàm longissimè nos elongemus (quantumlibet id ingerat doloris aut incommodi) quàm ut
Genes. 39. *præsenti periculo nos committamus. Sic castus ille Ioseph dominam suam, quæ in eum oculos suos injecerat, ad adulterium solicitans, quoad fieri poterat, fugiebat, malens etiam se in vitæ discrimen conjicere, quàm tantum crimen committere. Atque hoc est quod monet*
Psal. 118. *Psaltes, quum inquit: Averte oculos meos ne videant vanitatem. Et Sapiens Ecclesiastici 9. Virginem,* inquit, *non conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius: averte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hac concupiscentia quasi ignis exardescit. Speciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti sunt: colloquium enim illius quasi ignis exardescit. Nec mirum: ascendit enim, (ut Hieremias Pro-*
Jerem. c. 9. *pheta ait) mors per fenestras nostras: hoc est, per sensus; quemadmodum idem Propheta alio in loco dixit: Oculus meus depredatus est animam meam. Et Salomon Proverb. 6. Nunquid,* inquit, *potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta sua non ardeant? aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Reipsa comperimus, incendi ignem, quum proximat stipula. Ad eundem modum (Hieronymo teste) flammigero igne*

per-

percutit fœmina conscientiam pariter habitantis. Sic etiam verba Christi in Euangelio explicat Sanctus Joannes Chrysostomus: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo; hoc est dicere: Qui dat operam in venusta corpora curiosiùs intueri, & decoras aucupari facies, talique animam spectaculo, obscœnos pulchris etiam vultibus oculos affigere. Non enim idcirco Dominus advenisse contentus est, ut solummodò corpus à malis actibus, sed ut priùs animam quoque ab hujusmodi cogitationibus averteret. Quia enim Sancti Spiritus gratiam mente suscepimus, meritò ipsam purificat primam. Et quemadmodum, inquis, possumus à concupiscentia liberari? Maximè quidem, si velimus, etiam ipsam mortificare possibile est, atque à tali prorsus æstu otiosum pectus manere: hìc enim non omnino generaliter concupiscentiam interimit, sed illam quæ ex formæ decore concipitur. Qui enim studet elegantes facies inspicere, ipse præcipuè fornacem sibi istius passionis accendit, & captivam faciens animam, ad opus quoque celeriter adducit. Propterea non dixit: Qui concupivit ad adulterandum: sed: Qui viderit ad concupiscendũ.* Et paulò inferiùs: *Non passim dixit* Christus, *qui concupiverit, sed qui, inquit, viderit mulierem ad concupiscendum: id est, qui concupiscentiam videndi curiositate collegerit, quique nullo omnino cogente, quiescenti animæ feram subitò immiserit. Hoc enim non jam naturæ est, sed propriæ omninò desidiæ: quod certè etiam veteri Lege prohibetur: Noli, inquit, addiscere pulchritudinem alienam. Deinde ne quis diceret: Quid autem, & si inspiciam, nec tamen capiar? Cohibuit aspectum, ne hujusmodi licentia fidens, etiam in peccatum quandoque corrueres. Quid autem, inquis, si video ad concupiscendum, sed ta-*

S. Chrys. hom.17.in c.5.Matt.

Prov.c.6.

tamen turpe nil egero? Et sic quidem jam in adulterorum parte numeraris. Pronuntiavit enim Lator Legis, nec amplius aliquid hic oportet inquiri. Deinde semel quidem, & secundò, & tertiò sic videns, possis animum continere. Si verò frequenter id feceris, fornacemque istam sponte succenderis, profectò capieris. Neque enim extra naturam aleamque humanam consistis. Sicut enim nos cùm gladium teneri videamus à puero, etiamsi nondum eum vulneratum inde esse cernamus, verberamus tamen, ac sæpe minantes denunciamus, ne quando illum rursus attingat: ita etiam Deus inverecundum coercet aspectum, ne quandoque in ipsam quoque incidat actionem. Qui enim in se flammam cupiditatis accenderit, etiam absente muliere quam vidit, jugiter apud semetipsum turpiter rerum simulacra depingit. Et necesse est hujusmodi nonnunquam ad flagitium ipsum etiam opere pervenire. Propterea illos quoque qui in solo fiunt corde complexus, Christus interimit.

Iob.c.31.1. Sibi mirum in modum cavebat Job, dicens: *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hæreditatem Omnipotens de excelsis?* Prudentem illam sancti viri providentiam expendens

S.Greg.Papa, lib.21. mor. in 3. cap. Iob. cap.2. B. Gregorius Papa, sic loquitur: *Quisquis per has corporis fenestras* (scilicet oculos) *incautè exteriùs respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens, cadit; atque obligatus desideriis, incipit velle quod noluit. Præceps quippe anima, dum ante non providet, ne incautè videat quod concupiscat, cæca post incipit desiderare quod vidit. Unde & Prophetæ David mens, quæ sublevata sæpè mysteriis internis intererat, quia alienam conjugem incautè vidit, obtenebrata postmodum sibimet illicitè conjunxit. Sanctus autem vir,*

qui

qui acceptis corporis sensibus, velut subjectis ministris quidam æquissimus judex præest, culpas conspicit, antequam veniant, & velut insidianti morti fenestras corporis claudit dicens: Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine: ne enim cogitationes cordis castè servare potuisset, fœdus cum oculis pepigit, ne priùs incautè aspiceret, quòd postmodum invitus amaret. Valdè namque est grave quod caro deorsum trahit, & semel species formæ cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu solvitur. Ne ergo quædam lubrica in cogitatione versemus, providendum nobis est; quia intueri non decet, quod non licet concupisci. Ut enim munda mens in cogitatione servetur à lascivia voluptatis suæ, deprimendi sunt oculi quasi quidam raptores ad culpam, &c.

Sed præcipuè illud S. Augustini monitum nobis servandum est, ne ex temeritate & præsumptione in carnis peccata miserè labamur: *Oculi vestri*, inquit Doctorum aquila, *etsi jaciantur in aliquam, figantur in neminem.* S. August. in reg. seu ep.109. ad Monach.

Notandum est etiam, cum S. Clemente Alexandrino, quòd ut quamplurima vitentur peccata, quæ ex aspectu oriri solent; *nullomodo permittendum est mulieribus ut nudam aliquam corporis partem offerant viris, ne ambo prolabantur: hi quidem, ut qui ad videndum incitentur; illæ verò, ut quæ in se virorum intuitum attrahant.* Et ita acriter increpandæ sunt à Confessariis & aliis Superioribus illæ mulieres, quæ pectore & brachiis nudis incedunt. De tali nuditate reprimendâ locutus sum alibi sæpiùs, & præsertim Tom.5. Tr.5. c.2. n.8. S.Clemens Alex. in Pædagogo l.2. c.2.

Quæst. 7. Quale peccatum committitur in turpi confabulatione, seu turpiloquio & similibus?

Resp.

Resp. Loqui, vel canere turpia, & lascivia, vel etiam legere, aut scribere, aut audire cum intentione seipsum aut alios excitandi ad opus carnale, vel cum animo se oblectandi, & voluptatem capiendi ex rebus ipsis quæ narrantur, & imaginationi objiciuntur, vel etiam si fiat tantùm cum periculo alicujus oblectationis venereæ in se vel in altero: regulariter extra matrimonium non fit sine peccato mortali, cùm præsertim scandalum aut periculum grave vix à talibus rebus abesse possint. Unde ita differit S. Antoninus: *De hoc nulli dubium est, quòd qui dicit verba turpia & lasciva, hac intentione, ut se vel alium provocet ad luxuriam, vel semet delectandi in locutione, & cogitatione turpium extra matrimonium, mortaliter peccat. Quin imò dicendo verba honesta & bona, sed hoc fine, ut per illa tandem induceret ad libidinem, peccaret mortaliter: sicut & qui dat eleemosynam, ut cum illa persona valeat fornicari. Sed ubi talia verba turpia dicuntur ex quadam levitate ad solatium, quamvis de se non videantur mortalia, quia peccata oris secundùm Thomam permaximè judicantur quoad gravitatem peccati ex intentione proferentis: propter quod dicit Augustinus, quod ream linguam non facit, nisi rea mens; tamen per accidens posset esse mortale ibi ratione scandali, seu ruinæ inde sequentis in mente alicujus, ut cùm audientes sunt debiles spiritu, & verba essent multùm lasciva. Idem videtur dicendum de facientibus, vel cantantibus cantilenas plenas lasciviis: sed audientes libenter talia, non tantùm ex quadam levitate & solatio vano, sed etiam delectationem deliberatam in tali materia audita quærentes, non videntur posse excusari à mortali, sicut nec à delectatione morosa turpis cogitationis, cùm ex auditu sequantur*

S. Ant. p. 2. tit. 5. c. 6. §. 8.

talia

talia præcipuè mentibus infirmorum: nisi fortè hoc foret inter conjuges. Si ergo contingat præter intentionem talia audiri, vitare debent, vel saltem displicentiam mentis habere.

Mediatores autem in hujusmodi turpibus, qui portant ambassiatas de talibus materiis, sive viri, sive mulieres: vel qui persuadent, vel qui deferunt litteras scienter in istis, etiam honesta continentes, sed ad contrahendam malam amicitiam, nulli dubium est, quin peccent mortaliter; digni enim sunt morte æterna, videlicet non solùm qui faciunt hujusmodi, sed etiam qui consentiunt facientibus, ad Rom. cap. 1. Vnus autem modus consensus, est per operationem, ut hìc; & multò magis mittentes ipsas litteras, & scienter recipientes & legentes.

Nec sine crimine sunt, qui verba turpia & injuriosa passim proferunt, dum in ripâ fluminis vel maris versantur, contra homines vel etiam fœminas quæ navi vehuntur, nec prava corruptela, potiùs quàm consuetudo, tales excusare potest; Unde in Concilio Neapolitano sic statutum reperitur: *Quoniam usu compertum est, quam vera sit Apostoli sententia:* Corrumpunt, *inquit ille*, bonos mores colloquia mala; *idcircò Episcopi & Parochi quantam possunt curam adhibeant, ut antiqua illa loquendi corruptela tollatur, quæ præcipuè in agris & vinetis viget, quaque freti illius regionis rustici aliique vindemiatores, impunè sibi licere existimant tempore vindemiarum obscœnissima quæque verba, aut dictu audituque turpissima, in transeuntes, cujusvis sexus illi sint, & quod execrabilius & minus ferendum est, in Religiosas Ecclesiasticasque personas, sine sexuum ac statuum discrimine, passim eructare, sicque tenellas innoxiasque animas pervertere. Hortatur itaque Principes ac Magistratus*

Concilio Provinc. Neapolit. ann. 1576. cap.42.

Sancta

Sancta Synodus, ut tantam ac talem pestem è Campania exterminare velint, quia horrendum nimis est, quibus Apostolus præcipit ab scurrilibus & turpiloquio ut caveant, eos per omne turpitudinis genus, laxatis linguæ habenis, tam præcipites pervagari.

Quæst. 8. *Quænam peccata ponuntur à Sancto Antonino in sexto gradu luxuriæ?*

S. Ant. p. 2. tit. 5. c. 1. §. 9. *Resp. Sextus gradus luxuriæ*, inquit S. Antoninus, *est libidinosa contrectatio; quæ scilicet fit per oscula, amplexus, contactus manuum, vel aliarum partium corporis. Hanc Apostolus nominat turpitudinem, cum ait:* Omnis fornicatio, aut immunditia, aut turpitudo non nominetur in vobis; *ubi*

Ad Ephes. c. 5. v. 4. ib. v. 5. *Glossa: turpitudo, ut in osculis, amplexibus & hujusmodi: omnia talia sunt peccata mortalia, quando fiunt ex libidine extra matrimonium; unde Apostolus subdit:* Omnis fornicator, aut immundus non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. *Non autem resumit de turpitudine, stultiloquio, scurrilitate; quia sub illis, scilicet fornicatione & immunditia includuntur: in tantum enim sunt peccata, amplexus, oscula, tactus & stultiloquia, in quantum procedunt ex luxuria, quæ in fornicatione & immunditia notantur secundùm S. Thomam*, qui ita loquitur:

S. Tho. 2. 2. q. 154. ar. 4. in argum. Sed cõtra. Ib. in corp. Minùs est aspectus libidinosus, quàm tactus, amplexus, vel osculum: sed aspectus libidinosus est peccatum mortale.... Ergo multò magis osculum libidinosum, & alia hujusmodi sunt peccata mortalia. Aliquid dicitur esse peccatum mortale dupliciter: uno modo secundùm speciem suam, & hoc modo osculum, amplexus, vel tactus secundùm suam rationem non nominantur peccatum mortale; possunt enim hæc absque libidine fieri, vel propter consuetudinem patriæ, vel propter aliquam ne-

necessitatem, aut rationabilem causam. *De more enim,* inquit ibidem S. Antoninus, *in aliquibus locis, ut non solum viri viros, sed etiam viri mulieres, præcipuè consanguineas suas, cùm de novo adveniunt, vel visitant, amplexentur, & manus mutuò contingant, & osculentur: sicut & Iacob Patriarcha osculatus est Rachelem adolescentulam amore casto ut consanguineam. Necessitas quandoque compellit & tangere totum corpus, & etiam secretiora naturæ, ut Medicus infirmam in tali parte: talia non sunt peccata de se, quamvis possit supervenire & tentatio, & mala intentio; sed hoc erit per accidens.* Alio modo, ait Sanctus Thomas, dicitur aliquid esse peccatum mortale ex causa sua: sicut ille qui dat eleemosynam, ut aliquem inducat in hæresim, mortaliter peccat propter intentionem corruptam. Dictum est suprà, quòd consensus in delectationem peccati mortalis, est peccatum mortale, & non solùm consensus in actum. Et ideò cùm fornicatio sit peccatum mortale, & multò magis aliæ luxuriæ species; consequens est, quòd consensus in delectationem talis peccati, sit peccatum mortale, & non solùm consensus in actum: & ideò cùm oscula & amplexus hujusmodi, propter delectationem hujusmodi fiant, consequens est quòd sunt peccata mortalia, & sic solùm dicuntur libidinosa; unde hujusmodi secundùm quòd libidinosa sunt, sunt peccata mortalia. *Et qui,* prosequitur S. Antoninus, *permittit hæc sibi fieri ab eo quem æstimat ad hoc moveri amore libidinoso, mortaliter peccat; quia facientem & consentientem par pœna constringit, ut dicitur in Canone: sed qui permittit hoc sibi fieri, credens talem moveri ex delectatione fraterna, seu honesta amicitia, seu quadam humanitate, seu more patriæ, non pec-*

Genes. c. 20. 11.

S. Tho. 1. 2. q. 74. art. 7. & 8.

Can. Notum, 2. q. 1.

peccat, quamvis hoc faciens ex libidine moveretur, & per consequens mortaliter peccaret: & hoc quoad oscula, amplexus, & dando alter alteri manum, ut moris est: quod tamen periculosum est, & ideò cavendum ab his inter virum & mulierem, etiam religiosos: Bonum est, *inquit Apostolus*, mulierem non tangere: *Nam ut dicitur in Ecclesiastico,* Qui tetigerit picem, *cui similis est mulier,* inquinabitur ab ea...... *Et quamvis prædicta, scilicet oscula, amplexus, & tactus non impediant bonum prolis generandæ & educandæ, quia ex his præcisè non potest sequi generatio; tamen ipsa procedunt ex libidine, quæ est radix hujusmodi impedimenti, & secundùm hoc, scilicet in quantum libidinosa, sunt mortalia, & non aliter secundùm Thomam ubi suprà. Dicit enim Vlricus in Quodlibeto & in Summa sua, quòd propterea Apostolus, postquàm reprehendit hujusmodi vitia, scilicet turpitudinem, ut in tactibus, osculis: stultiloquium, & scurrilitatem, connumerans ea inter peccata mortalia manifesta, quia & ipsa talia sunt, cùm procedunt ex libidine, subdit:* Nemo vos seducat inanibus verbis: propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ: *Quod dicit propter quosdam qui tunc fortè parvi pendebant hujusmodi vitia, sicut & nunc sunt aliqui turpes hujusmodi annihilantes. Probat hoc idem per authoritatem Christi:* Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, &c. *Vbi dicit Beda, quòd visus accipitur ibi pro omni motu ad delectationem veneream, scilicet extra matrimonium; & concludit ipse Vlricus, quòd ista esse mortalia tenendum est omninò, non tanquam opinio, de qua aliter sentire liceat, sed tanquam veritas ad fidem pertinens, sicut omnia quæ pertinent ad bonos mores: & qui pertinaciter assereret contrarium, esset hæreticus; quia est*

1. ad Cor c. 7. 1.

Eccl. c. 13. v. 1.

Ad Eph. 5. 6.

Matth. c. 5. v. 28.

Beda in Matt. c. 5.

con-

contra Scripturam à Sanctis expositam. Inde videre licet, in quæ præcipitia labantur, qui passim in materia morum, à Canonum & Sanctorum Patrum dictis, nescio quibus ratiunculis nixi, temerè discedunt, *docentes doctrinas & mandata hominum.* Cæterùm Alexander VII. propositionem sequentem inter alias benè multas damnavit. Matth. 15. v. 9. Alexander VII. in Decreto dato die 18. Martii 1666.

XL. Propositio damnata: *Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantùm veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.*

Quæst. 9. Quot sunt vitia, quæ ex luxuria sæpiùs oriuntur?

Resp. Sanctus Gregorius Papa octo perversas impudicitiæ filias enumerat, dùm ait: *De luxuria, cæcitas mentis, inconsideratio, inconstantia, præcipitatio, amor sui, odium Dei, affectus præsentis sæculi, horror autem vel desperatio futuri generantur.* Quam eruditissimi Ecclesiæ Doctoris sententiam fusiùs exponit sanctus Thomas, & ex illius doctrina infertur, quatuor priores filias luxuriæ intellectum afficere; totidem autem posteriores voluntatem fœdare. Et primò quidem per cæcitatem mentis, quæ ex luxuria provenit, bonum putatur, quod malum est, & finis in iis statuitur, quæ fugienda maximè essent; unde sic Daniel senem impudicum affatus est: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum.* Et ibidem dicitur, *quòd exarserunt in concupiscentiam Susannæ, & everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos, ut non viderent cœlum, neque recordarentur judiciorum justorum.* Sed & Salomon de juvene sermonibus meretricis irretito sic loquitur: *Statim eam sequitur* S. Gregor. Papa, lib. 31. Moral. in 39. c. Iob c. 17. S. Tho. 2. 2. q. 153. a. 5. Daniel. c. 13. v. 55. Ibid. v. 9. Prov. c. 7. 22.

quasi bos ductus ad victimam, & quasi agnus lasciviens, & ignorans, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat sagitta jecur ejus: velut si avis festinet ad laqueum: & nescit, quòd de periculo animæ illius agitur. Terribile hujus cæcitatis exemplum postmodùm factus est ipse Salomon: *Cùmque*
Lib.2.Reg. c.11.4. *jam esset senex*, ut ait Scriptura, *depravatum est cor ejus per mulieres, ut sequeretur Deos alienos.*

Secunda luxuriæ filia est inconsideratio, quâ quis ad ea quæ facienda, vel fugienda sunt, non attendit; per inconstantiam autem homo luxuriæ deditus, ea quæ rectè decrevit, sæpè exequi non valet; facillimè autem à bono proposito resilit, & de eo dici potest: *Stultus sicut luna mutatur.* Denique per præcipitationem intelligitur prudentis deliberationis defectus, & temeritas illius qui in rebus agendis consilium adhibere non curat.

Ecclef. c. 17. 12.

Amor inordinatus sui & voluptatum præsentis sæculi, frequenter ex impudicitia oritur; & huic vitio deditis sæpiùs carnem suam, ejusque obscœnas voluptates ita diligunt, ut in his quasi ultimum finem constituere videantur, dum omnes curas & sollicitudines ad illarum assecutionem referunt. Hujusmodi erant illi, quos Scriptura ita loquentes describit: *Venite ergo,*
Sap. c.2.6. *fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute celeriter; vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis: coronemus nos rosis antequàm marcescant, nullum pratum sit quod non transeat luxuria nostra, nemo nostrum exsors sit luxuriæ nostræ: ubique relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Inde etiam ex illo ardenti voluptatum carnalium desiderio ori-

oritur quoddam odium Dei, quia luxuriæ peccata prohibet, & debitis pœnis plectit; sæpè enim fit, ut impuri homines eò dementiæ progrediantur, ut velint nullam esse legem talia prohibentem, & ipsam Dei justitiam, quæ impudicos ardentissimo igne in inferno puniendos fore statuit, improbent, & summoperè aversentur.

Septima luxuriæ filia vocatur affectus præsentis sæculi, qui præcipuè ex voluptatum carnalium complacentia oritur, ita ut illis dediti, sæpè contenti essent in hoc mundo semper immorari, nullo modo de beatitudinis æternæ consecutione curantes. Tamdem ex impudicitia oritur horror seu desperatio futuri sæculi, quia post mortem nullum impuris voluptatibus esse locum videt luxuriosus; horret quoque divinum judicium statim futurum, quia Deum suorum scelerum ultorem timet, nec illius misericordiam salutari pœnitentiâ demereri se posse confidit, quia obscœnis deliciis omnino renuntiare quasi impossibile reputat. Hac impiâ & fatuâ desperatione pressus homo, in vastum impudicitiæ pelagus prorumpit, & conversioni suæ majores semper difficultates adjungit; nam, ut dicitur ab Apostolo: *Desperantes semetipsos tradiderunt impudicitiæ omni*. His etiam verbis filias luxuriæ explicat S. Bonaventura: *Cæcitas mentis, est voluntas fastidiens, despiciens superiora & spiritualia. Inconsideratio, est voluntas prævidere renuens agenda inferiora. Inconstantia, est voluntas libidine carnis confracta, statum suum tenere non valens. Præcipitatio, est voluntas ad aggredi quælibet impetuosè. Amor sui est voluntas affectione carnis imbuta, sibi propter se super omnia adhærens. Odium Dei, est voluntas, Deum tanquàm impedimentum pro-*

Ad Ephes. c. 4. 19.

S. Bonav. in 1. p. Cetiloquii sect. 24. de luxuria.

priæ voluntatis carnalis, vel voluptatis detestans. Affectus præsentis sæculi, est voluntas præsens, sæculum semper manere desiderans, propter fruitionem voluptatis carnis. Desperatio, sive horror futuri sæculi, est voluntas voluptate præsenti cæcata, de æterna jucunditate desperans.

Quæst. 10. *Quæ remedia adversùs luxuriam possunt adhiberi?*

Resp. Varia hujusmodi remedia assignant sancti Patres, & ii omnes qui de vita spirituali libros conscripsere, ad quos lectorem remittere fortasse sufficeret; attamen breviter dici potest, custodiam sensuum exteriorum, præsertim visus, fugam otii, & occasionum, in quibus castitas periclitari solet, veluti colloquiorum cum fœminis, chorearum, comœdiarum, & similium, quæ libidinis incentiva rectè dici possunt, assiduam denique & ferventem orationem, cum jejunio & carnis mortificatione conjunctam, tanquam illius vitii salubriora remedia ab omnibus passim prædicari: *Si turpis & carnalis te malè vexat concupiscentia*, inquit sanctus Joannes Damascenus, *illam vigiliis, labore, orationibus & inedia expelle: proderit & mortis meditatio, mortiferique gaudii supplicium, ac sexus alterius declinatio*. Nam ut ait pius juxtà ac eruditus nostri ævi Cardinalis: *Facta est mulier à Deo adjutrix viri, sed dolo serpentis, personam sumpsit hostilem. Nihil in illa, nisi quod feriat, quod urat, quod interficiat. Nulla est hiæna, nullus basiliscus, qui cum illius voce & oculis conferri possit. Ah! fuge ejus aspectum, fuge colloquium, quicumque tuam optas salutem: suum morem illa retinet, semper hominem expellit è paradiso. Familiare huic est multas prætexere excusationes necessitatis, consuetudinis, puræ intentio-*

S. Ioan. Damasc. de octo vitiosis cogitationibus.

Card. Bona oper. tom. 1. in Manuductione ad cœlum, c. 5. de luxuria, n. 3.

tionis; sed latitant sub specie boni ingentia mala. Inde enim prosiliunt nocituræ libertates, incauta colloquia, gestus leviores, modestiæ neglectus, crebra munuscula, & quædam hilaritudines, quibus paulatim deponitur pudor, & tota demum exuitur verecundia. Crescunt hæc per intervalla; & qui rubore suffusus ad sola mulierum vestigia horrescebat, jam vultu constanti lascivientes oculos, nudatumque pectus intuetur; & blando intus operante veneno, prius damna patitur, quàm periculum senserit. Sic paulatim rationis oculus caligare incipit, postea obcæcatur. Sic anima cælo nata affigitur humi, immemor Dei, immemor sui; donec flamma concupiscentiæ semper duraturo incendio absorbeatur.

Periculosas quasdam luxuriæ occasiones diligentiùs fugiendas monet Eminentissimus Cardinalis Petruccius in Synodo Æsina, his verbis: *Præcipuam curam adhibeant Parochi, in Civitate præsertim, ut morum corruptelas peccandique occasiones eliminent, quæ facilè possunt germinare ex promiscua marium & fæminarum turba, quæ passim adunari solet in domibus, & in apothecis, in quibus tibialia ex lanis conficiuntur, quod sanè præstabunt, penitùs vetando, ne ii ad quos negotium pertinet, eos simul stare patiantur; sed in separatis cubiculis retineantur, ut non tantùm inter se non colloqui, sed neque se se mutuo conspicere valeant.* Synod. Æsina, ann. 1683. ti.29.

Parochi, prout districtè & diligentissimè poterunt, maximoperè item curent, ne cum fæmina mas simul in eodem lecto decumbat (quocumque etiam arctissimo propinquitatis gradu conjuncti sint) qui, licèt puerilis ætas adhuc in ipsis vigeat, tamen ita grandiusculi sunt, ut aliqua inde suspicio impuri

flagitii meritò possit oriri. Neque pauperta-tis, angustæque domus excusationi locus fa-cilè detur, quominus istiusmodi obscœnita-tum materia omninò præcidatur; cum hu-mi potius jacere deberent, quàm in culci-tris cum peccandi periculo. Videatur id quod ex Synodo Farfensi insertum est To. 6. Tr. 5. c. 3. q. 7.

Synod. Cesenaten. ann. 1693. lib. 4. c. 2.

Et in præclara Synodo Eminentissimi Cardinalis Denoff, statuitur, ut *Parochi sæpiùs parentes inter Missarum solemnia com-monefaciant, ne masculos & fœminas, post completum septimum ætatis annum, simul in eodem lecto, multoque minus in cubili, ubi ipsi, aut alii quivis conjugati, dormiunt, jacere sinant: comminantes unicuique districtam Dei ultionem, qui scandalizaverit unum de pusillis istis.*

Tom. 4. trait. 9. du Sacrem. de Mariage, chap. 1. Tom. 4. trait. 6. du Sacrem. de Penitence, chap. 5. nomb. 12. Ibid. chap. 7. nu. 3. & 13. 14. chap. 9. nu. 7. To. 5. trait. 5. du 4. Precepte, chap. 2. nu. 8. & 9.

Cæterùm de carnalibus peccatis, in quæ prolabi possunt ii qui matrimonio juncti sunt, specialem tractatum jam habuimus, & de fuga occasionum quæ ad impudicitiam ducunt, locuti sumus alibi. Hoc unum igitur superesse videtur, ut de ebrietate, & commessationibus agamus, quæ ad sextum Præceptum ideò referuntur; quia, ut ait sanctus Hieronymus: *Secundùm Apostolum, in vino luxuria est, & ubicumque saturitas atque ebrietas fuerint, ibi libido dominatur.*

S. Hieronym. in comment. in Epist. ad Titum, cap. 1.

CAPUT III.

De Gula.

Quæst. 1. QUid est gula?
Resp. Gula nihil aliud est, quàm appetitus inordinatus edendi vel bibendi propter delectationem inde provenientem. Hæc definitio sumpta est ex expressa Sancti Thomæ doctrina, *Gula*, inquit, *non nominat quemlibet appetitum edendi & bibendi, sed inordinatum*. Et Paulò inferiùs suam mentem explicat Angelicus Doctor, dicens: *Hoc solùm pertinet ad gulam, quòd aliquis propter concupiscentiam cibi delectabilis, scienter excedat mensuram in edendo*. Demùm, *Gula*, inquit, *propriè consistit circa immoderatam delectationem, quæ est in cibis & potibus*. S.Tho.2.2. q.148.ar.1. in corp. Ibid. ad 2. Ibid.a.6.in corp.

Quæst. 2. Voluptas quæ ex cibo & potu percipitur, est-ne semper peccaminosa?

Resp. Modò quis non manducet aut bibat principaliter propter delectationem, & id solùm fiat ad augendas aut reparandas corporis vires, & conservandam aut restituendam sanitatem, non peccat; etiamsi sentiat, etiam voluntariè, hanc delectationem, quam Deus huic actui concessit; quia, ut notat Sanctus Augustinus, ut plurimùm, *non solùm cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri: non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem*. Sed hæc delectationis species ex sapore proveniens, non debet principaliter quæri, nec ob voluptatem debet quis bibere aut manducare; hic enim esset aliquod peccatum, quo quis sibi tanquam finem proponeret id quod consi- S.Aug.lib. 4.cōtra Julian.c.14.

derandum est tanquam medium: & contra rectam rationem ageret, qui potiùs propter delectationem, quàm propter sanitatem manducaret aut biberet: *Ipsa delectatio de se non est mala,* ut docet Sanctus Antoninus, *cùm sit naturalis; sed cum complacet sibi in cibi & potus usu propter ipsam delectationem, non propter sustentationem, ibi est peccatum: sive cùm comedit vel bibit principaliter propter delectationem ipsam; sive comedat propter sustentationem, sed in ipso esu & potu jam tunc tentatur comedere propter ipsam delectationem.*

S. Anton. p.2.tit.6.c.1.§.2.

Unde sancta Sedes sequentem propositionem potiùs doctrinæ Epicuri quàm Christi convenientem damnavit.

Innocent. XI. in Decreto contra 65. proposit. 2. Martii 1679.

VIII. Propositio damnata.

Comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, non est peccatum; modò non obsit valetudini; quia licitè potest appetitus naturalis suis actibus frui.

Qui hanc propositionem tenuerunt, non satis attenderunt, & *nondum didicerunt,* ut ait sanctus Clemens Alexandrinus, *Deum parasse suo opificio, homini inquam, cibum & potum, ut conservetur, non autem ut voluptate afficiatur.* Sanctus autem Augustinus doctrinam affert novis Casuistarum aliquot opinionibus valdè contrariam, dum sic differit: *Novi, concupiscentias carnales esse frænandas, tantùmque remittendum in delectatione sensuum corporalium, quantùm sustentandæ hujusmodi agendæque vitæ satis est.* Idem sanctus Doctor laqueos omnes & offendicula mirè describit, quæ à voluptate nobis in esca & potu præparantur, dum Deum in Confessionibus alloquens, sic loquitur: *Hoc me docuisti, ut quemadmodùm medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed dum ad quietem satietatis ex indi-*

S.Clemens Alexand. in Pædagogo lib. 2.c.1.

S. August. Epist. 250.

Idem lib. 10.Confes. c.31.

gen-

gentiæ molestia transeo, in ipso transitu mihi insidiatur laqueus concupiscentiæ; ipse enim transitus voluptas est, & non est alius qua transeatur, quàm qua transire cogit necessitas. Et cùm salus sit causa edendi & bibendi, adjungit se tanquam pedisequa periculosa jucunditas, & plerumquè præire conatur, ut ejus causa fiat, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo; nec idem modus utriusque est: nam quod satis est saluti, delectationi parùm est. Et sæpe incertum fit, utrum adhuc necessaria corporis cura subsidium petat, an voluptuaria cupiditatis fallacia ministerium suppetat. Ad hoc incertum hilarescit infælix anima, & in eo præparat excusationis patrocinium: gaudens non apparere, quid satis sit moderationi valetudinis, ut, obtentu salutis obumbret negotium voluptatis.

Unde etiam sanctus Gregorius Papa: *Discretus vir*, inquit, *ac continens, & usque ad temperandam necessitatem ventrem reficit, & à voluptate restringit. Sciendum verò est, quia sic voluptas sub necessitate se palliat, ut vix eam perfectus quisque discernat. Nam dum solvi debitum necessitas petit, voluptas explere desiderium suppetit: & tantò gula securiùs in præceps rapit, quantò sub honesto nomine necessitas explendæ se contegit. Sæpe autem in ipsa edendi via, furtivè adjuncta voluptas subsequitur: nonnunquàm verò impudenter libera etiam præire conatur. Facilè autem est deprehendere, cùm voluptas esus necessitatem prævenit; sed valdè est difficile discernere, cùm in ipso esu necessario se occulta subjungit. Nam quia præeuntem naturæ appetitum sequitur, quasi à tergo veniens tardiùs videtur; eo enim tempore quo necessitati debitum solvitur, quia per esum voluptas necessitati miscetur, quid necessitas petat, & quid sicut dictum est, voluptas suppetat, ignoratur.* S. Greg. Moral. lib. 30. c. 14. in 39. c. Iob.

Sapè verò & discernimus, & quia utramque per experientiam sibi conjunctam novimus: in hoc quòd extra metas rapimur, liberè reficiendo fallimur; & dum sibi mens ex necessitate blanditur, ex voluptate decipitur.

Quæst. 3. Quot modis potest peccari per gulam?

S.Greg.Papa lib. 30. c.13. in 39. c. Iob Refertur, in Can.Quinque de Cõsecrati. dist. 5.

Resp. Idem sanctus Gregorius, quem omninò sequitur Divus Thomas, docet, quinque potissimùm modis peccari posse per gulam: *Quinque modis*, inquit, *nos gulæ vitium tentat. Aliquando namque indigentiæ tempora prævenit: aliquando verò tempus non prævenit, sed cibos lautiores quærit: aliquando quælibet sumenda sint, præparari accuratiùs expetit: aliquando autem & qualitati ciborum & tempori congruit, sed in ipsa quantitate sumendi, mensuram moderatæ refectionis excedit. Nonnunquam verò & abjectius est, quod desiderat, & tamen in ipso æstu immensi desiderii deteriùs peccat. Mortis quippè sententiam patris ore Ionathas meruit, quia in gustu mellis constitutum edendi tempus antecessit. Et ex Egypto populus eductus, in eremo occubuit, quia, despecto manna, cibos carnium petiit, quos lautiores putavit. Et prima filiorum Heli culpa suborta est, quòd ex eorum voto Sacerdotis puer, non antiquo more coctas vellet de sacrificio carnes accipere, sed crudas quæreret, quas accuratiùs exhiberet. Et cùm ad Hierusalem dicitur:* Hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, saturitas panis, & abundantia: *apertè ostenditur, quòd idcircò salutem perdidit, quia cum superbiæ vitio mensuram moderatæ refectionis excessit.*

Et primogenitorum gloriam Esau amisit, quia magno æstu desiderii vilem cibum, scilicet lenticulam, concupivit; quam dum ven-

dendis etiam primogenitis prætulit, quo in illam appetitu anhelaret, indicavit. Neque enim cibus, sed appetitus in vitio est. Unde & lautiores cibos plerumque sine culpa sumimus, & abjectiores non sine reatu conscientiæ degustamus. Hic quippe, quem diximus, Esau, primatum per lenticulam perdidit, & Elias in eremo per virtutem Spiritus carnes edendo servavit.

Unde & antiquus hostis, quia non cibum sed cibi concupiscentiam esse causam damnationis intelligit, & primum sibi hominem non carne sed pomo subdidit, & secundum non carne, sed pane tentavit. Hinc est quod plerumque Adam culpa committitur, etiam cum abjecta & vilia sumuntur. Neque enim Adam solus, ut à vetito se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit. Nam cùm alimenta quædam saluti nostræ Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sententiam vetat. Et dum concupiscentes noxia attingimus, profectò quid aliud quàm vetita degustamus? Ea itaque sumenda sunt, quæ naturæ necessitas quærit, & non quæ edendi libido suggerit.

Quocircà, ut præclarè docet sanctus Clemens Alexandrinus: *Ii cibi cavendi sunt, qui non esurientes nos cogunt comedere, appetitiones nostras veluti quibusdam præstigiis fallentes.* S. Clemens Alexandr. in Pædagogo lib. 2. c. 1.

Sanctus Antoninus fusiùs de his peccandi modis per gulam disserit, sed satis erit hìc præcipua referre, & quæ ad praxim pertinent, quæ certè praxis potissimùm in Operibus moralibus attendenda est: *Prima*, inquit, *gulæ species, seu modus, est nimis comedere, vel etiam bibere; quod enim dicitur de esu, totum dicendum est de potu: sed locutio in hujusmodi fit de esu, quia ibi magis ostenditur, & frequentiùs quàm in po-* S. Anton. p. 2. tit. 6. c. 1. §. 5.

 tu.

tu. Cùm autem ita exceditur in quantitate, ut incurratur ebrietas, illud est unum vitium speciale, de quo dicetur infrà. Cum verò bibitur ultra debitum, sed citrà ebrietatem, pertinet ad hanc speciem gulæ. Et perpetrari potest illud vitium ita circa vilissimos cibos & potus, sicut circa delicatos & pretiosos; unde dicitur Ezechielis Cap. 16. Hæc fuit iniquitas sororis tuæ Sodomæ, saturitas panis & aquæ.

De quantitate autem cibi & potus, non potest dari una certa regula omnibus secundùm eamdem mensuram; sed plus & minus exigitur secundùm varietatem complexionum & fatigationum: unus etiam & idem plus indiget uno tempore quàm alio, secundùm dispositionem sui corporis ... Tantùm ergo potest & debet quis comedere & bibere, quantùm credit se indigere ad sustentationem & executionem eorum quæ sibi incumbunt agenda; ita ut non usque ad nauseam sumat, sed cum aliquali adhuc appetitu finem faciat. Cùm autem, ex delectatione cibi vel potus, plus sumit, quàm sibi dictat conscientia opportunum, tunc peccat. Et de crapula carnisprivii, ex his quæ habentur dist. 4. cum Glossa, *videtur ibi esse mortale.* Eò magis, quòd sæpiùs gloriantur homines, dum tali crapulâ se velut ingurgitant, & alios ad similes excessus provocant, qui ut plurimùm sanitati nocent, & infœlices exitus sortiuntur.

S. Basilius in Asceticis, c. 10.

Demùm sanctus Basilius magnus innuit, quòd *ventrem plus æquo replere & cibis aggravari, maledictione dignum est: dicente Domino:* Væ qui nunc saturati estis; *& corpus ad operandum inutile reddit & ineptum, & ad somnos proclive, morbisque ac læsionibus magis expositum. Neque enim voluptas debet edendi finis constitui, sed vitæ necessitas, repudiata voluptatis intemperantia.*

tia. Voluptatibus enim servire, nihil aliud est, quàm ventrem constituere Deum.

Quæst. 4. Potest-ne reperiri peccatum in usu ciborum, qui nimiùm exquisiti & prætiosi sunt?

Resp. Idem fortè dici potest in hac materia, quod de vestibus dictum est: quòd scilicet quemadmodùm rusticus homo & plebejus non posset sine peccato uti vestibus, non sibi, sed nobilibus convenientibus, aut quæ aliàs ultra suum statum & infimam conditionem essent; ita non posset ordinariè, sine peccato, vesci cibis qui magnatibus potiùs quàm plebejis conveniunt; quia unusquisque secundùm mensuram status & conditionis, in qua à Deo positus est, vivere debet. Adde, quòd expensæ, quæ fiunt in usu ciborum delicatiorum & pretiosorum, non possunt esse sine culpa, respectu plebeji hominis & non divitis; quia eo ipso prodigalitatem sapiunt. Potest etiam dici, quòd dum quis ardentiùs exquirit cibos pretiosos & delicatiores, satis indicat, se potiùs comedere & bibere propter voluptatem & delectationem inde provenientem, quàm ut vitam, vires & sanitatem conservet; & ita considerat tanquam finem id quod debet tantùm attendi tanquàm medium; ut vidimus supra, juxta doctrinam S. Gregorii Papæ, S. Augustini, & S. Basilii.

Unde hæc gulæ species ab aliis differt, & juxta S. Antoninum: *Secunda species est, comedere cibos nimis delicatos propter delectationem: ut capones, phasianos, perdices, carnes vitulinas, lampedrias, sturiones, & hujusmodi; vina solemnia, ut malvaticum, vernacium, græcum, trebiarium, & hujusmodi. Si tamen quis utatur cibariis delicatis propter infirmitatem vel debilitatem hoc exigentem:*

S. Ant. p. 2. t. 6. cap. 1. §. 6.

tem: aut generis nobilitatem, ut Principes: aut temporis congruitatem, ut in nuptiis & conviviis discretis, potest esse hoc absque peccato.

Unde S. Augustinus, lib. 3. de Doctrina Christiana, cap. 10. *Refertur* in Can. *Quisquis*, dist. 41. *Fieri enim potest*, ut sine aliquo vitio cupidinis vel voracitatis, prætiosissimo cibo sapiens utatur; insipiens autem fœdissimâ gulæ flammâ in vilissimum olus ardescat: Et saniùs quisque maluerit, more Domini, pisce vesci, quàm lenticulâ, more Esau nepotis Abrahæ, aut ordeo more jumentorum. Non enim propterea continentiores nobis sunt pleræque bestiæ, quia vilioribus aluntur escis. Nam in omnibus hujusmodi rebus, non ex earum rerum naturâ quibus utimur, sed ex causâ utendi & modo appetendi, vel probandum vel improbandum quod facimus.

Et in eadem dist. Canone: *Non cogantur. Idem dicit:* Non cogantur divites pauperum cibis vesci, utantur consuetudine infirmitatis suæ; sed doleant aliter se non posse abstinere; si enim consuetudinem suam mutant, ægrotant: utantur superfluis, & dent pauperibus necessaria: utantur prætiosis, *& dent pauperibus vilia.*

Non inutile erit hìc referre, quod de vinis exquisitioribus è longinquis regionibus asportatis dicit S. Clemens Alexandrinus, qui de hac gulæ materia fusè disseruit: *Languescentis*, inquit, *& imbecillæ propter intemperantiam appetitionis sunt transmarinæ vini importationes, desipiente in desideriis animo, vel ante ebrietatem.*

S. Clemens Alex. in Pædagogo l. 2. c. 2.

Sanctus Antoninus mox de conviviis sic loquitur: *Convivia autem facere, ubi communiter lauta præparantur, cùm ex amicitia vel*

S. Ant. ib.

alia causa honesta fiunt, de se non sunt reprehensibilia; nam & Iob permittebat filiis suis convivia facere invicem: & Ioseph praeparavit fratribus suis convivium: & Abraham Angelis suis. Praecipuè cùm in conviviis adsunt quinque circumstantiae, quas ponit Sanctus Gregorius Papa, dicens in Epistola ad Natalem Episcopum. Registr. lib. 2. Epist. 37. Refertur *in Can.* Convivia, *dist.* 44. Convivia quae ex intentione impendendae charitatis fiunt, rectè vestra fraternitas in suis Epistolis laudat. Sed tamen sciendum est, quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cùm in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur; nec in eis inanes saecularium negotiorum fabulae, sed verba sacrae lectionis audiuntur: cùm non plus quàm necesse est servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendae virtutis habeatur.

Et quia raro est, quòd non in conviviis multa vana & irrisoria immisceantur, & ultra debitum comedatur & delectetur; ideò refert Augustinus, sibi ab Ambrosio traditum, ut vitaret convivia, quibus terminus temperantiae exceditur.

Est autem, inquit S. Clemens Alexandrinus, *valdè à ratione alienum, & inutile, & nequaquàm humanum, pecudum more saginatum morti nutriri, deorsùm in terram respicientes, & è terra semper in mensas procumbentes, lautam ac delicatam vitam persequentes, id quod bonum est, hìc utique in vita quae mox non est futura infodientes, soli cibi devorationi blandientes.* S. Clemens. Alex. in Paedagogo l. 2. c. 1.

Quaest. 5. Qualis est tertius modus peccandi per gulam?

Resp. S. Antoninus, qui de hâc materiâ fusiùs caeteris disseruit, quem idcircò tanquam ducem hìc sequimur, asserit, quòd S. Ant. p. 2. tit. 5. c. 2. §. 7.

tertia species gulæ est, ponere nimis de tempore & cura ad præparandum cibos, ut magis delectent: putà ut sint variati, assati, lixi cum aromatibus, cum saporibus, & hujusmodi. Quo vitio laboraverunt filii Heli sacerdotis; nam cùm populus accederet ad offerendum sacrificia animalium ad altare secundùm mandatum Legis: veniebat puer, & dicebat immolanti: da mihi carnem, *id est partem animalis occisi*, ut coquam Sacerdoti; non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam. *Quod faciebat, ut accuratiùs posset suo Sacerdoti præparare.* Dicebatque illi immolans: incendatur primùm, juxta morem, hodiè adeps, & tolle tibi quantumcumque desiderat anima tua: qui respondens ajebat ei: nequaquàm, nunc enim dabis, alioqui tollam vi. Et veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive in cacabum, & omne quod levabat fuscinula, tollebat Sacerdos sibi. *Et subditur lib. 1. Reg. cap. 2. quòd grande erat peccatum eorum; undè in punitionem in bello contra Philistæos occisi sunt.*

Et præcipuè in hoc solent delinquere divites, & etiam Prælati Ecclesiæ. Unde Alanus, De Planctu naturæ, ait: Hodiè gulæ vitium profundiùs se porrigit in Dominos & Prælatos; qui salmones, lucios, cæterosque pisces æquipollenti generositate insignes, variis decoctionum cruciant martyriis, balneantes officio sacri piperis fonte baptizant, ut multiformis saporis gratiam consequantur: alius ministrorum contundit, colat alius & conficit, substantiam vertit in accidens, naturam mutat in artem, ut saturitas transeat in esuriem. *Hæc ille.*

Sed

Sed magnam conscientiam sibi debent facere tales de tanto tempore quod amittunt, & faciunt ministros amittere pro hujusmodi præparatione, & expensis superfluis, quibus deberent pauperibus subvenire.

Et certè dubitandum non est, quin Ecclesiastici, qui ultra modum expendunt, ut mensam semper sumptuosè & delicatè apparatam habeant, in hoc plusquàm laici peccent, vel eâ de causâ quòd redditibus Ecclesiasticis malè utuntur; nec ullo modo prodesse potest frivola excusatio quam obtendunt, quòd scilicet quærant, similibus expensis, splendori Ecclesiæ servire, & sibi conciliare venerationem populi, qui ea quæ splendida sunt, solummodò æstimat; illud enim effugium exsufflatum est à Sancto Augustino & aliis Patribus in Concilio Carthaginensi IV. congregatis, dum sic graviter decreverunt: *Episcopus vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat: & dignitatis suæ authoritatem, fide & vitæ meritis quærat.* Concil. Carthag. 4. Canon. 15. refertur in Canon. Episcopus, dist. 41.

Quæst. 6. Peccant-ne qui avidiùs & celeriùs, quàm par est, manducant?

Resp. Cùm hæc celeritas aviditasque rectæ rationi conformia non sint, & indicare videantur, hominem concupiscentiæ motibus servire, magisque quærere in cibo & potu voluptatem & delectationem, quàm virium & sanitatis conservationem, præsertim cùm hæc festinatio sæpiùs corpori noceat; ideò Doctores quartam gulæ speciem in hac ardenti & nimis avidâ festinatione constituunt.

Undè etiam sanctus Clemens Alexandrinus: *Quomodo autem*, inquit, *non est à ratione alienum, manus condimentis immiscere, vel perpetuò ad obsonium extendere, non gustantium ritu, sed rapientium, ut* immo-

immoderatè & indecorè se impleant. Videre enim est eos qui sunt hujusmodi, suibus vel canibus propter voracitatem assimilari, potiùs quàm hominibus: qui adeò festinant, ut saturentur, ut ambæ maxillæ simul inflentur, festinatione indecora & ab honesta consuetudine aliena, intruso in ventrem nutrimento, tanquàm ad viaticum, non ad digestionem, edulia reponant. Atque cùm semper malum sit transire modum, tum in nutrimentis maximè reprobatur.

S. Ant. p. 2. cap. 1. §. 8. tit. 6. Iisdem rationibus motus S. Antoninus: *Quarta species gulæ*, inquit, *est nimis ardenter, seu nimia aviditate cibum & potum sumere; ad quod pertinere videtur comedere nimis rapaciter & festinanter. Et licèt quidam habeant à naturali conditione vel assuefactione, tamen corpori nocet; quia non ita benè potest cibus digeri quasi integer deglutitus, & minus benè ædificat. Et cùm procedit ex inordinato appetitu delectationis, gulæ peccatum est.... Et in hac specie gulæ ita peccatur vilissimis cibis, sicut pretiosis; imò frequenter offendunt homines, non facientes sibi conscientiam propter vilitatem cibi: & cum majori delectatione gulæ comeduntur aliquando herbæ, fructus, cepæ, allia & hujusmodi, quàm carnes: non attendentes, quod vitium gulæ in primis parentibus non fuit circa capones, & confectiones, sed in fructibus.... Vnde S. Augustinus ait*, in libro de Doctrina Christiana, cap. 10. Refertur in Canon. *Quisquis*, dist. 41. In omnibus talibus non usus rerum, sed libido utentis in culpa est. *Et idem super* Epistol. Joan. Refertur in Can. *Deliciæ* dist. 41. *dicit*: Deliciæ qualibet, si absque desiderio percipiantur, non officiunt; & viles cibi appetenter accepti, impediunt profectum abstinentiæ. *De Civitate Dei*, *cap.* 37. In exemplo Esau discimus, in vescen-

vescendo non cibi genere, sed aviditate immoderatâ quemquam culpandum..... *Infirmi vel sani, qui experti sunt, aliquod cibi vel potus nocere infirmitatibus eorum, & tamen sumunt propter aviditatem, utique peccant in hac specie gulæ, & hoc plus & minus, secundùm excessum quem faciunt.*

Neque enim, ut observat S. Gregorius Papa, *Adam solus, ut à vetito se pomo suspenderet, præceptum prohibitionis accepit; nam cùm alimenta quædam saluti nostræ Deus contraria indicat, ab his nos quasi per sententiam vetat. Et dum concupiscentes noxia attingimus, profectò quid aliud quàm vetita degustamus?* S. Gregor. li.30. mor. c.13. in 39. cap. Iob.

Hæc autem Sancti Gregorii doctrina valdè in praxi notanda est, cùm hæc manducatio earum rerum quæ ut plurimùm sanitati nocent, sit satis frequens, & exinde nullus sæpiùs vel minimus scrupulus peccati nascatur; licèt id manifestè contra rectam rationem sit, & hæc species gulæ valdè deformis sit coram Deo. Unde meritò concludendum est, quòd puellæ, quæ aliquandò, ex appetitu depravato, carbones manducant, aut calcem, cineres, ceram, aut his similia, quæ ut plurimùm varios morbos gignunt, & obstructionibus valdè nocivis ansam præbent, graviter peccare, & gulæ vitium eò deteriùs incurrere, quòd gustui pravo ardenter servientes, varia damna quę inde proveniunt, nullo modo curant, & sanitati nocentes, contra quintum etiam Decalogi Præceptum agunt; quo non solùm vetatur, ne alienæ sanitati, sed etiam ne propriæ voluntariè noceamus: quod certè contra rectam rationem esse nullus dubitare potest.

Quæst. 7. Quænam est quinta & ultima Gulæ species?

Resp.

Resp. Cùm quis prævenit & anticipat comestionis horam, quasi velit cibum omni horâ sumere, nec ullam in hoc regulam ordinariè sequi; quod certè ut plurimùm sanitati nocet, & indicat, hominem potiùs propter delectationem & voluptatem comedere aut bibere, quàm ut vires corporis reficiat & sanitatem conservet; hic autem agendi modus, & comedendi statim post prandium aut cœnam, aut etiam pluries in die sine ratione, regulâ, aut modo, vix potest servari sine detrimento sanitatis; & tales helluones, ut observat Sanctus Antoninus, *nec sani vivere possunt, cùm ponant indigestum super indigestum; undo mali humores generantur, & caput etiam fumositatibus est gravatum, & malè aptum ad spiritualia. Et hoc, nisi magnus labor excuset: ut laborantes in agris, viatores, pueri dum sunt in augmento.*

S.Ant.p.2. tit.6.c.1. §.9.

Quinque illæ gulæ species in unico versu, à Sancto Thoma relato, comprehenduntur:

S.Tho.2.2. q.148.ar.4.

Præproperè, lautè, nimis, ardenter, studiosè.

Quæst. 8. Quid est ebrietas?

Resp. Ebrietas dupliciter potest accipi, juxta Doctorem Angelicum; *uno modo, prout significat ipsum defectum hominis, qui accidit ex multo vino potato; ex quo fit ut non sit compos rationis. Et secundùm hoc ebrietas non nominat culpam, sed defectum pœnalem consequentem ex culpa. Alio modo ebrietas potest nominari actus, quo quis in hunc defectum incidit, qui potest causare ebrietatem dupliciter: uno modo ex nimia vini fortitudine præter opinionem bibentis; & sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato, præcipuè si non ex negligentia hominis contingat: & sic creditur Noe inebriatus fuisse, ut legitur*

S.Tho.2.2. q.150.ar.1. in corp.

Ge-

Genesis 9. *Alio modo ex inordinata concupiscentia & usu vini; & sic ebrietas ponitur esse peccatum, & continetur sub gula, sicut species sub genere; dividitur enim gula in comessationem & ebrietatem.*

Quaest. 9. Ebrietas est-ne grave peccatum?

Resp. Cùm per ebrietatem homo voluntariè usum rationis per aliquod tempus amittat, bestiisque se similem reddat, ut pravæ cupiditati serviat; cùm etiam se exponat periculo varia perpetrandi peccata, & damna sibi ipsi aut proximo inferendi, dubitari non potest, quin ebrietas ex natura sua grave peccatum sit. Id ex verbis sacræ Scripturæ patet; nam ut habetur in libro Proverbiorum: *Cui væ? Cujus patri væ? Cui foveæ? Cui sine causa vulnera? Cui suffusio oculorum? Nonne his qui commorantur in vino, & student calicibus potandis? Ne intuearis vinum quando flavescit, cùm splenduerit in vitro color ejus: ingreditur blandè, sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet. Oculi tui videbunt extraneas, & cor tuum loquetur perversa. Et eris sicut dormiens in medio mari, & quasi sopitus gubernator, amisso clavo: & dices, verberaverunt me, sed non dolui: traxerunt me, & ego non sensi: quando evigilabo, & rursùs vina reperiam?* Prov. c. 23. 29.

Gravitatem etiam ebrietatis explicat Isajas Propheta, & multiplicia quæ ex ea sequuntur mala, dicens: *Væ qui consurgitis manè ad ebrietatem sectandam, & potandum usque ad vesperam. Cythara, & lira, & tympanum, & tibia, & vinum in conviviis vestris: & opus Domini non respicitis, nec opera manuum ejus consideratis. Propterea captivus factus est populus meus, quia non habuit scientiam, & nobiles ejus* Isajæ c. 5.

in-

interierunt fame, & multitudo ejus siti exaruit. Propterea dilatavit infernus animam suam, & aperuit os suum absque ullo termino: & descendent fortes ejus, & populus ejus, & sublimes gloriosique ejus ad eum. . . . Væ qui potentes estis ad bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrietatem.

Idcircò etiam Apostolus Paulus ebrietatem inter varia magna crimina collocat, & his verbis concludit: *Ebriosi regnum Dei non possidebunt*. Quæ certè verba peccatnm esse mortale evincunt.

1. ad Cor. c. 6. 10.

Unde Sanctus Augustinus apertè asserit, quòd *quicumque ebriosus pænitentiam de ipsa non egerit, sed usque ad mortem suam in ipsa ebrietate permanserit, in æternum profectò peribit; quia non mentitur Spiritus Sanctus per Apostolum dicens:* Neque ebriosi regnum Dei possidebunt. . . . *Ebrietas quasi inferni puteus, quoscumque susceperit, nisi digna subvenerit pænitentia, & emendatio fuerit subsecuta, ita fortiter sibi vindicat, ut eosdem ipsos de inferni tenebroso puteo ad charitatis vel sobrietatis lucem redire, sine pænitentia, non permittat.*

S. August. serm. 231. de temp.

Et in alio loco: *Qui credit*, inquit idem Sanctus Doctor, *ebrietatem esse parvum peccatum, si se non emendaverit, & pro ipsa ebrietate pænitentiam non egerit, cum adulteris & homicidis æterna illum pœna cruciabit. Considerent ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sunt; cùm enim animalia ampliùs quàm eis opus est, bibere nolint, illi & duplum & triplum quàm eis expedit, potum accipiunt; & unde trium vel quatuor dierum refectionem poterant habere, uno die cum grandi peccato contendunt perdere potiùs quàm expendere. Et utinam potum tantummodò perderent, & non etiam ipsi perirent.*

Idem ser. 232.

Idē serm. 231.

Qua

Quæ in re, dic homo miser, à brutis differs? inquit S. Basilius, *nonne rationis munere, quam à Deo omnium conditore accepisti, reliquæ creaturæ omnis factus dominus & imperator? Hoc igitur te mentis lumine per ebrietatem privans, inter bestias ratione carentes annumerari poteris, similisque illis fieri. Imò & bestiis longè pejores eos existimaverim, qui ab ebrietate superantur.... Nec solùm eo pejores brutis, quòd mente insani aut ebrii, sed etiam quòd sensibus longè infrà illa deficere videantur. Quod, quæso, animal visu auditu-ve atque ebrius homo debilitatur? Nonne familiarissimos interdùm ignorant, alienis verò sæpè quàm domesticis congrediuntur? An non umbras sæpenumerò tanquam sulcos aut loca prærupta transiliunt? Aures terrifico sonitu, more fluctuantis maris, refertas habent. Terra interdùm insurgere, ac in arduum ac rectum erigi, montes verò circummoveri videntur. Quandoque abs re & præter modum rident: tunc verò sine consolationis remedio plorant: nunc item audaces & temerarii, mox timidi & ignavi. His etiam somni sunt graves, ægrè respirantes, & propè suffocantes, ac reverà morti vicini: vigiliæ verò somnis stupidiores.* S. Basilius serm. in ebrietatē.

Si ea omnia quæ ex ebrietate oriuntur mala, verbis sancti Basilii magni hìc referrem, prolixus nimiùm essem: satis igitur erit pauca addere quæ illius peccati gravitatem dilucidiùs probant: *Ebrietas*, inquit, *dæmon est voluntarius, ex voluptate animabus nostris inditus: ebrietas malitiæ mater est, virtutis inimica, fortem virum reddit ignavum, ex temperato facit lascivum, justitiam ignorat, prudentiam extinguit.* S. Basil. ib.

Ebrietas, ut docet S. Ambrosius, *fomentum libidinis, ebrietas incentivum insaniæ, ebrietas venenum sapientiæ: hæc sensus homi-* S. Ambr. lib. de Elia & jejunio, c. 16.

num

num mutat & formas, per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes; siquidem naturali vapore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati, cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur.

S.Tho.2.2. q.150.ar.6. in corp. Unde meritò verbis Doctoris Angelici concludere possumus, quòd *ebrietas, per se loquendo, est peccatum mortale.*

Quæst. 10. Semper-ne committitur peccatum mortale in ebrietate?

Resp. Absolutè loquendo, posset quis inebriari etiam sine peccato, ut si non agnoscens vini fortitudinem, & bibens solummodò ad sedandam sitim, subitò vini violentiâ præoccupetur: quemadmodùm accidit Noe, qui certè vini qualitates agnoscere non poterat, cùm primus inebriatus est. Attamen vix fieri nunc potest, ut ebrietas sine ulla culpa sit.

S.Th.ibid Sed Angelicus Doctor distinctè quæstioni propositæ respondet, dum sic loquitur: *Culpa ebrietatis, sicut dictum est, consistit in immoderato usu & concupiscentia vini. Hoc autem contingit esse tripliciter: uno modo sic quod nesciat potum esse immoderatum, & inebriare potentem, & sic ebrietas potest esse sine peccato, ut dictum est: Alio modo sic, quòd aliquis percipiat potum esse immoderatum, non tamen æstimet potum esse inebriare potentem: & sic ebrietas potest esse cum peccato veniali: Tertio modo potest contingere, quòd aliquis benè advertat potum esse immoderatum & inebriare potentem, & tamen magis vult ebrietatem incurrere, quàm à potu abstinere; & talis propriè dicitur ebrius; quia moralia respiciunt speciem non ab eis quæ per accidens eveniunt præter intentionem, sed ab eo quod est per se intentum. Et sic ebrietas est peccatum mortale; quia,*

se-

secundùm hoc, homo volens & sciens privat se usu rationis.

Quæst. 11. Quid de illis dicendum, qui curant, ut alii inebrientur?

Resp. Manifestum est, quòd in hoc rei sunt coram Deo; quinimò sæpiùs majus peccatum contrahunt, quàm hi qui, vini vim ignorantes, reverâ inebriantur. In tales acriter invehitur sanctus Ambrosius his verbis: *Nec vos excusamini, qui vocatis ut amicos, & emittitis ut inimicos. Quantò meliùs in terram tua vina fudisses?... Quid te delectant damna sine gratia? Rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem: invitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum: cibos promittis, tormenta irrogas: vina prætendis, venena suffundis. Omne enim quod nocet, venenum est, tollit sensus, viscera exurit, somnum infestat, caput vexat.* S. Ambr. lib. de Elia & jejunio, cap. 14.

Verùm sanctus Antoninus distinctiùs de hac re loquitur, dicens: *Item si quis daret alicui ad bibendum multum ad inebriandum eum: vel æstimans, quòd ex nimio potu, quem quis sumit, inebrietur, & quòd si avisaret, non faceret, vel aptè impedire posset; sed ex levitate, & inde solatium sumat, permittit inebriari: vel etiam ponit studiosè sal in vino, vel aliud inebriare valens occultè, peccat mortaliter. Cap.* Si culpa. De injuriis & damno dato. *Tabernarii etiam, si perpendunt aliquos ex nimio vino sumpto inebriari, quòd experti sunt pluries, ut in ebriosis, & non curant propter avaritiam, graviter peccant.* S. Anton. p. 2. tit. 6. c. 3. §. 2.

Quæst. 12. Ebrietas excusat-ne coram Deo illa peccata, quæ in hoc statu committuntur?

Resp. Cùm ebrietas sine ullo peccato accidit, quod ut diximus, valdè inusitatum est; tunc culpæ, quæ ob ebrietatem committi possunt, non reddunt hominem co-

ram Deo culpabilem, maximè si quis nullum usum rationis in tali ebrietatis statu habeat. Et is qui sine ulla sua culpâ ebrius factus est (ut verisimiliter evenit Noe) nullo modo potest peccare, sicut nec infans unius anni, aut freneticus.

Sed è contrario qui se inebriando peccavit, eo ipso fit quodammodo reus omnium criminum, quæ ab eo in tali statu perpetrantur, juxta principium Angelici Doctoris, qui sic loquitur: *Aliquid potest esse voluntarium, vel secundùm se, sicut quando voluntas directè in ipsum fertur: vel secundùm suam causam, quando voluntas fertur in causam, & non in effectum; ut patet in eo qui voluntariè inebriatur, ex hoc enim quasi voluntarium ei imputatur, quod per ebrietatem committit.*

S.Tho.1.2. q.77. art.7. in corp.

In eadem sententia videtur esse sanctus Joannes Damascenus, dum dicit: *Per ignorantiam tum demùm aliquid invitè fit, cùm nos imprudentiæ causam haudquaquàm præbemus, sed casu ita res contigit. Etenim si quispiam vino obrutus cædem perpetrarit, errore quidem & inscitia ductus eam admisit, at non item invitè; ignorationis quippe causam, hoc est ebrietatem, ipse accersivit.*

S. Ioann. Damasc. l. 2. Orthodoxæ fidei, c. 24.

Demùm sanctus Thomas, postquàm sibi proposuit hanc quæstionem, utrum scilicet ebrietas excuset à peccato: respondet, quòd *in ebrietate duo attenduntur, scilicet defectus consequens, & actus præcedens: ex parte autem defectus consequentis, in quo ligatur usus rationis, ebrietas habet excusare à peccato, in quantùm causat involuntarium per ignorantiam; sed ex parte actus præcedentis videtur esse distinguendum; quia si ex actu illo præcedente subsecuta est ebrietas sine peccato, tunc peccatum sequens totaliter excusatur à culpa: sicut fortè accidit de Loth,*

S.Tho.2.2. q. 150. art. 4. in corp.

Si autem actus præcedens fuit culpabilis, sic non totaliter aliquis excusatur à peccato sequenti, quod scilicet redditur voluntarium ex voluntate præcedentis actus, in quantùm scilicet aliquis dans operam rei illicitæ, incidit in sequens peccatum. Diminuitur tamen peccatum sequens, sicut & diminuitur ratio voluntarii.

Ex hac doctrinâ inferre possumus, ea crimina quæ in ebrietate fiunt, esse tantò majora vel minora, quantò major vel minor erat ratio suspicandi, quòd evenirent, si quis in ebrietatem prolaberetur, præsertim si illo probabili timore neglecto, vinum in nimia quantitate haustum sit, nihilque omninò actum, ut impedirentur hæc verisimiliter eventura crimina. Tunc certè peccata sequentia magis habent de ratione voluntarii, quàm si prævideri non potuissent.

Eruditissimus Tostatus, Episcopus Abulensis, rectè gravitatem peccatorum ebriis contingentium ponderat, dum sic loquitur: *Si quis sesponte inebriavit, & posteà ebrius multa mala fecit, demeretur in illis; licèt cùm ebrius factus sit, non potest se à malis cohibere. Et ita ebrius, juxta Aristotelem, sustinet duplices increpationes: una est, quia se inebriavit; alia est, quia ebrius malum fecit. Et tamen dicendum, quòd si propriè attendatur, quandocumque est talis necessitas ex parte intellectus & voluntarii, quòd non potest evitari malum, non est demeritum in operatione, sed præcedenti operationi imputatur malum sequentium: sicut cùm quis spontè inebriatus est, & posteà multa mala facit, omnium sequentium iniquitas imputatur voluntariæ inebriationi: & ita tunc peccavit sequentibus pro peccatis; non tamen est tanta culpa, quanta esset, si quodlibet horum voluntariè ageret.*

Alphonsus Tostatus, Episcopus Abulensis in Matth. c.25.q.566. in fine.

Quæst. 13. Peccatum ebrietatis sit-ne gravius pro ratione personarum?

Resp. Cùm mala consequentia ex ebrietate, sint graviora in aliquibus personis, quàm in aliis; concludendum est, hoc peccatum esse gravius pro qualitate & dignitate personarum illud perpetrantium. Sic dicere possumus 1. quòd regulariter puellæ & mulieres graviùs peccant, ratione ebrietatis, quàm homines, non solùm quia id valdè indecorum sexui est, & scandalosum; sed etiam quia inde consequi possunt periculosi, & valdè nocivi aut inhonesti eventus. 2. Illi quibus aliquo modo incumbit aliorum cura seu gubernatio, cujusmodi sunt patresfamilias, Gubernatores, Magistratus, & alii in dignitate constituti, graviùs utique peccant; quia per immoderatum vini usum, privant se usu rationis, quo magis quàm cæteri indigent, ut suo munere ritè fungantur, & subditos contineant in observantia & reverentia sibi debita: adde, quòd scandalum ex ebrietate proveniens, gravius est juxta ordinem & dignitatem personarum. 3. Certum est quòd illi qui tenentur servare continentiam, tenentur etiam diligentiùs abstinere ab immoderato usu vini, quod valdè contrarium est castitati, dicente Spiritu Sancto, quòd *luxuriosa res est vinum*. Et *nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Unde etiam sanctus Hieronymus: *Venter mero æstuans*, inquit, *citò despumat in libidines: ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor*.

Prov. c. 20. ad Ephesios, c. 5. S. Hieron. Epist. ad Oceanum, Refertur in Can. Venter, dist. 25.

Demùm Clerici in sortem Domini vocati, & ii præsertim qui in aliquo ordine sunt constituti, & potiori jure Sacerdotes & Parochi, vel alii aliquâ dignitate in Ecclesia insigniti, specialiùs profectò & stri-

strictiùs tenentur, turpe hoc vitium declinare, quod graviore certè notâ ipsos inficit, & valdè nocet gloriæ Dei & utilitati proximi, ab ipsis juvandi potiùs quàm scandalizandi.

Unde etiam in veteri Lege sic cautum erat: *Dixit quoque Dominus ad Aaron: Vinum & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quandò intratis in Tabernaculum testimonii, ne moriamini; quia præceptum sempiternum est in generationes vestras, & ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea.* Levitici c. 10.

Sancta Dei Ecclesia diligenter magnâque cum sollicitudine inspirare curavit debitum hujus pudendi vitii horrorem, sacrosancti Altaris Ministris, & sæpiùs jussit, ut eas occasiones sollicitè fugerent, quæ tali intemperantiæ locum dare possent: *Ante omnia*, ajunt Patres in Concilio Agathensi congregati, *Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque eum, quem ebrium fuisse constiterit, (ut ordo patitur) aut triginta dierum spatio à communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio.* Conc. Agathen. Can. 41. Refertur in Can. Ante, dist. 35.

In Concilio etiam Turonico sic habetur: *Fomitem omnium vitiorum oportet abscindi, Apostolo præcipiente:* Nolite inebriari vino in quo est luxuria; *& quàm gravi ebrietas supplicio expietur, idem Apostolica manifestat doctrina, inter cætera dicens:* Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque ebriosos regnum Dei possessuros: *Si quis verò in omni officio clericali Deo militans, ab ebrietate se non abstinuerit, secundùm status sui ordinem, competens in eum vindicta exerceatur.* Conc. Turon. 1. Can. 2. an. 451.

Conc. Venetic. Can. 13. an. 465.

Demùm in Concilio Venetico similibus pœnis vetatur in Clericis ebrietas, his verbis: *Ante omnia à Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est; nec quis potest liberum corporis sui ac mentis habere judicium, cùm captus vino, à sensu probetur alienus, & proclivis ad vitium mente labefactata ducatur, ac plerumque possit peccatum aut crimen, dum nescit, incurrere: sed ignorantia talis non potest non subjacere pœnæ, quam ex voluntaria amentia manasse constiterit. Itaque eum quem ebrium fuisse constiterit, ut ordo patitur, aut triginta dierum spatio à communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum esse supplicio.* Notandum, hæc Concilii verba non parùm confirmare sententiam, quam quæstione præcedenti explicuimus.

Varia quæ pluribus Ecclesiæ sæculis celebrata fuere Concilia, districtè prohibent Clericis, ne se ebrietatis periculo committant; prolixior essem, si ea omnia quæ hac de re statuta sunt, referrem: satis erit hìc verba Concilii Lateranensis transcribere: *A crapula & ebrietate omnes Clerici diligenter abstineant; unde vinum sibi temperent, & se vino; nec ad bibendum quispiam incitetur: cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitùs decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo obligant potatores, & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his se culpabilem exhibuerit, nisi à superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel beneficio suspendatur.*

Conc. Later. 3. sub Innoc. 3. ann. 1180. Can. 15. refertur in Can. A crapula, de vita & honestate Clericor.

Sed quia non sufficit ebrietatem vitare, si aliunde contra temperantiam ministris altaris valdè necessariam peccetur, notatu di-

dignum est, quòd in Canone Concilio Nannetensi tributo etiam vices bibendi Clericis præscribuntur, in Collationibus seu Conferentiis Ecclesiasticis, quæ tunc fiebant: *Quando Presbyteri*, inquit, *per Calendas simul conveniunt, post peractum divinum Mysterium, ad necessariam collationem, non quasi ad plenam refectionem, sed quasi ad prandium, ibi ad tabulas resideant, nec per alia inhonesta convivia se invicem gravent; quia indecens est & onerosum, sæpe etiam tardè ad Ecclesiam redeuntes, majus damnum de reprehensione consequuntur, quod de gravedine mutua contrahunt, quàm lucrum ibi faciant. Nam de ejusmodi conventu Paulus Corinthios reprehendit, qui inconvenienter cœnam Dominicam manducare conveniebant; sic & qui ad cœnam Dominicam, id est ad collationem verbi sub occasione conveniunt, & ex veritate ventris causa conjunguntur, reprehensibiles coram Deo & hominibus habentur. Et ideò, peractis omnibus, qui voluerint, panem cum charitate in domo fratris sui simul cum fratribus frangant, & singuli singulos bibere faciant: & maximè ultra tertiam vicem poculum non contingant, & sic ad Ecclesias redeant.* Ut appareat, cum quantâ curâ sobrietatem Patres Clericis commendarent.

Can. Quãdo Presby. dist. 44.

Sanctus Isidorus, Clericos monens in Canone: *His igitur*, inquit, *lege Patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus sese abstineant: non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant, privata non tantùm pudica, sed & sobria colant.* Quia, ut advertit sanctus Hieronimus: *Facilè contemnitur Clericus, qui sæpe vocatus ad prandium, non recusat.*

Can. His igitur, dist. 23.

S. Hieron. Epist. ad Nepotianum.

In variis quoque Conciliis, ut omnis, non solùm ebrietatis, sed etiam intem-

perantiæ & suspicionis vitetur occasio, prohibitum est Clericis, ne ullo modo bibant in tabernis, in quas nec etiam ingredi deberent, nisi necessitatis causa. In Concilio Laodiceno sic habetur: *Non oportet Clericos sacro Ministerio deditos, à Presbyteris usque ad Diaconos, & deinceps Ordinis Ecclesiastici omnes usque ad Ministros, aut Lectores, aut Exorcistas, aut Ostiarios, aut Psalmistas, aut etiam eos qui in proposito continentiæ sunt, tabernas intrare.*

Conc. Laodic. Can. 24. Refertur in Can. Non oportet, dist. 44.

Concilium Carthaginense III. ita etiam statuit: *Clerici edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.*

Conc. Carthag. 3. Can. 27. Refertur in Can. Clerici, dist. 44.

Idem graviter prohibetur in Synodo Urbevetana à Bernardino Cardinali Roccio, his verbis: *Sacris Canonibus, & Concilii Tridentini Sanctionibus inhærendo, districtè mandamus, ut in hac nostra Civitate, vel extra in nostra Diœcesi, non audeant Clerici, vel Sacerdotes ad tabernas, vel cellas vinarias accedere, in quibus vinum venditur, & inter colluviem hominum, pleni calices exhauriuntur, mussantibus pluribus, omnibusque strepentibus, ne sit sicut populus ita & Sacerdos; sub pœnis suspensionis à divinis, & interdicti, ac aliis in Sacris Canonibus constitutis, in quibus contra Clericos potatores, & maledictis & censuris severissimè animadvertitur.*

Synod. Urbevetana an. 1679. de vita Cler.

Unde etiam in Synodo Ebroicensi Clericis insinuatur, quòd inter se hospitalitatem sectari congruum esset, ut sic tabernæ etiam in itinere vitarentur, & charitas inter eos augeretur: *Proinde*, ut dicitur in Synodo, *satius est, Ecclesiasticos viros fugere promiscua contubernia sæcularium, ac potiùs Hospitalitatem inter se exercere.* Quod certè valdè optandum esset.

Synodo Ebroicen. an. 1576.

TRA-



TRACTATUS OCTAVUS.

De septimo Decalogi Præcepto : Non furtum facies.

SEptimo Decalogi Præcepto, quod est quartum in secunda tabula, quæ proximum respicit, prohibetur, ne illi in fortunis, seu bonis suis temporalibus noceamus. Illius autem peccati gravitas aperitur designaturque à Zacharia Propheta dum sic loquitur: *Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ; quia omnis fur, sicut ibi scriptum est, judicabitur*, id est condemnabitur. Hanc condemnationem valdè metuebat Tobias: *Anna* enim, *uxor ejus ibat ad opus textrinum quotidiè, & de labore manuum suarum victum quem consequi poterat deferebat; unde factum est, ut hædum caprarum accipiens detulisset domi: cujus cum vocem balantis vir ejus audisset, dixit: videte, ne fortè furtivus sit, reddite eum dominis suis; quia non licet nobis aut edere ex furto aliquid, aut contingere.* Zachariæ c. 5. Tobiæ c. 2.

Tractabimus primò de divisione & definitione furti, tum de natura illius peccati & gravitate, demùm de pœnis furum, & præsertim de obligatione restituendi, & resarciendi damna proximo injustè illata.

Caput Primum.

De Definitione & Divisione furti.

Quæst. I. Quid est furtum?
Resp. Illius criminis definitio accurata reperitur in Institutionibus Justiniani Imperatoris, his verbis: *Furtum est contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratia, vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve, quod lege naturali prohibitum est admittere.*

Lib.4.Inst. tit.1.§.2.

Primò *contrectatio apponitur in definitione*, ut notat sanctus Raymundus de Penafort; *quia sine ea non est propriè furtum, licèt interveniat voluntas, verbum, vel scriptura; aliàs si concupiscat rem alienam illicitè, at sine contrectatione, est transgressor alterius præcepti*: Non concupisces.

S. Raym. In summa, l. 2. tit. De furtis, §. 1.

Additur *fraudulosa*, ut ostendatur, furtum nunquam committi sine fraude; ac proinde qui acciperet vel detineret rem proximi, putans bonâ fide, id illi grave & molestum non futurum, sed tali detentioni libenter consensurum; non committeret furtum, sicut nec qui rem alienam acciperet, putans esse suum. Dicitur etiam, *fraudulosa*; quia, ut monet Angelicus Doctor, *furtum & rapina sunt vitia justitiæ opposita, in quantum aliquis alteri facit injustum; nullus autem patitur injustum volens.*

S.Tho.2.2. q.66. art.4. in corp.

Unde etiam sanctus Bonaventura, & sanctus Raymundus addiderunt definitioni furti hæc verba: *Invito domino*; *Furtum*, inquit Seraphicus Doctor, *est contrectatio rei alienæ, invito domino*. Quia juxta ver-

S. Bonav. serm.6.De decê præceptis.

verba sancti Thomæ superiùs relata, *nullus patitur injustum volens*, & ita omnes injustitiæ fiunt semper contra voluntatem patientis. S. Raym. in sum. lib. 2. tit. de furtis, §. 1.

Additur in definitione: *Vel ipsius rei, vel etiam usus ejus possessionisve*; quia, ut notat sanctus Raymundus, *non solùm committit furtum, qui rei dominium vult lucrifacere sic furtivè, sed etiam qui usum vel possessionem rei*. Can. *Qui saccum*. Dist. 50. & Leg. *Qui jumenta sibi commodata*, ff. eodem tit. Et, ut docet Sanctus Bonaventura: *Dicendum quòd in Præcepto illo intelligitur prohiberi omnis illicita rei alienæ usurpatio*. Id notaverat sanctus Augustinus his verbis: *Furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ; non enim rapinam permisit qui furtum prohibuit, sed utique à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi auferretur*. Idem, ib. S. Bonav. l. 3. senten. dist. 37. dub. 7. S. Aug. in quæst. in Exod. c. 71.

Dicitur in definitione: *Lucri faciendi gratia*; & idcircò qui rem alienam bono fine & animo acciperet, ut scilicet eam domino conservaret, & à furibus eriperet, non committeret furtum; sicut nec qui furioso ensem tolleret, ne se fortè interimeret. Id observavit sanctus Bonaventura his verbis: *Furtum est attrectatio rei alienæ invito domino, si fiat ex cupiditate; sed si non fiat ex cupiditate, non est furtum: sicut filii Israel, ex Domini præcepto, portaverunt secum ex Ægypto vasa argentea & aurea: vel qui alii aufert gladium, ne faciat malum, tunc non dicitur furtum*. S. Bonav. serm. 6. De decē præceptis.

Demùm additur in eadem definitione: *Quod lege naturali prohibitum est admittere*; quia furtum legem naturalem violat. Id innuit Apostolus, dicens: *Cùm enim gentes quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt: ejusmodi legem non habentes*, Ad Rom. c. 2.

ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis: Dum scilicet furtum vitant. Nemo autem est qui non noverit lumine rationis, præceptum non furandi contineri in isto naturalis legis præcepto: *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim lex & Prophetæ*. Hinc sanctus Augustinus, juvenilia furta in suis Confessionibus referens: *Furtum certè punit lex tua Domine*, inquit, *& lex scripta in cordibus hominum, quam nec ipsa quidem delet iniquitas. Quis enim fur æquo animo furem patitur? nec copiosus adactum inopia?*

Math.c.7. 12.

S.Aug.lib. 2. Confess. c.4.

Quæst. 2. Quomodò dividi potest furtum?

Resp. Furtum generaliter acceptum pro quacumque injustâ rei alienæ usurpatione, & ut complectitur quidquid hoc præcepto prohibetur, dividi potest in multas peccatorum species; ut enim docet Seraphicus Doctor: *Furtum est contrectatio rei alienæ invito Domino: & hoc fit aut per meram fraudem, aut per violentiam, aut per circumventionem. Primo modo cùm fit per meram fraudem & furtivè, sic dicitur furtum. Si fiat per violentiam, hoc est dupliciter; aut est apertum, & sic dicitur rapina: aut est occultum, & sic dicitur latrocinium. Si vero fiat attrectatio rei alienæ per circumventionem, hoc potest fieri cum pactione adjuncta, & hoc tripliciter: aut cum pactione fraudulenta, sic fit in negociationibus; hoc autem tripliciter fit, aut in pondere, aut in numero, aut in mensura; & de hoc rarissimè evadunt mercatores. Si autem fiat cum pactione iniqua, sic est usura, in qua id quod venditur est commune, scilicet tempus; si autem cum pactione profana, in qua illud quod venditur est proprium, sic dicitur simonia.*

S. Bonav. serm.6. De decē præceptis.

Quæst. 3. Potest-ne aliter dividi furtum?

Resp.

Resp. Ex Catechismo Romano, *variis nominibus notatur injusta possessio & usus rerum alienarum, ex varietate eorum quæ & invitis & insciis dominis auferuntur. Nam si privatum quid privato adimitur, furtum dicitur. Si surripitur publico, peculatus appellatur. Si verò sacra res eripitur, nominatur sacrilegium, quod facinus maximè nefarium ac sceleratum maximè in mores inductum est, ut bona quæ necessariò & sacrorum cultui, & Ecclesiæ ministris, & pauperum usui piè ac sapienter fuerant attributa, in privatas cupiditates perniciosasque libidines convertantur.* Catech. Concil. Trid. p. 3. de 7. Præcept. n. 10.

Advertendum autem, quòd non solùm committitur sacrilegium, cùm res sacra surripitur, sed etiam cùm fit rei profanæ furtum in loco sacro. Unde sic loquitur Sanctus Bonaventura: *Sacrilegium est furtum perpetratum circa rem sacram, vel locum sacrum.* S. Bonav. lib. 3. sent. dist. 37. dub. 7.

CAPUT II.

De Gravitate criminis furti.

Quæst. I. FUrtum est-ne ex naturâ suâ peccatum mortale?

Resp. Dubitari non potest, quin furtum sit ex naturâ suâ peccatum mortale, dicente Apostolo, quòd *neque fures, neque avari, neque rapaces regnum Dei possidebunt.* Fides autem docet, neminem excludi à Regno cœlesti, nisi per mortale peccatum, per quod excidimus à charitate. Et ita concludendum est ex verbis Apostoli, furtum esse ex naturâ suâ mortale peccatum. 1. ad Cor. c. 6. 10.

Præ-

Præterea respondens Jesus in Euangelio illi qui sic eum interrogaverat: *Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* ait: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata: dicit illi, quæ? Iesus autem dixit: Non homicidium facies, non adulterabis, non facies furtum.*

Matt. c. 19. 16.

Cùm igitur furtum violet unum ex præceptis necessariis ad salutem, necesse est, ut sit lethale peccatum?

Quæst. 2. Furtum est-ne semper mortale peccatum.

Resp. Cùm gravitas criminis furti ponderetur ex damno quod proximo infert in suis bonis temporalibus, & ideò sit contrarium charitatis præcepto, quo jubemur diligere proximum tanquàm nosmetipsos; accidere potest, rem furto surreptam ita modicam esse, ut inde proximus nullum ferè damnum patiatur, & ita peccatum sit tantùm veniale; quia, ut observat Angelicus Doctor, *illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil, & ideò in his quæ minima sunt, homo non reputat sibi nocumentum fieri; & ille qui accipit, potest præsumere hoc non esse contra voluntatem ejus, cujus res est; & pro tanto si quis furtivè hujusmodi res minimas accipiat, potest excusari à peccato mortali; si autem habeat animum inferendi nocumentum proximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale.*

S. Tho. 2. 2 q. 66. art. 6. ad 3.

Quæst. 3. Quandonam furtum est tantùm peccatum veniale propter levitatem materiæ?

Resp. Cùm gravitas furti sumatur ex damno quod injustè proximo infertur, sequitur, non posse generaliter assignari quantitatem necessariam ad mortale peccatum; quia quod leve tantùm infert damnum diviti, affert aliquando maximum pau-

pauperi. Igitur hæc unica regula assignari potest ex mente Doctoris Angelici proximè citati, quòd peccatum furti est solummodò veniale, cùm res ablata ita levis est momenti, ut nullum vel ferè nullum nocumentum afferre censeatur proximo: ita ut fur possit credere, Dominum rei furatæ non molestè ferre tale furtum, & facilè consentire privationi talis rei sibi furatæ.

Timendum est, ne sæpiùs temerè putemus, furtum esse tantùm veniale ob levitatem materiæ: *Furtum*, inquit Sanctus Leo, *reperitur in peccato Adami, quia prohibitus usurpatus est cibus: & avaritia, quia plus quàm sufficere illi debuit, appetivit.* Non tamen excusatum fuit tale furtum à peccato mortali ob levitatem materiæ. S.Leo, Papa, ep.86. ad Nicetã Aquilejẽsem Episcopum.

Observandum autem cum Catechismo Romano, injustam esse excusationem furum, qui divitibus tantùm surripiunt: *Quid quòd audire licet interdùm fures, qui nihil se eò peccare contendant, quòd detrahant aliquid locupletibus & copiosis hominibus, qui ea detractione nihil damni faciant, ne sentiant quidem: misera sanè & pestifera defensio.* Catech. Concilio Trid. p.3. de 7. Præcepto, n.35

Unde concludendum est, illum qui rem, quæ in se considerata modica non est, furatur, non eximi à peccato mortali, licèt ad divitem pertineat, qui sine incommodo eâ carere potest: *Fortè aliquis hoc secum cogitat,* inquit Sanctus Augustinus relatus in Can. *& dicit: multi sunt Christiani divites, avari, cupidi: non habebo peccatum, si suum illis abstulero, & pauperibus dedero. Unde enim illi nihil boni agunt, mercedem habere potero, si ego eleemosynas dedero. Etiam in hac re parcat unusquisque animæ suæ, quia hujusmodi cogitatio ex diaboli calliditate suggeritur.* Can. Fortè. 14. q. 5.

ritur. Nam etiamsi totum tribuat pauperibus, quod abstulerit, addit potiùs peccata quàm minuat.

Quæst.4. Excusatur-ne à mortali peccato, qui pluribus minimis furtis surripit magnam aliquam summam, uni, vel pluribus personis?

Resp. Licèt ob levitatem materiæ, furtum fiat tantùm veniale peccatum; constat tamen, quòd si ille qui furatur rem parvi momenti, id faciat cum intentione subripiendi repetitis vicibus gravem aliquam seu notabilem summam, peccat lethaliter, juxta mentem Sancti Hieronymi relati in
Can. Fur, 14. q.6. Canone: *Fur autem*, inquit, *non solùm in majoribus, sed etiam in minoribus judicatur; non enim id quod furto ablatum est, sed mens furantis attenditur*. Et ita si fur habuit intentionem furandi rem aut summam considerabilem seu notabilem per plura minuta furta, peccavit mortaliter. Et in eodem sensu videtur dicere S. Thomas, quòd fur *si habeat animum inferendi nocumentum pro-*
S.Tho.2.2. q.66.art.6. ad 3. *ximo, etiam in talibus minimis potest esse peccatum mortale*.

Si verò quis pluribus vicibus varia minuta uni furatur, non habens animum furandi summam notabilem; quamvis levitas materiæ possit illum excusare à mortali culpâ in primis furtis; peccabit tamen mortaliter cùm perveniet ad summam notabilem; & licèt ex seipsis hujusmodi posteriora minuta furta, non sint alterius naturæ, quàm priora; erunt tamen mortalia ob moralem connexionem quam habent cùm prioribus furtis jam perpetratis, cum quibus constituunt notabilem summam.

Idem videtur dicendum de eo qui laborando in die Festo, pervenit paulatim ad tempus notabile: vel qui comedit in

die

die jejunii plura minuta, absque intentione ulteriùs comedendi, committit peccatum mortale, si reverâ comedere pergat, & ita perveniat ad eam quantitatem, quæ sufficit ad infringendum jejunium Ecclesiasticum.

Indubitatum etiam est, quòd si quando cognoscitur, his diversis levibus furtis, summam factam esse notabilem, non sit illius restitutio, licèt fieri possit, committitur peccatum mortale. Ratio est, quia voluntariè & injustè detinetur summa notabilis ad proximum pertinens, contra Dei præceptum, quo æquè prohibetur, ne retineatur, ac ne subripiatur res aliena; ac proinde licèt hæc minuta furta seorsim sumpta non inferant grave damnum proximo; eorum tamen retentio affert grave damnum, quod restituere seu resarcire tenetur fur.

Idem affirmandum videtur de eo qui pluribus parvis furtis surriperet notabilem summam pluribus personis, qui in hoc peccare videtur mortaliter. V. G. si quis uteretur staterâ dolosâ aut falsâ mensurâ vendendo vinum, frumentum, aut alia; quia acquireret notabilem summam viâ iniquâ; & licèt grave damnum singulis non inferret, noceret tamen notabiliter Reipublicæ, seu Universitati. Eâdem prorsùs ratione, qui furatur summam notabilem Universitati seu Communitati alicujus magnæ Civitatis, seu etiam Reipublicæ potenti ut Venetæ, non evadit peccatum mortale, licèt tali furto damnum, quod singulis civibus talis Reipublicæ infertur, sit levissimum.

Id etiam probatur ex variis Sacræ Scripturæ locis; nam in Proverbiis *statera dolosa, abominatio est apud Deum*. Et *abominatio est apud Dominum pondus & pondus:* Prov. 2.11.

state-

Prov.c.20. *ſtatera doloſa non eſt bona*. Quæ verba deſignant lethale peccatum. Prætereà in Deuteronomio ſic habetur: *Non habebis in ſacculo diverſa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor.... abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & averſatur omnem injuſtitiam.*
Deut.c.25. Sed Deus abominatur ſolummodò peccatum mortale, quo ſolùm amittitur charitas; unde ſequitur, quòd, juxta Sacram Scripturam, peccat mortaliter, qui utitur falſo pondere, aut falsâ menſurâ, & ita notabilem ſummam ſurripit, licèt non unâ, ſed repetitis vicibus; licèt pluribus perſonis modicum quid ſurripiatur hoc modo, quæ modica tamen ſimul unita, in ſummam notabilem coaleſcunt.

Caput III.

De Excuſationibus, quæ à nonnullis adduci poſſunt, ut ſurripere valeant rem alienam, citra violationem hujus præcepti; quarum præcipua eſt neceſſitas.

Quæſt. 1. Quotuplex eſt neceſſitas?

Reſp. Triplex neceſſitas aſſignatur à Theologis: Prima appellatur extrema, ſecunda gravis, tertia communis. Extrema neceſſitas ea eſt, cùm quis caret rebus ad vitam conſervandam omninò requiſitis; ita ut niſi ſtatim ei ſuccurratur, in manifeſtum mortis periculum adducatur, aut ſaltem incidendi in morbum inſanabilem, aut perdendi aliquod corporis membrum: nul-

lum-

lumque omninò suppetit medium ad hæc extrema mala declinanda, nisi aliquid proximo subripiatur.

Necessitas gravis ea dicitur, quæ causa est maximæ infamiæ, propter quam non potest homo vivere juxta suam conditionem, sed adigitur ad ducendam vitam abjectam, & infrà omnes ejusdem status: aut quæ hominem constituit in periculo gravi sanitatis, honoris, aut bonorum.

Necessitas communis ea est quæ reperitur in his qui non possunt id quod debent solvere, aut qui ostiatim & publicè mendicant.

Quæst. 2. Licet-ne in extrema necessitate aliena subripere?

Resp. Dum necessitas verè extrema est, potest, sine violatione hujus præcepti, accipi id quod requiritur ad arcendam talem necessitatem. *Si adeò sit evidens & urgens necessitas*, inquit Angelicus Doctor, *& manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum (putà cùm imminet personæ periculum, & aliter subveniri non potest) tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifestè sive occultè sublatis; nec hoc propriè habet rationem furti aut rapinæ.* S.Tho.2.2. q.66.art.7. in corp.

Docet etiam sanctus Raymundus, quòd *si aliquis furatur cibum vel potum vel vestimentum, propter necessitatem famis, vel sitis, vel frigoris, numquid committit furtum? Ad hoc dicas, quòd si patitur magnam necessitatem famis, vel sitis, vel frigoris, ita quòd nisi furetur, credit se non posse evadere mortem: non committit furtum, nec peccat; dum tamen propter hanc necessitatem faciat.* Can. *Discipulos*. De consecr. dist. 5. Discipulos, dum per segetes transeundo evellerent spicas, & ederent, ipsius Christi vox innocentes S. Raym. lib. 2. c. de furtis. §. 10

tes

tes vocat, quòd coacti fame hoc fecerunt. *Item propter necessitatem famis, comedit David panes Propositionis.* 1. Reg. 21.

Et est ratio multiplex: una, quia in necessitate omnia debent esse communia. Canon. *Sicut.* dist. 47. *Vbi Ambrosius inter alia dicit:* Proprium nemo dicat, quod commune est. *Item quia ipse dominus rei ex præcepto tenetur pascere esurientem.* Dist. 86. Pasce fame morientem; quisquis enim pascendo homines servare poteras, si non paveris, occidisti. *Vnde talis fur licitè & debuit, & potuit credere, Dominum permissurum: & ita non commisit furtum.*

Quæst. 3. Necessitas gravis eximit-ne à peccato aliena surripientem?

Resp. Idem sanctus Raymundus, cujus authoritas, in hac præsertim justitiæ materia, maxima est, post verba mox relata, statim subjungit: *Si autem non patitur ita* S. Raym. ibid. *magnam necessitatem, peccat: attenuatur tamen peccatum propter necessitatem; & in tali casu intelligitur Decretalis.* Extra. *De furtis:* Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis, fuerit cibaria furatus, vel vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres.

S. Tho. 2. 2. q. 66. art. 7. ad 1. Sanctus Thomas etiam de eadem Decretali loquens: *Decretalis illa*, inquit, *loquitur in casu, in quo non est urgens necessitas.*

Unde etiam in Summario, seu argumento aut rubrica illius Decretalis, sic habetur: *Committens furtum ex necessitate non multùm urgente, peccat, sed non graviter; unde imponenda est levis pœnitentia.* Juxta Prov. c. 6. v. 30. illud quod legitur in Proverbiis Salomonis: *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam.*

Sed

Sed ne facilè crederetur, permiſſum eſſe furari ſub alicujus prætextu neceſſitatis, licèt non extremæ, Innocentius XI. ſequentem perniciosam in praxi propoſitionem damnavit.

Propoſ. 36. *Permiſſum eſt furari, non ſolùm in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Decretum Innoc. XI. contra 65. Propoſit.

Certum tamen eſt, quòd etiam ſi neceſſitas valdè urgens, licèt non extrema, non excuſet furantem à peccato; tamen illud valdè minuit, præſertim cùm ea tantùm capiuntur, quæ ad vitam ſuſtentandam quodammodò neceſſaria videntur.

Sed hìc notandum eſt, illos magnates & nobiles, qui aliena invadunt, aut debita non ſolvunt, ſub prætextu variarum expenſarum ſæpiùs inutilium & immoderatarum, nullo modo excuſati coram Deo. *Ecce,* ut habetur in Catechiſmo Romano, *nobilium hominum non ferendæ deliciæ, qui culpam extenuare ſibi videntur, ſi ſe affirmarint, non cupiditate, aut avaritia, ad detrahendum alteri ſua deſcendere; ſed tuendæ cauſa amplitudinis familiæ, & majorum ſuorum, quorum exiſtimatio ac dignitas rueret, niſi rerum alienarum acceſſione fulciretur.* Catech. Concil. Trident. par. 3. de 7. præcepto, num. 31. Dum autem multa mutuò accipiunt, quæ in luxu & vanitatibus inſumuntur, & quæ vident ſe nunquam ſoluturos, valdè peccant contra juſtitiam, & hæc Prophetæ verba rectè eis applicari poſſunt, *Mutuabitur peccator, & non ſolvet.* Pſalm. 36.

Quæſt. 4. Quo pacto ſe gerere debet Confeſſarius cum pœnitentibus, qui neceſſitates communes prætexunt, ut in ſuis furtis excuſentur?

Reſp. Debet Confeſſarius hujuſmodi pœnitentibus dicere, quòd cùm eorum paupertas ſit tantùm neceſſitas communis, à

pec-

peccato excusari non possunt; &, ut ait Sanctus Joannes Chrysostomus, frigidam, seu frivolam causam allegant. Illis etiam insinuandum esset, quòd hæc obstinatio, quam in habitu furandi ostendunt, illos in statu paupertatis detinet; quia Deus eorum operibus benedictionem suam non infundit: Id agnoverat Salomon, dum in Proverbiis dixit: *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, & semper*
Prov. 11. 24. *in egestate sunt.* Et ita, ut valeant sine ullo furto, se & familiam a veris necessitatibus liberare, audiant Apostoli consilium: *Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, jam*
Ad Eph. 4. *non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti.*

Præterea possent Confessarii accuratè examinare hujusmodi pauperes, & ab ipsis scire. 1. An faciant expensas aliquas minimè necessarias, sive in vestibus, sive in mensâ, & similibus; & ipsis inculcare cum patientiâ & mansuetudine, quòd tenentur in statu, in quo nunc sunt, ea quæ non sunt omninò necessaria, resecare. 2. Sciendum est, an juxta facultates & vires suas laborent; paupertas enim, quam inertia parit, excusatione digna non est. Hìc omninò insistendum est; quia ut plurimùm paupertas gravis, seu etiam extrema, pigritiam seu damnabilem negligentiam sequitur, & inde oritur.

Utile etiam esset insinuare illis, qui aliquo eventu fortuito & inopinato bona copiosa amiserunt, & in statum paupertatis prolapsi sunt; quòd amissæ divitiæ, aut status in quo olim fuerunt, non eos à labore manuum deterrere deberent, ut possint præsentibus angustiis subvenire, submittendo se ex animo, & cum vera resigna-

signatione, divinæ providentiæ decretis.

Addi potest, non incongruum fore, si pauperibus quoque, quos occultos seu verecundos appellant, persuaderetur, ut nitantur hanc verecundiam minuere & superare, quæ ex superbia, seu humilitatis defectu provenit. Talibus dici posset, non decere Christianum ob paupertatem erubescere, quandoquidem ipse etiam Christus Dominus pauper esse & videri voluit; & idcircò optandum esset, ut eâ paupertatis verecundiâ contemptâ aut superatâ, juxta facultates & vires suas operari non desistant, ut aliquâ saltem ex parte propriam, & familiæ suæ, si quam habent, indigentiam sublevare possint.

Quæst. 5. Famuli & famulæ possunt-ne occultè heris aliquid surripere, ad compensandam operam suam, quam multò majorem judicant salario quod recipiunt? Idem quæritur etiam de artificibus seu quibuscumque operariis?

Resp. Id fieri nullo modo potest, & hujus generis compensationes sunt in praxi perniciosæ. Unde opinionem talibus compensationibus faventem reprobavit Academia Parisiensis, his verbis: *Hæc doctrina falsa est & periculosa, etiam additis restrictionibus, & domesticis furtis viam aperit.* Post aliquot annos Academia Lovaniensis interrogata seu consulta ab Episcopo Gandavensi, sic in eadem materiâ mentem suam aperuit: *Hæc assertio falsa est, naturam hominis de se pronam ad malum præcipitans in furta, ac domesticam pacem perturbans; eo vel potissimùm, quòd ista compensatio ipsorummet famulorum & famularum judicio relinquitur.*

Censura Universitatis Parisiensis, 1. Apri. 1641.

Censura Academ. Lovan. 5. Maji 1637.

Et quia in famosa Apologia Casuistarum à san-

à sancta Sede reprobata 21. Augusti 1659. eadem assertio defendebatur tanquàm conformis doctrinæ sancti Ambrosii & sancti Augustini, rejecta quoque fuit his verbis: *Hæc doctrina, quibuslibet additis restrictionibus, perniciosa est: pacem familiarum, famulorum fidem labefactat: Sanctis Patribus Ambrosio & Augustino, falsò, imperitè, & injuriosè affingitur.*

Nec difficile est ostendere, quàm aliena sit hæc opinio à mente sancti Augustini, cùm etiam, postquàm dixit, Ægyptios non dedisse debitum operarum salarium Hebræis, statuat, Hebræos non potuisse sine peccato vasa Ægyptiorum auferre, nisi Deus jussisset. *Quid absurdum*, inquit, *si Ægyptii ab Hebræis, homines iniquè dominantes ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro eorum tam duris & injustis laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus etiam ritu sacrilego in injuriam Creatoris utebantur, privari debuerunt? Quid tamen si Moyses sua sponte fecisset, aut hoc Hebræi sua sponte fecissent, profectò peccassent.* Et consequenter, juxta sancti Augustini mentem, famulus vel operarius qui de salario cum domino convenit, nihil surripere potest, etsi putet, dictum salarium minorem esse suâ operâ.

S. August. li. 22. contra Faustum, c. 72.

Demùm sancta Sedes hanc furtis faventem opinionem damnavit cum sequenti propositione.

37. Propositio damnata: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.*

Innocentius XI. in Decret. contra 65. proposition.

Quæst. 6. Potest-ne licitum aliquando esse uti compensatione, sine violatione hujus præcepti.

Resp.

Resp. Liquet ex allatâ sancti Augustini authoritate, vix inveniri posse casum aliquem, in quo licitum sit uti compensatione; cùm etiam Doctor Angelicus dicat, quòd *qui furtim accipit rem suam apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia gravat eum qui detinet (& ideò non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad compensandum) sed peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei judicium, juris ordine prætermisso; & ideò tenetur Deo satisfacere, & dare operam, ut scandalum proximi, quod inde exortum fuerit, sedetur.* S.Tho.2.2. q. 66. a. 5. ad 3.

Et ita, juxta sanctum Thomam, licèt quis sciat, rem suam ab alio detineri injustè, non potest tamen ut plurimùm rem æqualis valoris ei surripere sub compensationis prætextu; sed debet ad judicem accedere, ad quem spectat decernere, quod justum est.

Possunt nihilominùs aliqui reperiri casus, in quibus compensatione uti licet. Verùm, ut hæc compensatio immunis sit à peccato, tres exigit conditiones. Necesse est 1. ut debitum sit certum, & non dubium; nam si, ex sancto Gregorio Papa relato in Canone, *grave satis est & indecens, ut in re dubia, certa detur sententia*; & judices legitimi non possint temerè pro una ex partibus judicare; quantò minùs licere potest uni ex partibus, judicem se in propria causa constituere, & in sui favorem decidere in casu, in quo potest aliquod reperiri dubium? non auditis rationibus quas posset is adducere, qui adeò temerè inscius condemnatur. Can. Grave, 11. q. 3.

2. Requiritur, ut nulla alia suppetat via ad recuperandam rem injustè detentam, præter occultam compensationem; nam si posset petendo recuperari, aut re-

Prov. c. 20. *statera dolosa non est bona.* Quæ verba designant lethale peccatum. Præterea in Deuteronomio sic habetur: *Non habebis in sac-*
Deut. c. 25. *culo diversa pondera, majus & minus: nec erit in domo tua modius major & minor.... abominatur enim Dominus Deus tuus eum qui facit hæc, & aversatur omnem injustitiam.* Sed Deus abominatur solummodò peccatum mortale, quo solùm amittitur charitas; unde sequitur, quòd, juxta Sacram Scripturam, peccat mortaliter, qui utitur falso pondere, aut falsâ mensurâ, & ita notabilem summam surripit, licèt non unâ, sed repetitis vicibus; licèt pluribus personis modicum quid surripiatur hoc modo, quæ modica tamen simul unita, in summam notabilem coalescunt.

Caput III.

De Excusationibus, quæ à nonnullis adduci possunt, ut surripere valeant rem alienam, citra violationem hujus præcepti; quarum præcipua est necessitas.

Quæst. I. QUOTUPLEX est necessitas?

Resp. Triplex necessitas assignatur à Theologis: Prima appellatur extrema; secunda gravis, tertia communis. Extrema necessitas ea est, cùm quis caret rebus ad vitam conservandam omninò requisitis; ita ut nisi statim ei succurratur, in manifestum mortis periculum adducatur, aut saltem incidendi in morbum insanabilem, aut perdendi aliquod corporis membrum: nul-

lum-

lumque omninò suppetit medium ad hæc extrema mala declinanda, nisi aliquid proximo subripiatur.

Necessitas gravis ea dicitur, quæ causa est maximæ infamiæ, propter quam non potest homo vivere juxta suam conditionem, sed adigitur ad ducendam vitam abjectam, & infrà omnes ejusdem status: aut quæ hominem constituit in periculo gravi sanitatis, honoris, aut bonorum.

Necessitas communis ea est quæ reperitur in his qui non possunt id quod debent solvere, aut qui ostiatim & publicè mendicant.

Quæst. 2. Licet-ne in extrema necessitate aliena subripere?

Resp. Dum necessitas verè extrema est, potest, sine violatione hujus præcepti, accipi id quod requiritur ad arcendam talem necessitatem. *Si adeò sit evidens & urgens necessitas*, inquit Angelicus Doctor, *& manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum (putà cùm imminet personæ periculum, & aliter subveniri non potest) tunc licitè potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifestè sive occultè sublatis; nec hoc propriè habet rationem furti aut rapinæ.* S. Tho. 2. 2. q. 66. art. 7. in corp.

Docet etiam sanctus Raymundus, quòd *si aliquis furatur cibum vel potum vel vestimentum, propter necessitatem famis, vel sitis, vel frigoris, numquid committit furtum? Ad hoc dicas, quòd si patitur magnam necessitatem famis, vel sitis, vel frigoris, ita quòd nisi furetur, credit se non posse evadere mortem: non committit furtum, nec peccat; dum tamen propter hanc necessitatem faciat.* S. Raym. lib. 2. c. de furtis. §. 10 Can. *Discipulos.* De consecr. dist. 5. Discipulos, dum per segetes transeundo evellerent spicas, & ederent, ipsius Christi vox innocentes

tes vocat, quòd coacti fame hoc fecerunt. *Item propter necessitatem famis, comedit David panes Propositionis.* 1. Reg. 21.

Et est ratio multiplex: una, quia in necessitate omnia debent esse communia. Canon. *Sicut.* dist. 47. *Vbi Ambrosius inter alia dicit:* Proprium nemo dicat, quod commune est. *Item quia ipse dominus rei ex præcepto tenetur pascere esurientem.* Dist. 86. Pasce fame morientem; quisquis enim pascendo homines servare poteras, si non paveris, occidisti. *Vnde talis fur licitè & debuit, & potuit credere, Dominum permissurum: & ita non commisit furtum.*

Quæst. 3. Necessitas gravis eximit-ne à peccato aliena surripientem?

Resp. Idem sanctus Raymundus, cujus authoritas, in hac præsertim justitiæ materia, maxima est, post verba mox relata, statim subjungit: *Si autem non patitur ita magnam necessitatem, peccat: attenuatur tamen peccatum propter necessitatem; & in tali casu intelligitur Decretalis.* Extra. *De furtis:* Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis, fuerit cibaria furatus, vel vestem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres.

S. Raym. ibid.

Sanctus Thomas etiam de eadem Decretali loquens: *Decretalis illa*, inquit, *loquitur in casu, in quo non est urgens necessitas.*

S.Tho. 2. 2. q. 66. art. 7. ad 1.

Unde etiam in Summario, seu argumento aut rubrica illius Decretalis, sic habetur: *Committens furtum ex necessitate non multùm urgente, peccat, sed non graviter; unde imponenda est levis pœnitentia.* Juxta illud quod legitur in Proverbiis Salomonis: *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit; furatur enim, ut esurientem impleat animam.*

Prov. c. 6. v. 30.

Sed

Sed ne facilè crederetur, permissum esse furari sub alicujus prætextu necessitatis, licèt non extremæ, Innocentius XI. sequentem perniciosam in praxi propositionem damnavit.

Propos. 36. *Permissum est furari, non solùm in extrema necessitate, sed etiam in gravi.* Decretum Innoc. XI. contra 65. Proposit.

Certum tamen est, quòd etiam si necessitas valdè urgens, licèt non extrema, non excuset furantem à peccato; tamen illud valdè minuit; præsertim cùm ea tantùm capiuntur, quæ ad vitam sustentandam quodammodò necessaria videntur.

Sed hìc notandum est, illos magnates & nobiles, qui aliena invadunt, aut debita non solvunt, sub prætextu variarum expensarum sæpiùs inutilium & immoderatarum, nullo modo excusati coràm Deo. *Ecce*, ut habetur in Catechismo Romano, *nobilium hominum non ferendæ deliciæ, qui culpam extenuare sibi videntur, si se affirmarint, non cupiditate, aut avaritia, ad detrahendum alteri sua descendere; sed tuendæ causa amplitudinis familiæ, & majorum suorum, quorum existimatio ac dignitas rueret, nisi rerum alienarum accessione fulciretur:* Dum autem multa mutuò accipiunt, quæ in luxu & vanitatibus insumuntur, & quæ vident se nunquam soluturos, valdè peccant contra justitiam, & hæc Prophetæ verba rectè eis applicari possunt, *Mutuabitur peccator, & non solvet.* Catech. Concil. Trident. par. 3. de 7. præcepto, num. 31. Psalm. 36.

Quæst. 4. Quo pacto se gerere debet Confessarius cum pœnitentibus, qui necessitates communes prætexunt, ut in suis furtis excusentur?

Resp. Debet Confessarius hujusmodi pœnitentibus dicere, quòd cùm eorum paupertas sit tantùm necessitas communis, à

pec-

peccato excusari non possunt; &, ut ait Sanctus Joannes Chrysostomus, frigidam, seu frivolam causam allegant. Illis etiam insinuandum esset, quòd hæc obstinatio, quam in habitu furandi ostendunt, illos in statu paupertatis detinet; quia Deus eorum operibus benedictionem suam non infundit: Id agnoverat Salomon, dum in Proverbiis dixit: *Alii dividunt propria, & ditiores fiunt: alii rapiunt non sua, & semper in egestate sunt*. Et ita, ut valeant sine ullo furto, se & familiam a veris necessitatibus liberare, audiant Apostoli consilium: *Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret, operando manibus suis quod bonum est, ut habeat, unde tribuat necessitatem patienti*.

Prov. 11. 24.

Ad Eph. 4.

Præterea possent Confessarii accuratè examinare hujusmodi pauperes, & ab ipsis scire. 1. An faciant expensas aliquas minimè necessarias, sive in vestibus, sive in mensâ, & similibus; & ipsis inculcare cum patientiâ & mansuetudine, quòd tenentur in statu, in quo nunc sunt, ea quæ non sunt omninò necessaria, resecare. 2. Sciendum est, an juxta facultates & vires suas laborent; paupertas enim, quam inertia parit, excusatione digna non est. Hìc omninò insistendum est; quia ut plurimùm paupertas gravis, seu etiam extrema, pigritiam seu damnabilem negligentiam sequitur, & inde oritur.

Utile etiam esset insinuare illis, qui aliquo eventu fortuito & inopinato bona copiosa amiserunt, & in statum paupertatis prolapsi sunt; quòd amissæ divitiæ, aut status in quo olim fuerunt, non eos à labore manuum deterrere deberent, ut possint præsentibus angustiis subvenire, submittendo se ex animo, & cum vera resigna-

signatione, divinæ providentiæ decretis.

Addi potest, non incongruum fore, si pauperibus quoque, quos occultos seu verecundos appellant, persuaderetur, ut nitantur hanc verecundiam minuere & superare, quæ ex superbia, seu humilitatis defectu provenit. Talibus dici posset, non decere Christianum ob paupertatem erubescere, quandoquidem ipse etiam Christus Dominus pauper esse & videri voluit; & idcircò optandum esset, ut eâ paupertatis verecundiâ contemptâ aut superatâ, juxta facultates & vires suas operari non desistant, ut aliquâ saltem ex parte propriam, & familiæ suæ, si quam habent, indigentiam sublevare possint.

Quæst. 5. Famuli & famulæ possunt-ne occultè heris aliquid surripere, ad compensandam operam suam, quam multò majorem judicant salario quod recipiunt? Idem quæritur etiam de artificibus seu quibuscumque operariis?

Resp. Id fieri nullo modo potest, & hujus generis compensationes sunt in praxi perniciosæ. Unde opinionem talibus compensationibus faventem reprobavit Academia Parisiensis, his verbis: *Hæc doctrina falsa est & periculosa, etiam additis restrictionibus, & domesticis furtis viam aperit.* Post aliquot annos Academia Lovaniensis interrogata seu consulta ab Episcopo Gandavensi, sic in eadem materiâ mentem suam aperuit: *Hæc assertio falsa est, naturam hominis de se pronam ad malum præcipitans in furta, ac domesticam pacem perturbans; eo vel potissimùm, quòd ista compensatio ipsorummet famulorum & famularum judicio relinquitur.*

Censura Universitatis Parisiensis, 1. Apri. 1641.

Censura Academ. Lovan. 5. Maji 1657.

Et quia in famosa Apologia Casuistarum

à san-

à sancta Sede reprobata 21. Augusti 1659. eadem assertio defendebatur tanquàm conformis doctrinæ sancti Ambrosii & sancti Augustini, rejecta quoque fuit his verbis: *Hæc doctrina, quibuslibet additis restrictionibus, perniciosa est: pacem familiarum, famulorum fidem labefactat: Sanctis Patribus Ambrosio & Augustino, falsò, imperitè, & injuriosè affingitur.*

Nec difficile est ostendere, quàm aliena sit hæc opinio à mente sancti Augustini, cùm etiam, postquàm dixit, Ægyptios non dedisse debitum operarum salarium Hebræis, statuat, Hebræos non potuisse sine peccato vasa Ægyptiorum auferre, nisi Deus jussisset. *Quid absurdum*, inquit, *si Ægyptii ab Hebræis, homines iniquè dominantes ab hominibus liberis, quorum etiam mercedis pro eorum tam duris & injustis laboribus fuerant debitores, rebus terrenis, quibus etiam ritu sacrilego in injuriam Creatoris utebantur, privari debuerunt? Quid tamen si Moyses sua sponte fecisset, aut hoc Hebræi sua sponte fecissent, profectò peccassent.* Et consequenter, juxta sancti Augustini mentem, famulus vel operarius qui de salario cum domino convenit, nihil surripere potest, etsi putet, dictum salarium minorem esse suâ operâ.

S. August. li. 22. contra Faustum, c. 72.

Demùm sancta Sedes hanc furtis faventem opinionem damnavit cum sequenti propositione.

37. Propositio damnata: *Famuli & famulæ domesticæ possunt occultè heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario quod recipiunt.*

Innocentius XI. in Decret. contra 65. propositión.

Quæst. 6. Potest-ne licitum aliquando esse uti compensatione, sine violatione hujus præcepti.

Resp.

Resp. Liquet ex allatâ sancti Augustini authoritate, vix inveniri posse casum aliquem, in quo licitum sit uti compensatione; cùm etiam Doctor Angelicus dicat, quòd *qui furtim accipit rem suam apud alium injustè detentam, peccat quidem, non quia gravat eum qui detinet (& ideò non tenetur ad restituendum aliquid, vel ad compensandum) sed peccat contra communem justitiam, dum ipse sibi usurpat suæ rei judicium, juris ordine prætermisso; & ideò tenetur Deo satisfacere, & dare operam, ut scandalum proximi, quod inde exortum fuerit, sedetur.* S. Tho. 2. 2. q. 66. a. 5. ad 3.

Et ita, juxta sanctum Thomam, licèt quis sciat, rem suam ab alio detineri injustè, non potest tamen ut plurimùm rem æqualis valoris ei surripere sub compensationis prætextu; sed debet ad judicem accedere, ad quem spectat decernere, quod justum est.

Possunt nihilominùs aliqui reperiri casus, in quibus compensatione uti licet. Verùm, ut hæc compensatio immunis sit à peccato, tres exigit conditiones. Necesse est 1. ut debitum sit certum, & non dubium; nam si, ex sancto Gregorio Papa relato in Canone, *grave satis est & indecens, ut in re dubia, certa detur sententia*; & judices legitimi non possint temerè pro una ex partibus judicare; quantò minùs licere potest uni ex partibus, judicem se in propria causa constituere, & in sui favorem decidere in casu, in quo potest aliquod reperiri dubium? non auditis rationibus quas posset is adducere, qui adeò temerè inscius condemnatur. Can. Grave, 11. q. 3.

2. Requiritur, ut nulla alia suppetat via ad recuperandam rem injustè detentam, præter occultam compensationem; nam si posset petendo recuperari, aut re-

currendo ad judicem, licèt cum aliqua difficultate, non posset quis, sine peccato, uti compensatione, ut modò diximus cum Angelico Doctore, de eo qui occultè accipit ab alio quod suum est; qui est in culpa, quia contra ordinem justitiæ accipit. Tamen qui sic propriis manibus rem sibi debitam accepit occultè, non tenetur restituere: *Si ille à quo abstulit*, inquit sanctus Antoninus, *tantumdem habuisset de suo, & nolebat reddere: in tali casu non tenetur ad restitutionem; peccavit tamen talis graviter sic auferendo; si poterat in judicio rem suam recuperare, non debebat sibi facere justitiam, sed judex. Si autem in judicio non poterat rem habere suam, vel propter defectum probationis, vel propter tyrannidem vel potentiam ipsius: tunc etiam nec accipiendo peccavit, nisi inde aliis scandalum pararetur.*

S. Anton. p.2.tit.1.c. 15.§.1.

Hæc est tertia conditio requisita ad purgandas compensationes occultas; quia scilicet danda non est proximo scandali occasio. Ob eandem rationem valdè cavendum est, ne utendo tali compensatione, aliquod inferatur proximo damnum, locum dando suspicandi, quòd tertia aliqua persona furata sit rem quæ occultè accipitur.

Quæst. 7. Peccant-ne contra hoc præceptum mulieres, quæ accipiunt, aut dant summam aut rem alicujus momenti contra mariti voluntatem?

Resp. Certum est, quòd si uxor, præter dotem, habeat alia bona, quorum domina sit, tam quoad usumfructum, quàm quoad proprietatem, quæ bona vocantur in jure paraphernalia, potest de his disponere sine viri consensu. Quæstio igitur est solùm de bonis dotalibus, quæ, juxta leges, marito dantur *pro oneribus matrimonii.*

nii. Et quoad illa dicendum est, quòd furtum committit uxor, si, absque causa rationabili, bona communia dispenset aliter quàm ei fuerit à marito permissum. Leg. Pio oneribus, Cod. de jure dotium.

Id probatur ex sancto Augustino, qui ad mulierem scribens: *Nihil*, inquit, *de tua veste, nihil de tuo auro vel argento, vel quacumque pecunia, aut rebus ullis terrenis tuis, sine arbitrio ejus, facere debuisti... Et in his disponendis atque faciendis, si quid tibi fortè melius videretur, suggereres viro reverenter, ejusdemque authoritatem tanquam tui capitis sequereris obedienter; ut omnes qui sanum sapiunt, ad quos posset hoc bonum vestrum fama perferre, de domus vestrae fructu ac pace gauderent, & adversarius revereretur, nihil habens de vobis dicere pravi. Porrò si de faciendis eleemosinis, & in pauperes impendendis rebus tuis, de quo bono opere & magno tam evidentia praecepta sunt Domini, cum viro tuo fideli & tecum sanctae continentiae pacta servante, consilium communicare deberes, ejusdemque non spernere voluntatem; quanto magis*, &c. S. Aug. Ep. Epist. 199. ad Ecdiciā.

Sanctus Raymundus eamdem doctrinam expressè confirmat, dicens: *Si uxor habet res paraphernales, id est proprias, praeter dotem, sic dictas à παρὰ, quod est juxta, & φερνὴ, quod est dos, quasi juxta dotem, potest de illis, etiam invito viro, facere eleemosinam. Cod. de Pactis conventis. Leg.* Hac lege. *De rebus autem viri, ut de pane, vino, & aliis, quae bono & approbato more solent ad dispensationem uxoris pertinere, potest & debet facere eleemosinam, moderatè tamen secundùm facultatem viri, & majorem & minorem multitudinem vel necessitatem pauperum: & debet semper sibi conformare conscientiam, quòd non displiceat marito in corde, licèt fortè aliquando prohibuerit ore;* S. Raym. lib. 2. tit. de Furtis, §. 9

solent enim mariti facere prohibitionem uxoribus absolutè, ut sic temperent eas, non à toto, sed ab excessu quem suspicantur. Potest etiam formare sibi conscientiam ex qualitate & miseria pauperis, cogitans, quòd si maritus illum videret, omnibus modis placeret ei, quòd sibi faceret eleemosinam. Si autem omninò & præcisè dictat ipsi uxori conscientia, quòd viro displicet, & scandalizatur inde, deponat conscientiam illam, si potest; sin autem, non debet dare, & doleat, quia non potest dare: & sic intelligitur quod dicitur 3. q. 5. Can. Quod Deo. *Hoc autem ultimum dico, nisi videret pauperem indigere ad mortem; tunc enim deberet dare intrepidè, aliàs peccaret.*

Quæst. 8. Nunquam-ne licitum esse potest uxoribus aliquid à viris accipere, ipsis non consentientibus?

Resp. Etsi, ut diximus, fructus bonorum dotalium ad maritum pertineant; & consequenter uxores de illis disponere non possint contra virorum voluntatem; nihilo tamen minùs, cùm hæc bona data sint ad portanda onera matrimonii, possunt assignari aliqui casus, in quibus uxores de his bonis disponere possunt sine consensu virorum, dum viri iis non utuntur ad ea, propter quæ data sunt.

Possunt 1. mulieres aliquid ex bonis communibus subtrahere, ad propulsandum & arcendum grave aliquod damnum, quod probabiliter marito vel familiæ imminet. Id fecit prudentissima mulier Abigail, dum ardentem Davidis iram, oblatis muneribus, sedavit, atque ita impendentem suæ familiæ stragem depulit.

Lib. 1. Regum c. 25.

2. Cùm maritus rem familiarem prodigit, & res familiæ necessarias non subministrat,

nistrat, licet uxori aliquam partem bonorum communium accipere & occultare, ut suis & familiæ necessitatibus, providâ ejusmodi bonorum reservatione, prospiciat. Sed in his casibus debet uxor observare circumstantias, quas in compensationibus necessariò requiri diximus; & consequenter certum illi esse debet, quòd ea quæ occultè accipit, necessaria sint honestę sustentationi familiæ. Si id dubium esset, standum esset judicio mariti, dicente Apostolo: *Mulieres viris suis subditæ sint sicut Domino; quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Aut saltem si rationibus deferre nolit maritus, uxor debet sequi mentem prudentis & pii Confessarii, aut viri probi & experti in talibus. Ad Ephes. c. 25.

Quæst. 9. Filii familiâs qui parentibus aliquid surripiunt, committunt-ne furtum?

Resp. Id quod habetur in Proverbiis Salomonis, quòd, *qui subtrahit aliquid à patre suo & à matre, & dicit hoc non esse peccatum, particeps homicidæ est*: satis indicat gravitatem talium furtorum, quæ involvunt etiam quandam injuriæ speciem illis factam, quibus amor & reverentia debentur. Sanctus Antoninus in tractatu de modo interrogandi pœnitentes: *Si quis*, inquit, *rem aliquam occultè invito domino, non solùm si abstulit ab extraneo, sed etiam filius à parentibus, uxor viro, servus domino, discipulus magistro, socius socio, consanguineus consanguineo, furtum est; si est aliquod notabile damnum, unde & mortale, tenetur ad restitutionem; secùs si quid minimum, ut aliquos fructus, quatrinum, & hujusmodi.* Idem sanctus Doctor eandem doctrinam in alio loco repetit, dicens: *Si filiusfamiliâs* S. Anton. in summula Confessionali, in 2. part. De modo interrogandi pœnitentes à Confessario, de 7. Præcepto, c.6. S. Anton. p.2. tit.1. c. 15. §.1.

 abstu-

abstulit de bonis parentum contra voluntatem eorum, furtum commisit: & si est quid notabile, mortale est.

Observandum tamen est, quòd eadem res, vel summa, quæ censeri posset, respectu extranei, materia gravis, & redderet furtum mortale: potest considerari in filio tanquàm levis, & illius furtum tanquàm veniale; quia scilicet pater magis dolet de furto ab extraneo sibi facto, quàm si factum fuisset à filio; & ita æstimari potest, quòd dum pater grave damnum non patitur ex furto à filio sibi facto, aut dum filius honestè & moderatè utitur summâ surreptâ, eamque insumit rationabiliter, pater non multùm repugnat, nec ob tale furtum affligitur. Hæc omnia in praxi valdè pendent à variis personarum, temporum, & qualitatum circumstantiis; quæ ideò à prudenti Confessario maturè consideranda sunt.

Quæst. 10. Sartores possunt-ne excusari à furto, cum frustula aliqua panni retinent, ad compensandum laborem, pro quo plenè non putant sibi satisfactum?

Resp. Ea quæ diximus supra nu. 5. satis probant, quòd dum sartores recipiunt salarium, de quo conventum est pro labore in facienda veste; non possunt excusari à furto, cùm retinent aliquam partem panni ipsis traditi; neque prodest eis prætexere quòd dictum salarium non est congruum, & quòd de eo convenerunt solummodò coacti, ne dicta vestis facienda daretur alteri, qui eam minori prætio fecisset, sciens facile fore se indemnem præstare, retinendo aliquas panni partes, quemadmodùm passim à sartoribus fieri solet. Ostendimus enim, propositionem quæ similes compensationes famulis permittebat, re-

pro-

probatam fuisse à sancta Sede Apostolicâ, & idem esse de quibuscumque operariis, qui postquàm convenerunt de salario, non possunt aliquid retinere ad illud supplendum.

Unde etiam sanctus Antoninus, loquens in specie de sartoribus: *Si quod restat sibi*, inquit, *de serico, vel panno, vel tela, vel aliis sibi datis pro fiendis vestibus, retinet sibi, furatur illud; quod si sit quid notabile, nisi ille diminutias dedisset sibi in mercede laboris, & illud capit sibi ad supplendum tantùm, vel ubi esset in pacto.* S. Anton. in summula Confess. p. 3. interrogatorii, c. 8. De artificibus & mechanicis, par 6. De sutore pannorum.

Caput IV.

De Restitutione, & an necessaria sit ad salutem.

Quæst. I. Quid est restitutio?

Resp. Restitutio est actus justitiæ commutativæ, quo res ablata, vel injustè detenta, suo domino restituitur, vel illata damna compensantur. Hæc definitio conformis est explicationi, quam tradit Angelicus Doctor his verbis: *Dicendum, quòd restituere nihil aliud esse videtur, quàm iteratò aliquem statuere in possessionem vel dominium rei suæ.* S. Tho. 2. 2. q. 62. a. 1. in corp.

1. Dicitur restitutio *actus justitiæ*; quia justitia est virtus, per quam redditur unicuique, quod suum est. Unde ex violata tantùm justitia tenetur quis ad restitutionem, ut latiùs infrà patebit.

2. Dicitur, *quo res ablata vel injustè detenta, suo domino restituitur*; quia non minùs ad restitutionem obligatur, qui rem alienam injustè detinet, quàm qui eam

sive apertè sive clanculùm invito domino surripuit. Et hæc restitutio fieri debet etiam si quis absque culpa habeat apud se rem alienam, v. g. si casu inventa sit crumena cujus dignoscitur verus dominus : si quis pallium domi nostræ incogitanter reliquerit, & sic de cæteris.

3. Additur: *& illata damna compensentur;* hoc enim æquissimum est, ut quisquis alteri culpâ suâ damna intulit, illa ipsa sartiat, seu compenset. Et licèt res aliena non habeatur, tamen hæc restitutio obligat in pluribus casibus: v. g. si quis incendit domum alterius, si injustè eum adegit ad multas impensas, intentans illi litem injustam, & similia, de quibus sigillatim tractabitur.

Quæst. 2. Est-ne necessarium, ad obtinendam peccatorum remissionem, ut res injustè detenta restituatur?

S.Tho.2.2. q.62. art.2. in corp. *Resp.* S. Thomas docet, restitutionem esse omninò necessariam, quia non potest retineri res aliena, sine violatione justitiæ: *Dicendum*, inquit, *quòd restitutio, sicut dictum est, est actus justitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate consistit; & ideò* restituere, *importat redditionem illius rei quæ injustè ablata est; sic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur. Si verò justè ablatum sit, æqualitas erit; & ideò non necessarium erit, ut ei restituatur, quia justitia in æqualitate consistit. Cùm ergo conservare justitiam sit de necessitate salutis, consequens est, quòd restituere id quod injustè ablatum est alicui, sit de necessitate salutis.* Sicut etiam necesse est reparare damnum illatum, quando fieri potest.

S.August. Epist. 54. ad Mace. Sanctus Augustinus etiam relatus in Canone, loquens de his quibus remedium pœni-

pœnitentiæ inutile est: *Si res aliena*, inquit, *propter quam peccatum est, cùm reddi potest, non redditur: non agitur pœnitentia, sed fingitur. Si autem veraciter aggitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cùm restitui potest.* — donium, Refertur in Can. Si res, 14.q.6.

Unde concludendum est, restitutionem esse necessariam ad salutem necessitate præcepti, non necessitate medii; quia sine illa potest quis salvari, si nempè non adsit facultas restituendi: modò non desit vera restituendi intentio, si ad meliorem fortunam devenerit, & ita possibilitas adsit.

Quæst. 3. Confessarius debet-ne absolvere pœnitentem, qui cùm possit restituere, vult tamen differre restitutionem, aut satis putat hæredibus injungere, ut restituant?

Resp. Probat Angelicus Doctor, non concedendam esse absolutionem pœnitenti, qui sine justa ratione vult differre restitutionem, ad quam se fatetur obligatum, etsi possit statim restituere; quia non absolvendus est ille qui non verè proponit peccatum relinquere; sed qui vult per aliquod tempus notabile retinere rem alienam, non verè vult peccatum relinquere, quandoquidem illud non relinquit, cùm possit, & vult perseverare in causando damno alteri, dum illum non sinit bonis suis frui, & ei, contra suam voluntatem, retinet, quæ sua sunt; in quo certè novum peccatum contra justitiam committit; ergo ille sine ratione differens, non est absolvendus.

Sicut, inquit sanctus Thomas, *accipere rem alienam, est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam; quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab usu rei suæ, & sic ei facit* — S.Tho.2.2. q.62. art.8. in corp.

ſive apertè ſive clanculùm invito domino ſurripuit. Et hæc reſtitutio fieri debet etiam ſi quis abſque culpa habeat apud ſe rem alienam, v. g. ſi caſu inventa ſit crumena cujus dignoſcitur verus dominus: ſi quis pallium domi noſtræ incogitanter reliquerit, & ſic de cæteris.

3. Additur: *& illata damna compenſentur;* hoc enim æquiſſimum eſt, ut quiſquis alteri culpâ ſuâ damna intulit, illa ipſa ſartiat, ſeu compenſet. Et licèt res aliena non habeatur, tamen hæc reſtitutio obligat in pluribus caſibus: v. g. ſi quis incendit domum alterius, ſi injuſtè eum adegit ad multas impenſas, intentans illi litem injuſtam, & ſimilia, de quibus ſigillatim tractabitur.

Quæſt. 2. Eſt-ne neceſſarium, ad obtinendam peccatorum remiſſionem, ut res injuſtè detenta reſtituatur?

S.Tho.2.2. q.62. art.2. in corp. *Reſp.* S. Thomas docet, reſtitutionem eſſe omninò neceſſariam, quia non poteſt retineri res aliena, ſine violatione juſtitiæ: *Dicendum*, inquit, *quòd reſtitutio, ſicut dictum eſt, eſt actus juſtitiæ commutativæ, quæ in quadam æqualitate conſiſtit; & ideò* reſtituere, *importat redditionem illius rei quæ injuſtè ablata eſt; ſic enim per iteratam ejus exhibitionem æqualitas reparatur. Si verò juſtè ablatum ſit, æqualitas erit; & ideò non neceſſarium erit, ut ei reſtituatur, quia juſtitia in æqualitate conſiſtit. Cùm ergo conſervare juſtitiam ſit de neceſſitate ſalutis, conſequens eſt, quòd reſtituere id quod injuſtè ablatum eſt alicui, ſit de neceſſitate ſalutis.* Sicut etiam neceſſe eſt reparare damnum illatum, quando fieri poteſt.

S.Auguſt. Epiſt. 54. ad Mace. Sanctus Auguſtinus etiam relatus in Canone, loquens de his quibus remedium pœni-

pœnitentiæ inutile est: *Si res aliena*, inquit, *propter quam peccatum est, cùm reddi potest, non redditur: non agitur pænitentia, sed fingitur. Si autem veraciter aggitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum; sed, ut dixi, cùm restitui potest.*

donium, Refertur in Can. Si res, 14.q.5.

Unde concludendum est, restitutionem esse necessariam ad salutem necessitate præcepti, non necessitate medii; quia sine illa potest quis salvari, si nempè non adsit facultas restituendi: modò non desit vera restituendi intentio, si ad meliorem fortunam devenerit, & ita possibilitas adsit.

Quæst. 3. Confessarius debet-ne absolvere pœnitentem, qui cùm possit restituere, vult tamen differre restitutionem, aut satis putat hæredibus injungere, ut restituant?

Resp. Probat Angelicus Doctor, non concedendam esse absolutionem pœnitenti, qui sine justa ratione vult differre restitutionem, ad quam se fatetur obligatum, etsi possit statim restituere; quia non absolvendus est ille qui non verè proponit peccatum relinquere; sed qui vult per aliquod tempus notabile retinere rem alienam, non verè vult peccatum relinquere, quandoquidem illud non relinquit, cùm possit, & vult perseverare in causando damno alteri, dum illum non sinit bonis suis frui, & ei, contra suam voluntatem, retinet, quæ sua sunt; in quo certè novum peccatum contra justitiam committit; ergo ille sine ratione differens, non est absolvendus.

Sicut, inquit sanctus Thomas, *accipere rem alienam, est peccatum contra justitiam, ita etiam detinere eam; quia per hoc quod aliquis detinet rem alienam invito domino, impedit eum ab usu rei suæ, & sic ei facit* in-

S.Tho.2.2. q.62. art.8. in corp.

injuriam. Manifestum est autem, quòd nec per modicum tempus licet in peccato morari, sed quilibet tenetur statim deserere peccatum, secundùm illud Eccles.21. Quasi à facie colubri, fuge peccatum. *Et ideò quilibet tenetur statim restituere, si potest: vel petere dilationem ab eo qui potest usum concedere.*

Neapolit. Synodus an.1576. à Gregorio XIII. confirmata, c. 16. De Pœnitentia.

Neapolitana Synodus, à summo Pontifice confirmata, rem dilucidè resolvit his verbis: *Ne quis citò manus imponens alienis peccatis communicare convincatur, caveant Sacerdotes, ne ante debitam vel famæ, vel pecuniæ satisfactionem, cui restituendi facultas fuerit, aliquem absolvant; præcipuè ubi pœnitens datum in superiori Confessione præceptum neglexerit.*

Concord. Synod. an. 1587. p. 3. De Pœnitentia.

In Synodo Concordiensi sic habetur: *Si pœnitens proximo damnum dederit, vel aliquid furtim abstulerit, seu falso testimonio alicujus æstimationem in judicio violaverit: illum ante satisfactionem ne absolvat Sacerdos; nisi, justa de causa, satisdationem ei Parochus ad aliquod tempus distulerit.* Synodus Volaterrana statuit, ut *caveant Confessores, ne ante debitam satisfactionem quempiam absolvant, præsertim qui facultatem habeant aliena restituendi, vel legata pia persolvendi.* Idem decernit Anagnina Synodus his verbis: *Caveant, ne ante debitam satisfactionem quempiam absolvant, cui sit facultas restituendi aliena, vel pia legata adimplendi.*

Volaterrana Synod. an. 1590. de Pœnit. c. 7.

Anagnina Synod. an. 1597. c. 20. De Pœnit.

Hæc omnia conformia sunt, & apertè confirmantur à Rituali Romano his verbis: *Ne absolvat eos qui talis Beneficii sunt incapaces, quales sunt ..... qui aliena, si possunt, restituere nolunt.* Quia scilicet qui rem alienam detinet, videtur quasi æquè involutus in occasione proximâ peccandi,

Rituale Romano, De Sacramento Pœnitent.

ac ille qui habet domi mulierem, cum qua peccavit; videmus enim, experientia teste, rarò admodùm restitui de facto rem injustè acquisitam vel ablatam, præsertim post absolutionem in Sacramento pœnitentiæ temerè concessam; & sæpè tentatio retinendi malè parta, vix minor videri potest, quàm illa quæ ad impudicitatem trahere conatur.

Quæst. 4. Præceptum quo obligamur ad restituendam rem injustè comparatam, estne negativum, quemadmodùm illud quo prohibetur furtum?

Resp. Diximus in responsione ad primam quæstionem, super primo Decalogi Præcepto, hoc esse discrimen inter præcepta negativa & affirmativa, quòd præcepta negativa obligant semper & pro semper, hoc est, nunquam licet facere quod prohibent, v. g. furari, id est, rem alienam invito rationabiliter domino surripere. Sed è contrario, præcepta affirmativa, quamvis obligent semper, non tamen obligant ad producendos & exercendos singulis momentis actus imperatos, sed solùm determinato tempore, certisque circumstantiis, v. g. præceptum jejunandi, communicandi, confitendi, & hujusmodi.

Ex responsione igitur ad hanc quæstionem pendet resolutio hujus difficultatis, an scilicet qui injustè detinet rem alienam, novum committat peccatum, quoties considerans se habere rem alienam, eam, cùm possit, non restituit; ita ut teneatur explicare in Confessione, quoties videns se posse restituere rem alienam, noluit tamen restituere. Nam si præceptum restituendi, seu non retinendi, est negativum, constat ab eo committi novum peccatum, quoties omittit restituere, cum possit, quemadmo-

dùm committitur novum peccatum, quoties surripitur res aliena, quia præceptum quod prohibet, ne furemur, est negativum.

Hoc posito, dicendum cum Angelico Doctore, quòd *præceptum de restitutione facienda, quamvis secundùm formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum præceptum.* Et si in Levitico sic præcipit Dominus: *Non morabitur opus mercenarii tui apud te usque manè;* quia cùm salarium acquisitum sit à mercenario propter suum laborem, retineretur injustè res aliena, si non solveretur ei cùm illud desiderat; quantò magis id intelligendum est de rebus quibuscumque restituendis?

S.Tho.2.2. q.62. art.8. ad 1.

Levit.c.19. v.13.

Concludendum igitur est, hoc præceptum restituendi, seu non retinendi, obligare semper, & pro semper, eo modo quo præcipitur; neque enim absolutè nobis præcipitur, ut non detineamus rem alienam, sed ne detineamus eam invito domino: fieri autem potest pluribus in casibus statim recensendis, ut dominus non habeat justam causam conquerendi, licèt res sua detineatur per breve temporis spatium, vel si qui retinet, tunc sit impotens ad restituendum; & sic de aliis circumstantiis quæ dilationem restitutionis excusant.

Quæst. 5. Quænam sunt causæ, propter quas differri potest restitutio rei alienæ?

Resp. Præter causam impotentiæ, quæ in hac materiâ sæpè sæpiùs allegatur: *Plerumque enim*, ut observat sanctus Augustinus, *qui aufert, amittit, sive alios patiendo malos, sive ipse malè vivendo, nec aliud habet, unde restituat. Huic certè non possumus dicere: redde quod abstulisti, nisi cùm habere credimus, & negare.* Possunt etiam

S.Aug.Ep. 54.

assi-

assignari aliæ causæ, quæ dilationem restitutionis excusent. Et ex Angelico Doctore: *Quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei cui restitutio facienda est, vel alteri, non ei debet tunc restitui; quia restitutio ordinatur ad utilitatem ejus cui restituitur; omnia enim quæ possidentur, sub ratione utilis cadunt. Nec tamen debet ille qui detinet, rem alienam sibi appropriare; sed vel reservare, ut congruo tempore restituat, vel etiam alii tradere tutiùs conservandam.* Et ita si videretur, quòd si redderetur illa die v.g. ensis ei cui reddi debet, is eâ uteretur ad interficiendum se aut alium, conveniens esset, juxta sancti Thomæ rationem, talem restitutionem differre ad aliud tempus. Et quod de damno temporali dicitur, intelligendum etiam est potiori jure de damno spirituali. S.Tho.2.2. q.62. art.5. ad 1.

Videtur etiam, quòd restitutionis dilatio excusari potest, dum is qui restituere tenetur, gravissimum pateretur damnum in bonis suis aut famâ, si talem restitutionem statim faceret, & aliunde dilatio non est creditori nociva; nam in talibus casibus is cui restitutio fieri debet, non justè ob talem dilationem doleret.

Sed de his dilationum causis differens sanctus Antoninus: *Quidam*, inquit, *circa istam materiam dicunt, & meo judicio satis rationabiliter, quòd in certis casibus non tenetur quis ad statim restituendum actualiter, etiam si habeat modum aliquem ad restituendum, & ab eo cui tenetur, invenire non possit nec remissionem nec dilationem, sed subitam velit sibi fieri restitutionem: Quando videlicet ex restituendo statim, inde sequeretur evidens vel probabile damnum spirituale vel temporale notabile ipsius restituentis, vel aliorum, quod præponderaret* S. Ant. p.2. tit.2.c.8.

dam-

damno ejus qui debet habere ex carentia illius rei.

Potest autem tale damnum esse triplex: scilicet periculum mortis, infamia gravis, seu scandalum notabile, & damnum, & periculum probabile mortalis culpæ. Ratio hujus est, scilicet quòd talis restitutio potest differri, quia, secundùm Scotum, creditor, id est, qui debet habere, magis debet velle in hujusmodi casibus, ut maximum incommodum seu damnum ejus qui debet restituere, evitetur in modica restitutionis dilatione, quàm suum incommodum modicum, vel damnum ex carentia ad tempus suæ rei.

Et si objiciatur, quòd restituere est actus negativi præcepti, quia reducitur, seu explicatur per hoc quod est, non retinere alienum; sed præceptum negativum obligat semper. Respondetur, secundùm Scotum, quòd alienum injustè & invito domino, simpliciter prohibetur: propterea semper & pro semper isto modo necesse est saluti, alienum non retinere; sed quando quis habet propositum & voluntatem restituendi alienum pro tempore opportuno, ex tunc tenetur, domino rei volente, id est velle debente; vult autem hoc dominus rei, etsi non actu elicito, tamen actu debito & honesto; quia debet velle, quòd qui suum habet, retineat quousque poterit opportunè. Et si dicat, Dominus rei hoc agit invitè, & quia non vult quòd per quantumcumque tempus suum retineatur: Dicendum, secundùm Scotum, quòd domino inordinatè volente statim rehabere suum, & per consequens contra rectam rationem nolente proximum retinere suum: tunc tenens non est detentor injustus. Nam & depositum debet, redditione strictissima, cùm repetitur, reddi, ut Cod. Depositi. *Leg.* finali. *Et tamen, invito domino voluntate inordinata, cùm repetit, ut cum eo malum faciat sibi vel al-*

alteri, potest retineri. Et Augustinus dicit, quòd multa bona sunt præstanda invitis, dum eorum potiùs utilitati quàm voluntati consulitur.

Est ergò unus casus, cùm imminet ex hujusmodi restitutione subita periculum damni incomparabiliter prævalentis damno quod inde habet creditor ex carentia rei suæ: putà cùm ipse creditor habendo illam rem seu pecuniam, quam quis de suo retinet, magis posset repugnare & prævalere contra bonum commune; nam tunc, secundùm Richardum in 4. non tenetur restituere, sed fideliter reservare, ut restituat sibi vel hæredibus suis, quando hoc fieri poterit sine præjudicio boni communis: vel deposita re illud ita ordinando & providendo, quod tempore suo restituatur.

Idem videtur dicendum, cùm quis malè uteretur re sua rehabita, puta gladio, ad occidendum se vel alium, & hujusmodi. Idem videtur dicendum, cùm ex subita restitutione, ille qui restitueret rem ablatam per furtum vel aliud vitium, detegeretur, & inde infamaretur, cùm fama sit quid nobilius quàm substantia temporalis. Cùm ergo quilibet debeat providere conservationi famæ suæ, potest talis differre restitutionem usque ad tempus quo non deprehendatur in crimine & diffametur, si aliter provideri non potest.

Idem dicendum, cùm id quod debuit restitui, non possit illi restitui, nisi faciendo magnas expensas ad mittendum sibi, quia in remotis est creditor. Et idem dicendum, quando mulier habuit filium per adulterium, nesciente viro, vel supposuit sibi alienum partum, qui nutritur de bonis viri, vel hæres etiam scribitur ut filius proprius: cùm teneatur mater talis de omnibus quæ percepit filius ille, scilicet putativi patris, non tamen debet revelare factum, quando ex hoc sequeretur, seu

sequi probabiliter posset mors sua, vel prolis talis, vel etiam notabilis infamia, vel alia gravia scandala, secundùm Raymundum, & Ioan. Neapol. Quod de quo habes suprà plenè eod.tit.1. C. de Furto.

Alius casus est, quando ex hujusmodi restitutione subita, sequi posset mors spiritualis, seu peccatum mortale, probabiliter in restituendo, vel familiæ ejus: putà restituendo quæ habet aliena, ad tantam venit paupertatem vel miseriam, quòd non potest vivere, vel providere filiis de victu & vestitu: & cùm sint alicujus nobilis conditionis, mendicare nimis erubescunt, ab amicis ad sufficientiam non inveniunt, laborare nesciunt vel non possunt, quia parvuli vel infirmi: & sic restituendo, exponitur periculo ipse cum familia sua furandi, vel prostituendi filias, vel desperationis, ubi retinendo aliena, cum ipso ex industria sua providet, & par est sibi & familiæ, & disponitur ad satisfaciendum paulatim. Hoc sentire videtur Scotus.

Et idem videtur dicendum, cùm quis habet instrumenta artis suæ, unde ex labore suo gubernat se & suos, & vendendo vel tradendo ea, ut restituat suis creditoribus, non poterit laborare, & inde lucrari; putà libros quoad Iurisperitos & Medicos, instrumenta quoad artifices. Laborando autem cum prædictis, ultra sustentationem, poterit interim paulatim satisfacere.....

Hæc non sunt prædicanda, ne paretur via detentioni aliorum, ad quod nimis personæ sunt inclinatæ; sed cum magna discretione in Confessione & consiliis tractanda, & cum multis circumstantiis considerando quæ honestent factum.

Quæst. 6. Si, ut dictum est, differri potest restitutio propter grave damnum in restituendo; concludendum igitur est, quòd quis

quis uti poterit dilatione in restituenda magna summa; etenim hujusmodi restitutio semper grave damnum affert restituenti?

Resp. Non rectè infertur hæc conclusio; quia cùm dicitur, differri posse restitutionem ad vitandum grave damnum, sive in propriâ vitâ, sive in honore seu famâ, vel etiam in bonis; id intelligendum est solummodò, cùm hujusmodi damna possunt declinari per dilationem, & differunt ab eo damno quod reverâ inseparabile est à restitutione, quæ non causat damnum propriè dictum, cùm id tantùm restituatur quod legitimè non erat acquisitum, ac proinde in bonis nostris connumerandum & computandum non erat. Sic restitutio mille aureorum, non censetur per se ipsam afferre damnum restituenti; quia tantùm restituit, quod suum non est. Sed damnum quod locum præbet dilationi restitutionis, debet differre ab eo quod est connexum cum restitutione summæ per viam injustam comparatæ. Hujusmodi est, V. G. cùm restitui non potest, nisi vendatur fundus pro pretio quingentorum aureorum, qui mille aureis communiter æstimatur. Et sic de cæteris.

Quæst. 7. Si ille cui facienda est restitutio, patitur aliquod damnum propter dilationem, tenetur-ne debitor statim restituere, aut ipsum indemnem præstare?

Resp. Ratio dictat, damnum quod patitur creditor, regulariter præponderare debere damno debitoris, seu illius qui ad restitutionem tenetur. Quo circà si damnum quod patitur creditor ob dilationem restitutionis, sit ferè æquale damno debitoris, si statim restituat: restitutio statim facienda est, aut saltem debitor debet resarcire totum illud damnum quod patitur cre-

creditor ex dilatione restitutionis sibi faciendæ; quia ille creditor habebat verum jus exigendi tale debitum, non considerato seu contempto incommodo debitoris, & habebat justam rationem non patiendi ullam dilationem; & ita dici non potest, juxta discursum S. Antonini modò relatum, quòd in tali casu creditor sine causa denegat dilationem concedere debitori, quandoquidem hæc dilatio est ei valdè damnosa.

Attamen si debitor restitutionem differt, ne incidat in extremam necessitatem, videtur, quòd in hoc casu non teneretur resarcire damnum creditori illatum propter dilationem; quia hæc dilatio non censetur voluntaria, nec culpanda, cùm sit aliquo modo inevitabilis.

Quæst. 8. Tenemur-ne restituere inventa?

Resp. Sanctus Antoninus huic difficultati clarè & solidè respondet his verbis: *Advertendum, quòd inventa, aut de propinquo fuerunt in bonis alicujus, nec habentur pro derelicto: aut nunquam: aut non de propinquo, sed ab antiquo, ut thesauri. Si primo modo, tunc, secundùm Richardum & Thomam, qui res alienas inventas, quæ de propinquo fuerunt in bonis alterius, & non habentur pro derelicto, acceperit, ut sibi ipsi retineret, mortaliter peccavit, si est quid notabilis valoris, & tenetur nihilominùs ad restitutionem ei cujus est. Quod si per se nescit cujus sit, faciat publicè denunciari in Ecclesia: & si nec isto modo reperiretur cujus esset, debet pauperibus erogari; nisi ipse inventor esset multùm pauper, quia tunc posset, cum licentia Episcopi, vel Pænitentiarii sui, vel Confessoris, illud retinere, quando scilicet non invenitur cujus est.*

S. Ant. p. 2. tit. 2. c. 15. §. 2.

Eadem videtur esse doctrina Angelici Do-

Doctoris, cùm sic loquitur: *Quaedam verò res inventae, fuerunt de propinquo in alicujus bonis; & tunc, si quis eas accipiat, non animo retinendi, sed animo restituendi domino, qui eas pro derelictis non habet, non committit furtum: & similiter si pro derelictis habeantur, & hoc credat inventor, licèt sibi eas retineat, non committit furtum, aliàs autem committitur peccatum furti. Vnde Augustinus dicit in quadam Homilia, & habetur* 14. *q*.5. Si quid invenisti, & non reddidisti, rapuisti.

S.Tho.2.2. q.66 art.5. ad 2.

Ratio autem, cur non possit quis sibi retinere res inventas, etiam si illarum dominus non reperiatur, sumitur ex Angelico Doctore, dum sic loquitur: *Dicendum, quòd si ille cui debet fieri restitutio, sit omninò ignotus, debet homo restituere secundùm quod potest, scilicet dando eleemosynas pro salute ipsius (sive sit mortuus, sive sit vivus) praemissa tamen diligenti inquisitione de persona ejus cui est restitutio facienda.*

S.Tho.2.2. q.62.art.5. ad 3.

Unde Sanctus Raymundus proponit hanc quaestionem: *Quid de pecunia, vel alia re inventa in via, vel platea, vel alio loco publico?* Et ita respondet: *Dico, quòd pecuniam vel aliam rem inventam debet reddere, si potest invenire illum qui amisit: & faciat hoc publicè dici per praeconem, vel per Ecclesias, in loco ubi rem invenit. Si verò non invenit, cum consilio & authoritate sui Poenitentialis, retineat si pauper & egens est, & oret pro illo cujus fuit: aliàs eroget pauperibus. Et secundùm hoc intelligo illud Augustini*: Si quid invenisti quod non reddidisti, rapuisti: quantum potuisti fecisti; quia non plus invenisti, ideò non plus rapuisti. Qui alienum negat, si posset, tolleret: Deus cor interrogat, non manum.

S.Raym.in summa lib. 2. tit. De Furtis, §. 9.

De-

Concil. Benevent. ann. 1374. cap. 14.

Legimus etiam in Concilio Beneventano eandem resolutionem his verbis : *Qui invenit pecuniam vel aliam rem in via, vel in loco alio, debet domino eam reddere, si eum potuerit invenire; ipse autem certificabit inventorem per circumstantias rei, aliàs multi fortè non domini peterent. Sed si nescitur, cujus fuit, publicetur per sacerdotes in Ecclesiis, & per præconem in locis in quibus est inventa; & si dominus diu expectatus non venit, cum consilio Ecclesiæ, pauperibus pro anima illius cujus fuerat erogetur: vel cum consilio sui Pœnitentiarii, retinebit inventor, si pauper est & egens, & orabit pro illo cujus fuit. Qui vero aliter retinet, & non restituit juxta posse, furtum commisit.*

S. Carolus Actor. p.2. Synod. Diœcef.XI. In monitis executionis Decretorum,quę ad Sacr. pertinent.

Demùm sanctus Carolus mentem suam aperuit his verbis : *De rerum incertarum restitutione Decretum ita declaratur, ut quod ad judicium faciendum attinet, locum etiam habeat in restitutione rerum, quæ casu inventæ, nec furto subtractæ, aliove dolo sublatæ aut alio modo malè partæ, restituendæ sunt.*

Catech. p. 3. de 7. Præcepto Decal.§.2.

Et in Catechismo Concilii Tridentini sic habetur : *Sunt igitur fures, qui res aliquo modo inventas retinent ..... Quòd si rerum dominus nulla ratione inveniri potest, illa sunt bona in usus pauperum conferenda.*

C A-

CAPUT V.

Quænam personæ ad restitutionem teneantur.

Quæst. 1. QUas ob causas tenetur quis restituere?

Resp. Generaliter loquendo, cùm damnum aliquod injustè est proximo illatum, directè vel indirectè, per se aut per alium, vel dum alienum retinetur, tenemur ad restitutionem: *Ad restitutionem tenetur aliquis*, inquit Angelicus Doctor, *non solùm ratione rei alienæ quam accepit, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis. Et ideò quicumque est causa injustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem.* S.Tho.2.2. q.62.art.7. in corp.

Plures jam quæstiones resolvi, quæ ad justitiam spectant, & ex quibus oritur obligatio restituendi; satis igitur erit, hujus generis quæstiones paucis verbis recensere, remittendo Lectorem ad varia capita in quibus de eâdem materiâ fusiùs actum est.

Quæst. 2. Quot modis potest damnum injustè proximo inferri?

Resp. Cùm quatuor habeamus bonorum genera, scilicet bona animæ, quæ spiritualia dicuntur, bona corporis, bona honoris seu famæ, & bona fortunæ quę bona temporalia appellantur; potest damnum inferri injustum in his quatuor bonorum generibus.

Quæst. 3. Quotnam sunt bona spiritualia?

Resp. Triplicis sunt generis, scilicet bona naturalia, supernaturalia, & Ecclesiastica: naturalia sunt, quæ haberi possunt

per vires naturæ, ut usus rationis humanæ, scientiæ, artes, & hujusmodi; cùm autem damnum, quod homini in his bonis infertur, sit temporale, aut ad temporale reducatur, communiter numerantur inter bona temporalia. Bona spiritualia supernaturalia, quæ propriè dicuntur bona animæ, ea sunt, quæ excedunt naturæ facultatem, ut gratia Dei, virtutes Christianæ & infusæ, Fides & alia dona supernaturalia, Sacramenta, & similia: de his bonis hìc præcipuè tractabitur. Demùm bona spiritualia Ecclesiastica, sunt jura, fundi, & reditus Ecclesiæ & Beneficiorum, de quibus satis actum fuit Tomo 2. hujus Theologiæ moralis.

Quæst. 4. Quomodo potest damnum inferri proximo in bonis animæ?

Resp. Potest inferri, inducendo illum ad peccandum, per vim, minas, fraudes, pravum consilium, aut exemplum, aut scandalum, non arguendo illum, cùm tenemur ex officio, demùm docendo, vel defendendo pravam doctrinam circa fidem vel bonos mores: & generaliter damnum infertur proximo in bonis animæ, quoties impeditur à bono agendo, & inducitur ad malum perpetrandum. Nam etsi, ut docet Sanctus Ambrosius, *non est quòd cuiquam nostram adscribamus culpam, nisi nostræ voluntati: nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit: non habent crimen, quæ inferuntur reluctantibus: voluntaria tantùm commissa, sequitur delictorum invidia, quam in alios derivamus*; nihilominus dici verè potest, nos sæpiùs esse quasi causam alieni peccati, cùm etiam, ut in Canone habetur, *qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur*.

S. Ambr. lib. 1. de Jacob & vita beata, c. 3. refertur in ca. Non est, 15. q. 1.

Cap. Si culpa, De injuriis & damno dato.

Quæst. 5. Potest-ne quis obligari ad aliquam

quam restitutionem, propter damnum illatum proximo in bonis animæ?

Resp. Deteriores sunt, ut habetur in Canone, *qui vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantiam aliorum prædiaque diripiunt*; quia cùm, *secundum Augustinum*, à sancto Bernardino Senensi relatum, *libro Retractationum, virtutum bona maxima sint: plus damnificat, qui in istis damnificat, quàm in quibuscumque aliis; & per consequens, plus secundùm justitiam obligatur ad restituendum proximo tale bonum, quantum sibi possibile est*. C. 2 Facta. 9. q. 3. S. Bernard. ser. 29. c. 2. a. t. 1.

Verùm cùm restitutio hujusmodi bonorum, plerumque sit impossibilis, regulariter quis non tenetur damnum illatum reipsâ resarcire, licèt teneatur nihil omittere ut resarciat, seu ad satisfaciendum Deo, qui prior offensus fuit in ejusmodi damno, cùm aliquo modo expulsus fuerit ab anima suæ creaturæ, in quâ per gratiam suam dominabatur; sive ad restituendum proximum in pristinum statum, à quo fuit infeliciter amotus, dum inductus fuit ad peccandum. Nec dubitari potest, quin is qui proximo in bonis spiritualibus nocuit per vim, aut timorem, aut dolum seu fraudem, teneatur verè pro viribus conari, ut talem injustitiam tollat, seu cessando à violentia aut timore priùs incussis, & restituendo proximum in libertatem emendandi errores & culpas; seu indicando fraudem quâ deceptus fuit, vel exsufflando pro viribus, quod illi injustè & iniquè persuasum fuit.

Quare qui alium induxit ad faciendum contractum usurarium, suadendo non esse reverâ talem, tenetur contra persuadere, esse usurarium, ut contractum dirimat, & pro nihilo habeat, & sic possit resarcire dam-

damnum illatum proximo per talem contractum.

Sic qui per aliquam fraudem, ut falsa referendo, causa fuit inimicitiæ ortæ inter alios, tenetur multùm conari, ut extinguatur hæc inimicitia, prudenter indicando talem fraudem, si necesse sit.

Ille pariter qui prava & falsa docuit circa fidem aut bonos mores, tenetur palinodiam canere, & contraria asserere, ut aliquo saltem modo damnum proximo illatum resarciat.

Quia in his variis casibus verè contra justitiam quis agit, inducendo proximum ad peccandum. Si autem inductus solummodò fuit proximus ad peccandum per pravum exemplum, aut aliàs sine fraude vel violentiâ; tunc cùm non ita certum sit, quòd justitia fuerit violata, obligatio resarciendi damnum non est ita stricta, sed ex charitate obligatur quis pro posse ad medendum malo, cujus particeps fuit.

Et ita debet quis procurare omni meliori modo, ut hi qui ex pravo suo exemplo, aut consilio sine ulla fraude dato, inducti sunt ad peccandum, verè convertantur ad Deum. Hac de causa in Concilio Tridentino sic statutum videtur, antiquam innovando disciplinam: *Quandò igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspectu, crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offensos commotosque fuisse non sit dubitandum: huic condignam, pro modo culpæ, pœnitentiam publicè injungi oportet, ut quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.* In Rituali etiam Romano, prohibetur Confessario, *ne absolvat eos qui publicum scandalum dederunt, nisi publicè satisfaciant, & scandalum tollant.* Et in alio loco: *Arcendi*

Concil. Trident. sess. 24. de refor. c. 8.

Ritual. Roman. de Sacram. Pœnitent.

sunt,

sunt, inquit, *à sacra Communione ..... publici peccatores, nisi de eorum pænitentia & emendatione constet, & publico scandalo prius satisfecerint.* Id fusiùs observatum & elucidatum est, Tom. 4. Tract. 6. de Sacramento Pœnitentiæ. Cap. 7. nu. 16. & seqq. Ibid. de Sacram. Euchariſt.

Qui inducit alium ad malum, inquit sanctus Antoninus, *suadendo, consulendo, præcipiendo quod est mortale, est occasio perditionis illius; quia per hæc auferuntur ei gratia & virtutes ab anima. Unde Augustinus:* Si fratri tuo mala persuades, occidis, *scilicet illum quoad animam. Can.* Noli. *De Pænitentia, Dist. 2. Et talis damnificans, secundùm Scotum in 4. Sententiar. tenetur restituere damnum modo suo possibili, scilicet inducendo eum efficaciter ad pænitentiam, & ad actus virtuosos: & si sola inductio per verba non sufficit, quia facilius est pervertere quàm convertere, tenetur quantum potest per orationes suas, & ab aliis procuratas, & per aliorum suasiones efficaces, dum tamen non prodat illis peccatum occultum prædicti.* S. Ant. p. 2. tit. 2. c. 2. §. 1.

Juxta hanc doctrinam, qui diutiùs in vitiis & concupiscentiis vitam publicè & impiè transegerunt, ut plurimùm teneri videntur signa publica veræ conversionis demonstrare, ut, juxta Concilii Tridentini verba mox relata, quos exemplo suo ad malos mores provocarunt, suæ emendationis testimonio ad rectam revocent vitam.

Id præcipuè, juxta sancti Antonini mentem, intelligendum est de Prælatis & aliis Superioribus, quorum exempla magis contagiosa sunt: *Quantum ad tertium*, inquit, *scilicet damnificando alios suo malo exemplo, sicut scandalizant Prælati subditos pompis, & lasciviis, & aliis malis moribus suis:* S. Anton. Ibid.

mulieres suis superfluis ornatibus, & fucis, & tripudiis, & alii manifestè peccantes; & præcipuè quando hoc intendunt, vel contemnunt seu parvipendunt scandalum aliorum, propter quod alii ruunt in diversa vitia: tales tenentur ad satisfaciendum bonis exemplis manifestis.

Quæst. 6. Tenetur-ne ad aliquam restitutionem, qui alium ab ingressu Religionis vel à promotione ad Sacerdotium avocavit, vel ad dimittendum religiosum statum induxit?

Resp. Distinguendum est in his casibus, sicut in præcedentibus; vel enim id præstitum est per violentiam, fraudem, & dolum malum; & tunc peccatum fuit contra justitiam: ac proinde tenetur quis resarcire, quantum potest, injuriam illatam, & damnum causatum proximo, per cessationem violentiæ & fraudis quâ malè usus est: tenetur præterea nihil omittere, ut per se vel per alios inducatur proximus ad resumendum & executioni mandandum pium quod priùs in animo habebat propositum, ingrediendi Religionem, Ordines sacros suscipiendi, eleemosinam dandi, & alia bona opera implendi. Tenetur etiam quis resarcire aliquo modo damnum Ordini Religioso injustè irrogatum.

Si autem prædicta præstita sint sine violentia & fraude, tunc propriè non videtur justitia violata; & ita tenetur tantùm quis ex charitate priùs propositum bonum proximo inspirare.

Observandum hic tamen, quòd si quis, non ex aliqua prava intentione, alium deterruit ab ingressu aut professione Religionis, vel à Sacerdotio, sed quia putabat illum à Deo ad statum ita sublimem vocatum non esse, aut virtutibus & dotibus requi-

quisitis non esse insignitum, aut salutare ei non fore ingredi Monasterium, in quo v. g. regularis disciplina non viget: In his casibus patet, quòd ad nihil tenetur, cùm etiam non videatur in hoc peccasse. Unde etiam sanctus Antoninus: *Si autem*, inquit, *quis averteret aliquem à Religionis ingressu, non simpliciter, sed ab ea ubi dissolutè vivitur, intendens providere saluti illius, in nullo tenetur*. Et in eodem sensu Concilium Tridentinum, *anathemati subjicit eos, qui sanctarum Virginum, vel aliarum mulierum, voluntatem veli accipiendi vel voti emittendi, quoquo modo, sine justa causa, impedierint*. S. Anton. p.2.tit.2.c. 2.§.1. Cōc. Trid. sess.25. De Regularibus, c.18.

Si quis fortè hanc quæstionem fusiùs & doctiùs agitatam desideret, legere potest Dominicum Soto: *Lib.* 4. *De Iustitia & Iure*. *Quæst.* 6. *Art.* 3. Aut Silvium. *Tom.* 3. *in* 2. 2. *q.* 62. *art.* 2. *q.* 2.

Quæst. 7. Quandonam tenetur quis ad restitutionem, ob damnum illatum in bonis Ecclesiasticis?

Resp. Quoties prohibitus & injustè impeditus est aliquis ab obtinendo Beneficio quod aliâs obtinuisset, vel à perceptione fructuum Beneficii jam obtenti; sine dubio is qui tale damnum intulit, si id fecerit per fraudem, violentiam, vel dolum malum, tenetur ad restitutionem, juxta expressam Doctoris Angelici doctrinam: *Dicendum*, inquit, *quòd aliquis potest impedire aliquem ne habeat præbendam multipliciter: uno modo justè, putà si intendens honorem Dei vel utilitatem Ecclesiæ, procuret, quòd detur alicui personæ digniori: & tunc nullo modo tenetur ad restitutionem vel aliquam recompensationem faciendam. Alio modo injustè, putà si intendit ejus nocumentum quem impedit, propter odium vel vindictam aut aliquid hu-* S.Tho.2.2. q.62. art.2. ad 4.

jusmodi; & tunc si impedit, ne Præbenda detur digno, consulens quòd non detur antequàm sit firmatum, quòd ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompensationem pensatis conditionibus personarum & negotii secundùm arbitrium sapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipliciter impediri. Si verò jam firmatum sit, quòd alicui detur præbenda, & aliquis propter indebitam causam procuret, quòd revocetur; idem est ac si jam habitam auferret: & ideò tenetur ad restitutionem æqualis, tamen secundùm suam facultatem.

Quæst. 8. Tenetur-ne quis ad restitutionem propter simoniam?

S.Tho 2.2. q. 100. ar. 6. in corp. *Resp. Dicendum*, inquit Angelicus Doctor: *Quòd nullus potest licitè retinere id quod contra voluntatem Domini acquisivit; putà si aliquis dispensator de rebus Domini sui daret alicui contra voluntatem & ordinationem domini sui, ille qui acciperet, licitè retinere non posset. Dominus autem, cujus Ecclesiarum Prælati sunt dispensatores & ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur, secundùm illud Matth.* 10. Gratis accepistis, gratis date. *Et ideò qui muneris interventu spiritualia quæcumque assequitur, ea licitè retinere non potest. Insuper autem simoniaci tam vendentes, quàm ementes spiritualia, aut etiam mediatores, aliis pœnis puniuntur: scilicet infamia & depositione, si sint Clerici, & excommunicatione, si sint laici.*

Constat igitur, quòd beneficia simoniacè obtenta, restitui debent Ecclesiæ cujus sunt, ut legitimi Collatores possint de illis liberè in Domino providere, ut diximus Tom. 2. Tract. 3. *De pœnis Simoniacorum*. Quæst. 5.

De-

Debet etiam, ex eadem ratione, restitui Ecclesiæ aut pauperibus illud omne quod simoniacè acceptum fuit ob rem aliquam spiritualem, & ibidem observatum fuit, qu. 8.

Quæst. 9. Potest-ne quis ad restitutionem teneri, quia functiones Beneficio, quod possidet, annexas non implevit?

Resp. Constat, Beneficia, ut Ecclesiæ inserviatur, concedi, juxta axioma vulgatum in Jure Canonico, & in Decretali contentum, in qua sic habetur: *Officium, propter quod Beneficium Ecclesiasticum datur*. Quod certè intelligi debet non solùm de recitatione horarum Canonicarum quæ in Breviario continentur, sed etiam de omnibus Functionibus seu muneribus cuique Beneficio annexis, & de obligatione, qua illi omnes qui redditibus Ecclesiasticis fruuntur, tenentur pro Ecclesia laborare juxta facultatem & capacitatem, ut alibi fusiùs explicatum, Tom. 2. Tract. 1. De Beneficiis. Cap. 1. q. 1. Can. Quia per ambitiosam, de Rescriptis, in 6.

Et ita dici posset, quòd illi qui Functiones Beneficio annexas non impleverunt, licèt ad id ex justitia obligentur, aliquo modo tenentur restituere fructus perceptos, aut saltem illorum partem, juxta qualitatem & gravitatem defectus: deberent saltem procurare, ut damnum quod ex eorum negligentiâ vel incapacitate passa est Ecclesia, omni meliori modo reparetur.

Si v.g. Parochus per tempus notabile à residentia abfuerit sine legitima causa, non procurans, ut alius Sacerdos idoneus per id tempus functiones ritè impleret: in hoc casu videretur obligari ad resarciendum damnum spirituale, quod inde secutum esset, duplicando vigilantiam & cu-

ram singularem animarum sibi commissarum, aut etiam satagendo, ut Concionator aut Confessarius extraordinarius, aut Missionarii zelo & prudentiâ notabiles, tale defectum & damnum supplerent.

Adde, quòd talis Parochus teneretur restituere Ecclesiæ aut pauperibus redditus Parochiæ in tali absentia inexcusabili perceptos, juxta Decretum Concilii Tridentini his verbis expressum: *Si quis autem, quod utinam nunquam eveniat, contra hujus Decreti dispositionem absuerit: statuit Sacrosancta Synodus, præter alias pœnas adversus non residentes sub Paulo III. impositas & innovatas, ac mortalis peccati reatum, quem incurrit, eum pro rata temporis absentiæ fructus suos non facere, nec tuta conscientia illos sibi detinere posse.* De eâdem materiâ locuti sumus Tom. 2. hujusce Theologiæ Moralis, Tract. 1. c. 7. q. 1.

Cōc. Trid. sess. 23. De Refor. c. 1.

Quæst. 10. Debet-ne fieri restitutio, ob Officium Breviarii non persolutum?

Resp. Beneficiati quicumque sint, ita tenentur dicere Officium divinum, ut si non satisfecerint huic debito, Ecclesia eos obliget ad restitutionem quorumcumque fructuum perceptorum ex Beneficiis, ut vidimus fusiùs Tom. 2. Tract. 1. c. 10. quæst. 7. & seqq.

Quæst. 11. Canonici, & alii Beneficiati choro addicti, debent-ne restituere distributiones, quas etiam absentes perceperunt?

Resp. Debent necessariò restituere ea omnia quæ, etiam si non essent debito modo præsentes in choro, perceperunt injustè, nisi habuerint legitimam & Canonicam absentiæ causam; ut diximus tom. 2. tr. 1. cap. 7. q. 6. Et Præcentor, aut alius absentium

tium punctuator, tenetur restituere, cum suo Officio fideliter non fungitur, ut videre est ibid. Quæst. 13.

Quæst. 12. Tenetur-ne quis restituere perceptos fructus ex Beneficio non Canonicè nec legitimè obtento?

Resp. Constat, quòd in tali casu tenetur quis restituere omnes fructus perceptos, cùm nullum reverâ jus haberet illos percipiendi. Attamen si bonâ fide quis putabat se in jure fundatum esse, tunc non tenetur restituere, nisi id in quo factus est ditior; juxta id quod statutum in jure reperitur circa bonæ fidei possessores: *Fructus*, inquit Justinianus Imperator, *bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt, nisi ex his locupletiores extiterint*. Quod etiam in Jure Canonico locum habet, ut diximus Tom. 1. Tract. 3. Cap. 4. Quæst. 2. & seqq. Leg. 1. C. de Petitione hæreditatis.

Quæst. 13. Potest-ne quis ad restitutionem teneri, ob pravam dispensationem fructuum Beneficii justè obtenti?

Resp. Cùm Beneficiarii non sint domini redditicum suorum Beneficiorum, & sint tantùm œconomi & dispensatores, juxta Sanctorum Patrum & Conciliorum verba; cùmque hoc modo possint tantùm ex his redditibus sibi sumere, quod honestæ sustentationi sufficit, reliqua verò pauperibus aut Ecclesiæ fideliter distribuere teneantur: videretur ex his præmissis concludendum, quòd hi qui hæc sacra bona in res profanas miserè consumunt, ut ditando consanguineos, canes venaticos nutriendo, & hujusmodi; tenentur restituere Ecclesiæ, aut pauperibus, quos injustè iis redditibus fraudarunt, qui in illorum alimoniam consumi debuerant. Sed cùm de totâ hâc materiâ fusiùs alibi egerim, satis erit

remittere ad Tom. 2. tract. 1. c. 1. qu. 3. & seqq. Et expressiùs etiam c. 11. De usu redituum Ecclesiasticorum.

Hic tantùm obiter referam verba celeberrimi Ecclesiæ Gallicanæ Patris, sancti nempè Bernardi: *Timeant*, inquit, *Clerici, timeant Ministri Ecclesiæ, qui in terris Sanctorum quas possident, tam iniqua gerunt, ut stipendiis quæ sufficere debeant, minimè contenti, superflua, quibus egentes sustentandi forent, impiè sacrilegèque sibi retineant, & in usus suæ superbiæ atque luxuriæ victum pauperum consumere non vereantur; duplici profectò iniquitate peccantes, quòd & aliena diripiunt, & sacris in suis vanitatibus & turpitudinibus abutuntur.*

S. Bernard. ser. 23. In Canticum Canticor. n. 14.

Quæst. 14. Qui decimas justè debitas non solvunt, aut fraudant, & aliquid de quantitate & qualitate debita minuunt, tenentur-ne restituere?

Resp. Dubitari non potest, quin decimæ omni jure debeantur, & consequenter, quòd hi qui eas, prout tenentur, non solvunt, contra justitiam peccent, committendo furti speciem quæ sacrilegium redolet, cùm rem Deo consecratam respiciat. Id firmatum reperitur in Canone ex sancto Augustino desumpto: *Decimæ enim*, inquit sanctus Doctor, *ex debito requirantur, & qui eas dare noluerit, res alienas invasit*. Idem ferè dicendum est de his qui eas solvunt quidem, sed non in ea quantitate aut qualitate quæ justè requiritur; dùm v.g. de deteriori areæ grano solvuntur, aut mensuræ legitimæ non sunt, aut non omninò implentur, aut hujusmodi. Hi omnes graviter in talibus fraudibus peccant, & tenētur fideliter restituere omne damnum, quod inde Ecclesia & Ecclesiæ Ministri, aut eorum jus habentes, passi sunt.

S. Aug. ser. 219. De tēpore, Refertur in Can. Decimæ 1, 6. q. 1.

Quæst.

Quæst. 15. Quid dicendum de Oeconomis, Fabricatoribus, Rectoribus, Prioribus, aut Bajulis, & aliis, quocumque nomine vocentur in variis Provinciis: qui ex officio administrant bona Ecclesiæ, aut alicujus Confraternitatis, & illa in profanos usus & non necessarios consumunt?

Resp. Cùm id omne quod Ecclesiæ tribuitur, Deo consecretur, sacrilegi & raptores judicari debent, qui malè & fraudulenter administrant hujuscemodi res sacras; sic enim habetur in Canone: *Nulli liceat ignorare, omne quod Domino consecratur, sive fuerit homo, sive animal, sive ager, vel quidquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum Domino erit, & ad jus pertinebit Sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui à Domino & Ecclesia, cui competunt, aufert, vastat, invadit, vel eripit: & usque ad emendationem, Ecclesiæque satisfactionem, ut sacrilegus judicetur: & si emendare noluerit, excommunicetur.* Can. Nulli, 12. q. 2.

Quamobrem laici, aut alii qui aliquo modo administrant bona Ecclesiæ, ut oblationes quæ à fidelibus in favorem alicujus Confraternitatis traduntur: seu qui curam gerunt Fabricæ, aut ornamentorum Templi Dei viventis: satagere debent, ut pecunia aut aliæ quæcumque res sibi consignatæ, nullo modo distrahantur & consumantur nisi pro necessitate aut utilitate Ecclesiæ, juxta mentem Superiorum Ecclesiasticorum, dum curam rerum temporalium ad Confraternitates seu Congregationes pertinentium laicis commendarunt.

Debent hujusmodi Administratores non solùm sibi nihil omninò retinere ex his quæ ad Ecclesias seu Confraternitates pertinent; sed etiam solicitè curare, ne quis

ea bona dissipet, aut aliquam fraudem in eorum Ecclesiastico usu committat, qui semper utilitatem Ecclesiæ respicere debet.

Can. In legib. 12, q. 2. Illis præsertim loquitur Canon, in quo dicitur: *Si quis Ecclesiasticas Oblationes, & quod Deo consecratum est, rapuerit, vel consenserit facientibus, ut sacrilegus dijudicetur*. Quod certè primò respicit eos qui ex officio aut munere, quod in Ecclesiâ habent, tenentur specialiter vigilare, ut hæc sacra bona conserventur.

Can. Qui abstulerit, 12. q. 2. Demùm, ut habetur in Canone: *Qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, aufert, vel fraudat, homicida est*: Unde etiam alibi necator pauperum vocatur. Cæterùm in his omnibus casibus, restitutio exacta fieri debet, & resarciendum est omne damnum, quod injustè Ecclesia passa est; in quo valdè vitandum est, ne quis sibi ipsi aduletur, aut adulatores sequatur; certum siquidem est, quòd idem Deus, qui nunc patienter sustinet iniquitates & varias fraudes, quæ circa bona sibi consecrata perpetrantur, severè judicabit eos qui ea sibi aliquo modo retinuerint, aut malè consumpserint.

Quæst. 16. Quandonam tenetur quis ad restitutionem, propter damna proximo illata in bonis corporis?

Resp. Generaliter loquendo, potest quis ad restitutionem obligari, si interfecerit, aut mutilaverit, aut verberaverit, aut debilem reddiderit, aut deformem alium injustè.

Quæst. 17. Ad quam restitutionem tenetur, qui alium interfecit?

Leg. Ex hac lege, ff. si quadrupes *Resp.* Cùm in hoc casu nequeat restitui quod ablatum est, & aliundè vita hominis sit ordinis superioris, *cùm*, juxta legem, *liberum corpus æstimationem non recipiat*: resar-

resarcire tantùm debent damna per hanc injustam actionem illata, quæ sæpiùs maxima sunt.

pauperié fecisse dicatur.

Quæst. 18. Quænam sunt damna, quæ frequentiùs sequuntur ex alicujus injustâ morte, quæque interfector tenetur restituere?

Resp. Juxta varias personarum conditiones, earum mors variis etiam damnis locum præbet, quæ restituenda omninò sunt juxta æquitatis leges. Et ita si interfectus est injustè, qui v.g. valdè amabatur aut æstimabatur à Principe, aut alio summo viro, qui illum verisimiliter multùm juvissent, & ad ampliorem fortunam sustulissent: restituendum est, id quod à viro prudente æstimari potest hæc verisimilis spes.

Si occisus sit Advocatus, Medicus, & hujusmodi: aut etiam artifex qui, ultra propriam sustentationem, multa lucrabatur: tunc restituenda est justa æstimatio talis lucri faciendi pendente vitâ, deductis tamen expensis, quas occisus pro se fecisset. Adde, quòd si occisus diligentissimus erat in re familiari administrandâ, aut qui facilè poterat sustinere lites injustas sibi intentandas, & è contrario, illo occiso, vidua aut filii ex defectu industriæ aut alio, causam magni momenti perdiderint: æquum est, tale damnum quodammodò resarcire, & restituere justam æstimationem industriæ aut diligentiæ illius qui occisus est, maturè pensatis variis circumstantiis.

Præterea si occisus officium aut munus seu dignitatem possidebat, quam moriens amisit: debet non solùm restitui id quod per tale officium lucratus esset; sed etiam si verisimile sit, quòd officium vendidisset,

aut ad filium transmisisset: æquitas postulat, ut restituatur æstimatio talis damni, quod hac morte injustâ familia occisi passa est. Debent etiam resarciri omnes expensæ quæ pendente occisi ægritudine factæ sunt.

S. Anton. p.2 tit.2.c. 2 §.2. Demùm, ut docet sanctus Antoninus: *Si interfectus sustentabat aliquas personas, ut Patrem, Filios, & hujusmodi, operibus manuum suarum: tenetur interfector omnibus illis ad tantum quantum illis abstulit subsidii, propter occisionem ejus.*

Quæst. 19. Quibusnam personis restitutio facienda est, propter damna ex homicidio provenientia?

Cap. Si culpa, De injuriis & damno dato. *Resp.* Juxta Decretum Gregorii Papæ IX. *Si culpa tua datum est damnum, vel injuria irrogata, seu aliis irrogantibus opem fortè tulisti, aut hæc imperitia tua sive negligentia evenerunt: jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.* Ex quo sequitur, restitutionem ab interfectore iis esse faciendam, qui passi sunt damnum, v. g. necessariis defuncti hæredibus, attentis omnibus circumstantiis damni emergentis & lucri cessantis. Debet etiam restitui, & resarciri damnum quod vidua, filii, pater mater, aut fratres & hujusmodi ex hac morte patiuntur, juxta supradicta ex sancto Antonino.

Imò si occisus habeat creditores, quibus, vitâ comite, verisimiliter debita solvisset: æquum videtur, ut interfector solvat, si hæredes solvendo non sint; quia tale damnum verè creditoribus accidit ex præmatura & injusta morte debitoris.

Quæst. 20. Quænam est restitutio facienda propter mutilationem, debilitationem, deformitatem, & hujusmodi?

Resp.

Resp. Tenetur quis in his casibus resarcire damna omnia inde provenientia, quæcumque tandem sint, eo modo quo fieri potest. Id conforme est Legi in Exodo contentæ, & in Decretali insertæ his verbis: *Si rixati fuerint homines, & percusserit alter proximum suum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, sed jacuerit in lecto: qui percusserit, operas ejus, & impensas in medicos restituat.* Cap. 1. De injuriis & damno dato.

Et ita si mutilatus fuerit opifex, aut alius, qui multùm lucrasset mediante membro quo privatus fuit: æquum est, ut illi id omne damnum resarciatur, quod inde patitur, judicio viri prudentis. Idem est si quis debilitatus fuerit, aut in toto corpore, aut in uno membro, juxta Doctoris subtilis mentem, qui à sancto Antonino refertur his verbis: *Quantùm ad secundùm, scilicet de mutilatione: dicit Scotus, quòd pro hujusmodi non est statuta pœna in Ecclesia, nisi pecuniaria: & ita debet respondere non solùm damno quod quis intulit per mutilationem, pro toto tempore futuro quo usurus esset membro abscisso, sed etiam expensis appositis in curatione; ut habetur Cap.* Si culpâ. De injuriis & damno dato. *Et ultra hoc, tenetur ad placationem læsi, quantùm in ipso est, & consolationem ipsius afflicti; quæ afflictio perpetua est. Plus autem ponderanda est mutilatio pauperis, quàm divitis, si magis egebat parte abscissa ad victum necessarium: putà si abscissa est manus dextera scriptori, qui de illa arte vivebat; tunc enim magis tenetur.* S. Ant. p. 2. c. 2. §. 2.

Quantùm verò ad deformitatem injustè causatam, debent etiam æstimari damna quæ inde secuta sunt: si v. g. juvenis matrimonium brevi contracturus, &, à fortiori, virgo, non potest sponsum æquè divitem aut nobilem invenire, quia, ratione ali-

alicujus mutilationis aut cicatricis, quam injustè passa est, facta est deformis. In hujusmodi casibus augenda ita est dos, ut suppleto deformitatis defectu, matrimonium inire facilè possit cùm viro æqualis ponderis. Sed nihil expressè restituendum videtur propter solam deformitatem, & dolorem inde provenientem, si nullum aliud temporale damnum sequatur.

Leg. ult. ff. de his qui effuderint vel dejecerint.

Id elicitur ex dispositione Legis, in qua sic habetur: *Cùm liberi hominis corpus .... læsum fuerit, judex computat mercedes medicis præstitas, cæteraque impendia quæ in curatione facta sunt: prætereà operarum quibus caruit aut cariturus est, ob id quòd inutilis factus est; cicatricum autem aut deformitatis nulla fit æstimatio; quia liberum corpus nullam recipit æstimationem.*

Quæst. 21. Quid restituendum est ob stuprum aut adulterium?

Resp. In hujusmodi casibus, debent, quantùm fieri potest, resarciri damna inde secuta, ut fusiùs explicuimus suprà, Tom. 6. Tract. 7. de 6. Decalogi Præcepto. Cap. 1. quæst. 8. & 10.

Quæst. 22. Quandonam tenetur quis restituere, quia læsit honorem vel famam proximi?

Resp. Tenetur quoties, per se, vel per alium, de aliquo malè locutus est, aut calumniatus est in judicio, aut extra judicium, sive verbis, sive scripto, aut etiam alio intelligibili signo: si reverâ id fecit cum effectu, id est si læsit honorem aut famam proximi.

Quæst. 23. Quomodo læsus honor restitui debet?

Resp. Id ita implendum est, ut quantùm fieri potest, proximus recuperet eamdem existimationem & famam, quam habebat, an-

antequàm de illo quis detraxisset, aut calumniam vulgasset; & idcircò omnibus modis & mediis utendum est, quæ aptiora ad hoc videntur, pensatis summâ cum maturitate & prudentiâ variis circumstantiis. *Dicendum*, inquit Angelicus Doctor, *quòd aliquis potest alicui famam tripliciter auferre: uno modo verum dicendo & justè, putà cùm aliquis crimen alicujus prodit ordine debito servato; & tunc non tenetur ad restitutionem famæ. Alio modo falsum dicendo, & injustè; & tunc tenetur restituere famam, confitendo se falsum dixisse. Tertio modo verum dicendo, sed injustè; putà cùm aliquis prodit crimen alterius contra ordinem debitum: & tunc tenetur ad restitutionem famæ, quantùm potest, sine mendacio tamen; utpote quod dicat se maledixisse, vel quòd injustè eum diffamaverit.* S.Tho.2.2. q.61.art.2. ad 2.

Eamdem sententiam sequi videtur Sanctus Raymundus, dum sic loquitur: *Detractores & infamatores dicuntur, qui vitam & bonos mores proximorum nituntur corrumpere vel minuere: quod faciunt interdùm confingendo, & publicando crimen aliquod contra alium, vel etiam occultum alterius crimen prodendo & manifestando: fit etiam hoc quandoquè verbis, sive planis, sive artificiosis, sive cantilenis; quandoquè nutibus & signis, quandoquè etiam scriptis, quæ appellantur libelli famosi; ut cùm aliquis scribit cartam in injuriam & infamiam alterius, & projicit eam occultè in Ecclesia, vel platea, vel domo; ut ea inventa & lecta, alius infametur: isti omnes peccant mortaliter...... In pœnitentia autem dico, quòd tenentur ad restitutionem* (damnorum, quæ propter hoc illi incurrunt, ut ait Glossa) *tenentur etiam ad restitutionem famæ, si fortè alius est propter hoc infamatus: quod fiet hoc modo: ubi publicè dixit* S. Raym. in summa lib. 2. De Raptorib. §. 24.

dixit verbum vel cantilenam, per se, vel per alium, vel etiam ubi projecit libellum famosum, necnon & in aliis locis, ubi intelligat illum, contra quem hæc acta sunt, infamatum occasione sui dicti, vel facti, vel signi: publicè similiter recognoscat errorem suum & culpam, & pro posse removeat, vel saltem alleviet sic infamiam. Tenetur etiam componere secum de injuria, & humiliter nihilominùs veniam postulare. Probantur hæc. 14. q. 3. Si res. 5. *quæst.* 1. Quidam. *Et Euangelium:* Si offers munus tuum ante altare, &c.

S.Bernard. ser. 36. c. 3. *Homo proximum suum diffamat*, inquit Sanctus Bernardinus Senensis, *imponendo sibi falsum, scilicet crimen, narrando malum à se inventum: talis nempè debet restituere famam, retractando simpliciter verbum suum, & quod sibi imposuit, & hoc ita in publico, sicut publicè diffamavit; aliàs non servat justitiam, scilicet reddendo proximo suo quod suum est.*

Et ita, juxta hæc Sanctorum dicta, rectæ rationi & æquitati omninò consona, dubitari non potest, quin debeat reparari & resarciri omni meliori modo fama proximi læsa, etiam cum detrimento famæ propriæ illius qui læsit, dum id aliter fieri non potest.

Quæst. 24. Tenetur-ne quis, præter ea quæ supra dicta sunt, resarcire damna provenientia ex calumnia, detractione, & similibus?

Resp. Indubitatum videtur, quòd qui proximum in honore vel famâ læsit, tenetur resarcire omnia & quæcumque damna inde orta; juxta dispoſita in Cap. *Si culpa.* supra relato. Et ita si fortè accidit, ut quis officium, dignitatem, vel Beneficium propter calumniam non obtinuerit, necesse est, ut calumniator resarciat bonâ fide æstimatio-

tio-

tionem talis damni illati. Si virgo infamata non potuit nubere, eo modo quo de facto, sine tali calumnia, nupsisset; restituendum illi est quidquid amisit, judicio viri prudentis, attentis variis rerum circumstantiis.

Quæst. 25. Detractio, calumnia, & hujusmodi, obligant-ne semper ad restitutionem?

Resp. Tria ad hoc concurrere debent, 1. ut de facto illatum sit damnum famæ alterius; nam si notum sit, quòd detractio nullum habuit effectum in mente audientium, sive quia alius statim obstitit, sive quia bona opinio de eo concepta, impedivit, quominùs haberetur fides detractioni, vel quia calumniator notus erat, vel quia id quod dictum est, non censetur minuere posse proximi existimationem: v. g. si quis dicat, militarem virum, oblatâ sibi occasione, eduxisse gladium, vel scholarem neglexisse studium, & hujusmodi: vel denique quia crimen omnibus jam notum erat: In his casibus non datur restitutioni locus, quia nullum reverâ est proximo illatum damnum.

2. Requiritur, ut fama ablata fuerit injustè; obligatio enim restituendi, nascitur ex solâ justitiâ violatâ, ut sentiunt omnes cum Angelico Doctore. Ac proinde qui alterum legitimè accusavit de aliquo crimine coram Judice, putans se id posse probare; non tenetur ad restitutionem, licèt fortè hæc accusatio facta fuerit ex motivo odii, vindictæ, & hujusmodi; quia in hoc non peccavit contra justitiam, sed solùm contra charitatem. Idem est, si Superiori dictæ fuerint frequentes alterius culpæ, ut eis mederetur, & alter emendaretur. Aut si quis volens impedire ne

con-

consanguineus vel amicus locaret servum furtis assuetum, tale vitium aperuerit.

Denique ut quis teneatur ad restitutionem famæ, requiritur, ut infamatus, famam aliquo modo non recuperaverit, sive per se, sive per alium; quia si quis v. g. alium furti accusaverit, & ille manifestè probet calumniam, non restituenda est illi fama quam jam recuperavit. In hoc tamen casu semper quis obligatur ad resarciendum damnum, quod alter passus est, antequàm recuperaret famam, sicut & omnes expensas, quas fortè in illa recuperanda subiit.

Quæst. 26. Potest-ne quis alio etiam modo excusari à restituendâ proximo famâ?

Resp. Excusari potest, si de facto nequeat restituere; quia ad impossibile nemo tenetur. Advertendum tamen est, quòd licèt hæc restitutio sit difficillima, non tamen quis eximitur à restitutione, quatenùs fieri possit; imò si non possit totum restitui damnum, resarciri debet pars damni illati, saltem quærendo occasiones multùm laudandi personam offensam, ut hoc modo possit recuperare eamdem existimationem, quam antea apud homines habebat, & ut laudibus compensetur aliquo modo injuria illata.

Prætereà si offensus remittat & condonet restitutionem, tunc cessat restituendi obligatio, præcipuè si sit persona privata; & infamatio illius, alios non attingat; nam si offensus sit v. g. regularis, aut persona aliqua publica; tunc ordinariè debet communitas huic condonationi consentire, ut hi omnes qui talis diffamationis participes quodammodò fuerunt, satisfactionis participes sint.

3. Potest quis eximi à restitutione famæ, si of-

si offensus eum pariter infamaverit, & nolit de facto famam pro posse restituere; videtur enim, quòd in hoc casu locum habeat id quod statuit Innocentius III. quòd scilicet *paria crimina, compensatione mutua deleantur*. Hìc tamen observandum, non ideò licere alium infamare, quia nos priùs etiam infamavit; esset enim vera vindicta, & monet Apostolus Petrus, ut simus *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*. Sed hoc jam præstito, compensatio potest habere locum, & eximere à mutua restitutione, modò partes consentiant tacitè vel expressè; si enim unus ex illis vellet famam alterius diminutam resarcire, alter teneretur etiam id præstare omni meliori modo.

Cap. Tua fraternitas, de adulteriis, & stupro.

1. Ep. Petri c. 3. v. 9.

Quæst. 27. Tenetur-ne restituere famam, qui crimen jam alibi notum pervulgat in loco, ubi non erat notum?

Resp. Videtur dicendum in hoc casu sicut in aliis, quòd si injustè detegitur crimen alterius, in loco in quo probabiliter pervulgatum non fuisset; detegens peccat, & exinde nascitur vera obligatio restituendi damna illata, judicio viri prudentis; & hoc, licèt dictum crimen publicum jam esset in aliâ remotâ Provinciâ. Hoc tamen locum habere non videtur, cùm detegitur v. g. quòd quis sententiâ Judicis ad publicam fustigationem damnatus fuit, aut aliâ pœnâ mulctatus, quia tunc unusquisque videtur habere jus rem illam pervulgandi, & justitia desiderat aliquo modo, ut hujusmodi rei detegantur, ut vitentur, & hæc infamia sit pars pœnæ, quam promeriti sunt.

Quæst. 28. Damnum illatum in famâ, potest-ne pecuniâ resarciri?

Resp. Id fieri posse videtur ex S. Thoma, qui

S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 2. ad 2. qui de hâc materiâ loquens: *Vel si non possit*, inquit, *famam restituere, debet ei aliter recompensare, sicut & in aliis dictum est.* Dixerat autem superiùs: *& ideò quando id quod est ablatum, non est restituibile per aliud æquale, debet fieri recompensatio qualis possibilis est.... debet ei recompensare vel in pecu-* Ibid. ad 1. *nia vel in aliquo honore, considerata conditione utriusque personæ, secundùm arbitrium boni viri.* S. Bernar. serm. 36. ob. 3. c. 1. Unde Sanctus Bernardinus Senensis sic loquitur: *Secundùm Richardum & Thomam, tenetur sibi ad aliquam recompensationem, ad arbitrium boni viri, si non potest ei restituere famam prædictis modis.*

Videtur dici posse, illam satisfactionem seu compensationem in pecuniâ aut aliâ re temporali, posse defectum restitutionis famæ supplere, dum hæc restitutio est ferè impossibilis; etiam si fama sit alterius generis bonum; quia per aliquam pecuniæ summam, potest reddi pretium adæquans jacturam factam in existimatione hominum; & aliunde hæc compensatio conformis est dispositioni legum civilium, juxta quas omnes injuriæ aliquâ argenti summâ æstimari possunt; cum cœteròqui, ut suprà notavimus, leges non patiantur, ut damna injustè facta in corpus proximi, per mortem, mutilationem, aut deformitatem possint compensari & æstimari aliquâ pecuniæ summâ.

Didacus Covarruv. Episcopus Segobiēsis variar. resol. l. 1. c. 2. num. 8. Id ita indubitatum putat Covarruvias, ut disertè dicat: *Consentiunt omnes, famam posse pecunia compensari, tametsi maximæ æstimationis fama sit; sic etenim aurum est pretiosius argento, & tamen magnum pondus argenti prævalet parvo auri ponderi. Ex quo patet, famam & honorem, ut res exteriores, hominum arbitrio subjici. Nec par est ratio vitæ & famæ; nam propriæ vitæ nemo domi-*

nus est, nec quis habet liberum arbitrium super vita, nec super membris suis, ut vel vitam pretio vendat, vel membrorum amissionem pecunia commutet.

Hæc autem possibilitas compensationis famæ in pecuniâ numeratâ, valdè observanda est in praxi; nam cùm sæpiùs fama erepta proximo, non possit ei restitui, præsertim cùm propalatum fuit crimen occultum quod reverâ commisit: in hujusmodi casibus posset proponi homini læso in famâ, ut velit contentus esse tali summâ pro jacturâ famæ: aut etiam potest ei simpliciter restitui justa æstimatio damni circa famam illati, judicio viri prudentis.

Quæst. 29. Est-ne aliquod discrimen inter honorem & famam?

Resp. Etsi in communi loquendi modo sæpiùs honor cum famâ confundatur, & passim hæc duo vocabula usurpentur; nihilominùs reverâ differunt inter se; & licèt quis non possit lædere proximi famam sine honoris detrimento, potest tamen lædi honor sine famæ detrimento; ut si quis verbis contumeliosis aut aliter etiam proximum offendat secretò & sine testibus. Unde ut illarum rerum diversitas agnosci possit, notandum est, famam nihil aliud esse, quàm æstimationem hominum; & *honor*, juxta Angelici Doctoris verba, *testificationem quamdam importat de excellentia alicujus*, aut potiùs, *honor est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis*. Hoc posito, experientia docet, tunc propriè lædi aliquem in honore, dum malè habetur in propriâ personâ, aut in personâ consanguineorum, aut domesticorum, vel verbis contumeliosis, vel ictibus, aut dum non ei exhibetur honor & reverentia, quæ illi aliquo modo debentur. Læditur etiam

S.Tho.2.2. q.103.ar.1. in corp.

Ibid. in primo argument.

honor, cùm eripitur aut minuitur fama, quia id sine honoris detrimento fieri non potest, & ita detractio, calumnia, falsum testimonium, & similia, æquè nocent honori proximi, ac illius famæ.

Quæst. 30. Quo tandem modo restitui debent damna honori proximi illata?

Resp. Id omne quod de fama dictum est, intelligi etiam potest de restitutione honoris; unde hìc diutiùs immorari superfluum esset; satis erit obiter dicere, obligari nos ad resarciendum omne damnum honori proximi illatum, petendo veniam, aut aliàs talia reverentiæ signa ei exhibendo, quæ sufficiant ad delendum omnem malum effectum, quem injuria illata in animis hominum producere potuerat, & ad offensum placandum; in quo standum est judicio viri prudentis, qui multùm attendere debet varias circumstantias, & conditiones tam offensi quàm offendentis, ut justa observetur æqualitas in restitutione faciendâ. Nam necessarium non est, ut v.g. superior eodem modo satisfaciat, quo satisfacere deberet æqualis aut inferior; unde S. Augustinus sic loquitur: *Quando autem necessitas disciplinæ moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, si etiam in ipsis modum vos excessisse sentitis: non à vobis exigitur, ut ab eis veniam postuletis, ne apud eas, quas oportet esse subjectas, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur authoritas.* Sed in his casibus potest quis alia media adhibere, ut resarciatur & reparetur injuria proximi honori illata, & satis est, ut inferiori peculiaria amicitiæ, benevolentiæ, & æstimationis signa exhibeantur.

S. August. ep. 100. ad Monach. Et in Regula Ciericorum. c. 40.

Sed præcipuè observandum est, teneri nos restituere & resarcire omnia damna quæ ex injuriâ honori irrogatâ secuta sunt;

&, si v. g. quia publicè malè habitus est proximus, ab aliqua dignitate vel officio exclusus fuit, aut ab utili & honorifico matrimonio: in ejusmodi casibus reparanda sunt hæc omnia damna, eo meliori modo quo fieri potest, ut de famâ dictum est.

Dicitur quis contumeliari alteri, inquit Sanctus Antoninus, *seu contumeliam inferre, cùm ei privatim, vel coram aliis, in faciem dicit verba importantia defectum notabilem culpæ, ut vocando latronem, proditorem, adulterum, & hujusmodi: vel etiam cùm dicit verba exprimentia defectum naturæ, intendens inde injuriari: ut vocando eum strabonem, vel illegitimum, & hujusmodi, quod propriè dicitur convitium. Quando igitur quis hoc facit animo injuriandi, ultra offensam mortalem, tenetur satisfacere proximo sic læso, & placare ipsum læsum quantùm potest, petendo veniam, vel alio modo; & hoc in privato vel publico, secundùm quod ipse privatim vel publicè contumeliam intulit; nam si in publico contumeliam intulit, & contumeliatus hoc exigit, ut in publico veniam petat, tenetur ad hoc: & si in ipsa contumelia aliquid criminale falsò expressit, tenetur coram aliis qui audierunt, exprimere se falsum dixisse: Augustin.* Ubi peccatum ortum fuerit, ibi moriatur. 2. q. 1. si peccaverit. *Verùm si Prælatus subdito, pater filio, vir uxori, magister discipulo, dominus servo dixit verba contumeliosa, hoc faciens ex correctione, non tenetur petere veniam à tali, secundùm Augustin. in Regula dicentem de Prælatis*: Si etiam ipsi modum vos excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis subditis veniam postuletis. *Sed si hoc facerent multùm injuriosè, & livore vindictæ, tunc tenerentur Prælati à subdito petere veniam, & reconciliare læsum, secundùm Raymundum.*

S. Ant. p. 2. tit. 2. c. 2. §. 3.

Ve-

Verùm si contumeliam recipiens in verbis, post contumeliam sic domesticè conversatur cùm contumeliante & familiariter, videtur ostendere remisisse injuriam, & reconciliatum fore; & consequenter non teneri aliàs ad petendum veniam, secundùm Durandum..... Debet autem fieri satisfactio vel restitutio infamiæ, vel famæ, quàm citissimè potest, & adest opportunitas sine aliis periculis; quia scilicet nisi citò hæc odii & aversionis semina extirpentur, sæpiùs augentur, & major fit difficultas, apponendi remedium malis quæ inde oriri solent.

S. August. ep.109. ad Monach. Et in Regula Clericorum, eidem tributa, c.38.

Unde etiam S. Augustinus in Regulâ sic sapienter statuit: *Quæcumque convitio, vel maledicto, vel etiam criminis objectu, alteram læserit, meminerit satisfactione quantociùs curare quod fecit: & illa quæ læsa est, sine disceptatione dimittere. Si autem invicem se læserunt, invicem sibi debita relaxare debebunt.... Proinde vobis à verbis durioribus parcite, quæ si emissa fuerint ex ore vestro, non pigeat ex ore ipso proferre medicamenta, ex quo facta sunt vulnera.*

Quæst. 31. Quandonam tenetur quis ad restitutionem, propter damna alteri illata in bonis fortunæ, quæ dici solent bona temporalia?

Resp. Casus qui obligant ad restitutionem respectu bonorum temporalium, sunt quàm plurimi; quia radix omnium malorum cupiditas, innumeros suggerit modos nocendi proximo in his bonis, & ea sibi applicandi. Generaliter loquendo, quoties usurpatur, destruitur, deterioratur res aliena, quoties non solvitur vel non redditur proximo, quod illi justè quoquomodo debetur, vel in ejus damnum violatur justitia, adest obligatio restituendi, ut jam vidimus.

Con-

Contractus qui adinventi sunt, ut conservaretur commercium, & socialis amicitia inter homines, utque mutuis necessitatibus provideretur; quique idcircò mutua charitatis vincula esse deberent, dum quis proximo necessaria libenter suppeditaret, quærendo vicissim ea, quibus ipsemet indiget: facti sunt ex vulgari nimiùm corruptione fontes abundantissimi plurium injustitiarum; quæ ideò saluti magis periculosæ fiunt, quòd restitutionis obligatio quæ inde nascitur, onus importabile illis videtur, qui nimis in rerum temporalium possessione delectantur, & paucissimi justam & adæquatam restitutionem revera faciunt.

Eadem corruptione miserè impellente, cùm commercium vix exerceatur in praxi sine periculoso divitias acquirendi desiderio: Sancti Patres statum mercatorum saluti periculosum dixerunt; & post eos Angelicus Doctor sic loquitur: *Negociatio justè vituperatur, quia quantùm est de se, deservit cupiditati lucri, quæ terminum nescit, sed in infinitum tendit; & ideò negociatio secundùm se considerata, quandam turpitudinem habet, in quantum non importat de sui ratione finem honestum vel necessarium; lucrum tamen, quod est negociationis finis, etsi in sui ratione non importat aliquid honestum vel necessarium, nihil tamen importat in sui ratione vitiosum vel virtuti contrarium: unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium vel etiam honestum, & sic negociatio licita reddetur: sicut cùm aliquis lucrum moderatum, quod negociando quærit, ordinat ad domus suæ sustentationem, vel etiam ad subveniendum indigentibus.* S.Tho.2.2. q. 77. a.4. in corp.

Necesse est, ut in praxi mercatores multùm sibi caveant, ut pericula multiplicia

vitare possint, in quæ cupiditas facilè impellit commercio vacantes: eos sæpiùs meditari oporteret hæc Apostoli verba: *Qui* Epist.1. ad Timoth. c. 6.9. *volunt divites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem; radix enim omnium malorum est cupiditas.*

Quæst. 32. Quinam contractus frequentiùs injustitias continent, ex quibus oritur obligatio restituendi?

Resp. Variæ injustitiæ plerumque reperiuntur in contractu mutui, de quibus apertè locuti sumus Tom. 1. tract. 4. *De mutuo & usura.* Et ita superfluum esset de eodem contractu fusiùs disserere, præsertim cùm diligenter investigaverimus omnes modos, quibus cupiditas humana ad divitias cum proximi damno congregandas utitur, & quòd, ut eloquenter explicat S.Chrysost. hom. 5. in c. 1. Matth. Sanctus Joannes Chrysostomus: *Nihil usura turpius, nihilque crudelius; siquidem hujusmodi fænerator negotiatur aliena discrimina, & uberiores, ut putat, quæstus de alterius infelicitate consequitur; atque insuper quasi pietatis mercedem reposcit, velut metuens, ne immisericors fortè videatur, cùm profectò, prætextu miserendi atque opem ferendi, majorem misero foveam crudelitatis effoderit: specie juvandi, atterens inopem, ac manum porrigendo dejiciens: & quasi in portum ex tempestate suscipiens, sed improviso turbine in multò magis crudele naufragium, velut inter scopulos ac latentia saxa, demergens.*

Synod. Albiganen. ann. 1596 Tit. 35. c. 4. Contractuum usurariorum seriem notat Illustrissimus Georgius Spinula Episcopus Albiganensis in Synodo his verbis: *Ut innotescat, quinam contractus usurariam sapiant pravitatem, per hæc quæ sequuntur capita, à Pa-*

à Parochis inter Missarum solemnia, ter aut quater in anno, diebus Dominicis, populo exponenda declaramus.

1. Chi farà patto di guadagno certo per alcuno impresto e deposito, etiamdio che i danari siano de pupilli, di vedove, di Chiese, ò luoghi pii, ò presterà con principale intentione di guadagno.

2. Chi sotto pretesto di patire danno, ò mancamento di guadagno, piglierà alcun frutto di danari di dote, ogni volta che il debitore gli habbia offeriti, & il creditore ingiustamente ricusati.

3. Chi piglia in pegno, ò compra alcuna cosa per prezzo vile, con patto di retrovendita frà certo tempo, e non si riscuotendo nel termine dato, resti libera del compratore, ò di chi l'hà in pegno.

4. Chi presterà fromento, vino, oglio, ò altra cosa somigliante, con patto che si restituisca in tempo piu commodo con qualche vantaggio, ò migliore, ò piu utile, ò per tale impresto piglierà alcuna cosa di guadagno, perche gli habbi differito il pagamento.

5. Chi farà patto, che le sia restituita tutta la somma in danari contanti, havendone prestato parte in crediti difficili da riscuotersi, ò in cose stimate piu del giusto prezzo.

6. Chi venderà ad alcuno bisognoso di danari cosa alcuna, accioche quasi subito la ricompri a miglior mercato.

7. Chi presterà frumento, vino, oglio, ò altra cosa simigliante guasta, perche gliene sia restituito altre tanto buono, etiandio che il debitore possa restituirlo con ogni sua commodità.

8. Chi per dilatione di tempo venderà alcuna cosa piu cara.

9. Chi per anticipatione di pagamento, comprerà alcuna cosa, ò la piglierà a pigione a miglior mercato, ò la darà ad affitto piu cara, per havergli prestato danari.

10. Chi venderà alcuna cosa a credenza, con patto che se la cosa venduta, durando la dilatione, valerà piu del prezzo fatto, l'accrescimento ceda al beneficio del venditore; ò se meno, non sia utilità del compratore.

11. Chi presterà danari, con patto che gli si dia frumento, vino, ò altra cosa somigliante, e quando le riceve, non le paga secondo il prezzo corrente allora e giusto.

12. Chi nelle compagnie, nelle quali uno mette li danari, e l'altro la fatiga, fà patto di certo guadagno per rispetto delli denari, ò che il capitale sia sempre salvo, & il guadagno si divida.

13. Chi nelle compagnie d'animali, nelle quali l'uno pone gli animali non stimati, e l'altro l'opera, fà patto, che perdendosi esso per alcuno caso fortuito, la perdita sia di chi presta l'opera: overo che la sorte principale sia sempre salva: overo che de frutti de gli animali paghi ogni anno qualche cosa di certo.

14. Chi a certo prezzo affitterà animali, con patto che peggiorando essi senza colpa del conduttore, il danno cada ad esso.

15. Chi affitterà gli animali a stima, perche, salvo il capitale, ne riporti alcun guadagno.

16. Chi compra alcuna cosa a miglior mercato del giusto prezzo, con patto di retrovendita frà certo tempo, e durando il tempo, fà tutti gli frutti suoi: overo la

com-

compra al giusto prezzo, mà l'affitta al venditore per più di quello che rende.

17. Chi vende alcuna cosa, con patto che paghi i frutti di essa per rispetto della dilatione del pagamento. Niuno può ragionevolmente fare suoi i frutti della cosa che non è sua, mà sta ad altrui pericolo.

18. Chi esercita cambii secchi che sono sterili, dando finte lettere al luogo, dove in verità non si deve fare pagamento alcuno.

19. Chi venderà furmento, castagne, ò legumi, V. G. il mese di Decembre, per il prezzo che si venderanno nel luogo frà tutto il mese di Maggio; se dato prezzo più volte nel detto mese alle cose vendute, non volesse esser contento del mezzano; quando però fusse per salvare la mercanzia fino al detto mese di Maggio.

20. Chi presterà alcuna cosa, con patto che porti al suo molino, forno, ò magazzeno, grano, pane, overo olive; peggio sarà, se vi pone pena.

21. Chi darà ad alcuno un mulo, asino, ò bue estimato, con patto che paghi qualche cosa al mese, ò l'anno, overo che conduca legna, ò che lavori alcune giunte di terra.

22. Chi sforzerà li suoi debitori promettere per il resto del credito, vino, ogli, frumento, & altre cose simili al prezzo commune, che credono certamente non sono per haverle.

23. Chi compra a danari contanti campi, bestiami, e simili cose, da quelli che veramente sanno che non hanno ne campi, ne bestiami, ne simili cose; e subito affittano alli medesimi.

24. Chi essendo offiziale di magazeno

d'abondanza col salario della Communità, prestarà danari, ò venderà grano ò altre vettovaglie di detto magazeno, e si ritenerà il guadagno, ò crescimento di dette vettovaglie per se stesso.

25. Chi accorderà lavoranti per certi giorni della settimana, e non li pagherà tutto quello si dà communemente a simili lavoranti che non sono obligati, richiedendo l'obligo qualche cosa di piu dell'ordinaria mercede al giudicio d'huomo da bene: *Videatur Instructio Cardinalis Spinola in hujus Tomi 7. fine.*

Cardinalis Antonius Maria Gallus, in Synodo Auximana, sic breviter statuit: *In societatibus animalium, quæ in nostra Civitate & Diœcesi frequenter fieri solent, non apponatur pactum, ut capitale sit semper salvum etiam ex primis fœtibus: fructus verò communiter dividantur, nec aliquid certum ex fructibus animalium quotannis solvatur; & denique non apponantur aliæ usurariæ conventiones, quas Sanctissimus & verè pius ac Apostolicus Pontifex Sixtus quintus, cujus memoria in benedictione sit, sua saluberrima Constitutione prohibuit.*

Synod. Auximana, ann. 1593. de Usuris, c. 7.

Et in præclara Synodo Sublacensi Eminentissimi Caroli Cardinalis Barberini decernitur his verbis: *Ordiniamo* e comandiamo a Confessori tanto secolari come regolari, che in niun modo assolvino gli usurarii, se prima non sarà preceduta la restitutione.

Synod. Sublacẽsis, ann. 1674. Nell'aggiunte, pag. 50.

In oltre dichiaramo esser contratti illeciti & usurarii, quei che dicono *a godere a godere*, cioè imprestar 50. scudi, e godersi una possessione &c. ò altro &c. con prendersene il frutto.

Li contratti e compagnie a capo salvo, cioè riservata sempre la sorte principale

per

per il dante: le soccite di qualsivoglia sorte d'animali, dichiaramo nulle & invalide.

Præterea Cardinalis Franciscus Maria Taurusius, in Concilio Provinciali Senensi sic statuit: *Cum in hac nostra Provincia societates de animalibus à nonnullis ita fieri audiamus, ut in iis usuræ quædam species subsit: cupientes huic malo providere ex Sixti quinti Constitutione, quam etiam ampliamus, de hoc toto genere hunc modum statuendum censuimus. Quandocumque animalia nullo certo pretio æstimata, cuipiam, societatis nomine, vel ut is danti operas præstet, custodienda traduntur, quidquid ex eis casu perierit, id totum periisse domino intelligatur, modò eum qui in societatem accepit, dolo malo fecisse non constet, ea conditione, ut sors eadem semper maneat, certumve aliquod ex fructibus animalium præter sortem ipsam, quidquid acciderit, persolvatur; vel ut eadem sorte incolumi, animalium fructus æquis inter se portionibus dividantur, societates hujusmodi non contrahantur. Si animalia certo pretio æstimata, cuiquam in custodiam ita dentur, nihil ut sors minuatur, is qui dedit, nihil præterea à socio exigat. Immobilia verò bona nunquam ita locentur, ut præter animalia quæ ad eorum cultum ibi esse solent, alia aggregentur, ipsorumque animalium sors integra relinquatur. Quidquid verò, aut hunc in modum, aut aliter quàm à jure permittitur, contractum fuerit, licèt jurejurando firmatum, præterquam quod irritum esse decernimus, ipsos etiam contrahentes, notarios, cæterosque sceleris hujus consortes, ex juris & Ecclesiasticarum censurarum præscripto, ab Episcopis severè puniri volumus.*

Cōc. Prov. Senense, de Usuris, c. 1.

Illustrissimus Præsul, Alexander Sperellus, cujus solidam eruditionem variis editi

Synod. Eugubina, an. 1646.

In Additionib. pag. 159. editi libri abundè testantur, ne usura serperet in sua Diœcesi Eugubina, in variis contractibus qui super bovibus fieri soliti erant, hujusmodi contractuum formulam vulgari lingua exhibuit in sua Synodo, his verbis.

Formula del Contratto di dare i Bovi a collara.

1. SI esprima nell'istrumento, ò nella poliza, l'età e la qualità de bovi, e la stima che di quelli sarà fatta da due periti d'eleggersi da ambedue le parti, e si convenga che il Contadino debba pagare per prezzo e mercede della collara a raggione di quindeci bajocchi per scudo l'anno, ò in danaro, ò in grano mercantile per tutto il mese d'Agosto secondo il prezzo corrente, da portarsi a casa del locatore à spese del conduttore, senz'altra interpellatione; altrimente sia tenuto alli danni & interessi; purche il prezzo di ciascun bove non passi la somma di scudi 25. di paoli; sopra la qual somma non si possi essiger cosa alcuna.

2. Che il conduttore sia tenuto a custodire diligentemente e ben governare i bovi, e servirsi di quelli come sogliono fare i diligenti Padri di famiglia e buoni agricoltori; e mancando in ciò, sia tenuto all'interesse, & il locatore possa ritoglierli fuor di tempo, in caso che da periti eletti communemente sia dichiarata tal mancanza.

3. Che quella parte che non vorrà continuare nel contratto, sia obligato per un mese avanti il fine dell'anno, farne la disdetta all'altra parte; altrimente s'intenda rinovata la locatione per un altro anno con l'istesse conditioni.

4. Che

4. Che succedendo la morte de bovi, mentre sia naturale, e per Divin giuditio, e per caso fortuito, senza colpa del conduttore, egli non sia tenuto a cosa alcuna, mà vadi a danno del locatore, come quello appresso del quale resta il dominio de bovi: & il medemo s'intenda del notabile deterioramento di quelli, il quale se sia notabile, doverà dichiararsi da due periti da eleggersi uno per parte; & in caso di discordia; da un terzo che eleggeranno communemente; ò non convenendo della persona, s'elegga dal giudice; dichiarando però, che s'aspetti al conduttore provare il caso fortuito essere occorso senza colpa sua, ò de custodi de bovi.

5. Che il conduttore sia tenuto condurre detti bovi a ciascuna fiera che si vuol fare in Gubbio, accio il Padrone possa vedere, ò far vedere, se siano ben mantenuti.

6. Se alcuno de bovi si conoscerà, ò sarà trovato infermo, sia tenuto il conduttore di manifestarlo frà trè giorni al locatore, & in caso che morisse, non lo deva scorticare ne farne altro, sin che il locatore per se stesso, ò per mezzo de suoi ministri, non l'habbia veduto, e fatto partito d'esso; altrimente sarà tenuto ad ogni danno & interesse, come se l'bove per colpa sua si fusse ammalato e morto.

7. Che il locatore sia tenuto a rifare le spese fatte dal conduttore nell'infermità del bove, & a defalcargli la mercede di quel tempo, che per non essersi potuto servire di quello, fosse stato costretto di servirsi d'altro bove. In fede &c.

Dato dal nostro Palazzo Episcopale di Gubbio, questo dì 9. Maggio 1646.

Alessandro Vescovo di Gubbio.

Paolo Sanvitani, Cancelliere Episcopale.

Synod. Lunensis & Sarzanensis, ann. 1568. c. 14. de usuris.

Demùm Card. Benedictus Lomellinus, in Synodo Sarzanensi statuit, ut *non fiat societas negociationum cum pactione, ut alter pecuniam, alter operam conferat: ut sors salva sit pecuniam conferenti, & lucrum tantùm communiter dividatur. Nec pari modo locentur animalia sub aliquo pretio, cum pacto, ut sors dãtis semper salva sine periculo remaneat.*

Concil. S. Severinæ, ann. 1597. De illicitis contr. abolendis.

Et in Concilio Provinciali S. Severinæ, à Sancta Sede expressè approbato, decernitur, ut *pecuniam aliasve res nemo sit qui in societatem mercatoribus, opificibus, aut negotiatoribus conferat, ea conditione, ut sors vel capitale, fortuitis casibus non exceptis, sit semper integrum & salvum.*

Pecudum item, & caprarum, aut porcorum greges, aut vaccarum vel equarum armenta, aut alia hujus generis animalia, pastoribus aut quibuscumque personis, ad caput salvum, sine ulla exceptione casuum naturalium aut fortuitorum, ne tradantur.

Certa lucri quantitas pro incerta, veluti tot pro quolibet centenario, societatis nomine, nullo pacto aut obligatione constituatur.

In frumentorum emptione, caveant emptores, ne ob anticipatam solutionem, aut mutuatam pecuniam, ullam pretii diminutionem, aut mensuræ accessionem quærant, paciscantur, aut accipiant. Videri potest super hac quæstione, Tom. 1. tract. 4. c. 13. & 14.

Possunt etiam agnosci injustitiæ, quæ in contractu emptionis & venditionis quandoque reperiuntur, in eodem tom. 1. tr. 3.

De injustitiis autem quæ in contractu cambii esse possunt, locutus sum, Tom. 1. Tract 5. c. 1. De contractu locationis, in eodem Tract 5. c. 2. 3. 4. 5. & 6. De contractu dotali, Cap. 7. De deposito. Cap. 8. De commodato, cap. 9. Demùm de Precario, Cap. ult. ejusdem Tractatus 5.

Pos-

Possunt prætereà videri Tom. I. tract. 6. ea omnia quæ ad fidejussiones spectant, aut promissiones, aut ludos. Et tract. 7. Donationes & Testamenta, in quibus injustitiæ ad restitutionem obligantes contineri possunt.

Quæst. 33. Qui sine ulla culpa damnum aliquod intulit proximo, potest-ne obligari ad restituendum & resarciendum tale damnum?

Resp. Regulariter loquendo, non tenetur quis ad resarciendum damnum datum sine culpa; quia consideratur hoc damnum ut casus merè fortuitus; cùm autem seu fundus, seu res aliqua mobilis vel immobilis casu fortuito perit, soli domino perit, juxta Leges Civiles & Canonicas. Concludendum igitur est, damnum illatum proximo absque ulla culpa, non obligare ad restitutionem; nisi fortè intervenerit aliquod pactum, juxta Decretum Gregorii Papæ IX. in quo sic habetur: *Cùm gratia sui tantùm quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur; licèt casus fortuitus (nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu in mora fuisset) sibi non debeat imputari.* Cap. Cùm gratia, De commodato.

Quæst. 34. Nonne dominus animalis, quod damnum attulit proximo absque ullâ domini culpâ, tenetur ad resarciendum tale damnum?

Resp. Dicitur quidem in Decretali: *Si culpa; Si animalia tua nocuisse proponas, nihilominùs ad satisfactionem teneris; nisi ea damno passis damnum, velis liberare teipsum.* Ex quo sequitur, tale damnum debere resarciri à domino animalis, etiam si dominus non sit in culpa. Verùm quæritur, utrùm dictus dominus teneatur sponte & ex ipso hoc damnum compensare, aut possit ex- Cap. Si culpa, de injuriis & damno dato.

pectare sententiam Judicis? Et videtur, quòd si absque domini culpa damnum accidit, lex naturalis illum non obligat ad restituendum, ac proindè cùm solummodò obligetur ex legibus humanis tum Civilibus tum Canonicis, expectare potest, tuta conscientia, ut petatur hujusmodi damni compensatio; præfatæ enim leges ideò stabilitæ fuisse videntur, quia semper præsumitur, quòd aliqua domini intervenerit culpa vel negligentia, & ut hujusmodi appositâ pœnâ, cautiores domini fiant in custodiâ suorum animalium, ne proximo noceant.

Quæst. 35. Quandò damnum illatum ab animali, potuit, & debuit impediri à domino, tenetur-ne tale damnum resarcire?

Resp. Si damnum accidit ex culpâ vel negligentiâ domini, in hoc utique casu tenetur, etiam de jure naturali, resarcire omne tale damnum, juxta verba Exodi, inserta in Canone: *Si bos alienus cornupeta fuerit ab heri & nudius tertius, & non custodivit eum dominus suus: reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet.* Quia scilicet sibi imputare debet damnum culpâ suâ illatum.

Exod. c. 2. Cap. Si bos, de injuriis & damno dato.

Id confirmatur ex alio Juris Canonici loco, in quo sic habetur: *Si animalia tua nocuisse proponas, nihilominùs ad satisfactionem teneris; nisi ea dando passis damnum, velis liberare te ipsum. Quod tamen ad liberationem non proficit, si fera animalia, vel quæ consueverunt nocere, fuissent, & quam debueras non curasti diligentiam adhibere.* Et hæc restitutio damni facienda est spontè, non expectata proximi querela, nec Judicis sententia.

Cap. ult. eod. tit.

Certum etiam est, quòd dominus animalis qui nocuit, tenetur de jure naturali restituere omnem æstimationem commodi

aut

aut lucri; quod ex damno illato percepit, licèt absque ullâ ejus culpâ contigerit; *nam*, ut habetur in lege, *hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem*. Et de jure Canonico: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura*. Unde si animal fœnum aut aliud ad proximum pertinens comederit, dominus animalis, qui sic liberatus fuit ab expensis faciendis pro dicti animalis sustentatione, tenetur, quamvis id acciderit sine ullâ suâ culpâ, restituere justam æstimationem talis commodi ex damno sibi provenientis; sed si dominus nullam admisit culpam, & nullum commodum percepit; non videtur teneri ad resarciendum damnum à suo animali illatum, aut illud damnum passo tradere, nisi secutâ Judicis sententiâ, juxta dicta superiùs.

Leg. Nam hoc naturæ, ff. de condit. indebiti, Regul. 49. de reg. jur. in 6.

Quæst. 36. Dum servus intulit damnum proximo, tenetur-ne dominus tale damnum resarcire?

Resp. Quoad veros servos, qui vix inter Christianos reperiuntur, servanda est dispositio Justiniani Imperatoris, his verbis expressa: *Ex maleficiis servorum, veluti si furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut damnum dederint, aut injuriam commiserint, noxales actiones proditæ sunt, quibus domino damnato permittitur aut litis æstimationem sufferre, aut ipsum hominem noxæ dedere*. Id est, servum tradere & donare damnum passo. Sed quæritur, quid de famulis & famulabus? Utrum dominus damna ab eis illata resarcire teneatur? Primò certum est, damnum quod inferre possunt famuli extra domum heri, & dum rebus ad illius famulatum spectantibus non sunt occupati, non posse domino imputari, si non sit in culpâ; tunc enim, juxta dispositionem

Instit. Justinian. lib. 4. tit. 8. de noxal. actionib.

Ca-

Canonicam, pœna culpæ authorem tenet; quod etiam statuitur in Jure Civili, toto titulo Cod. *Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel libertus pro patrono, vel servus pro domino conveniatur.* Attamen si famulus effuderit aut projecerit aliquid per domini fenestras, & sic alicui noceat; tunc, juxta Legem Civilem, dominus tenetur tale damnum resarcire; in Lege enim sic habetur: *Unde si in eum locum quo vulgò iter fiet, vel in quo consistetur, dejectum vel effusum quid erit: quantum ex ea re damnum datum factumve erit, in eum qui habitaverit, in duplum judicium dabo.* Id est, dominus illius domus solvet damnum in duplum. Verum quidem est, hanc Legem esse pœnalem, & respicere tantùm forum externum; & ita si herus nullam admisit culpam, non tenetur in foro conscientiæ hanc subire pœnam; imò nec damnum resarcire ante sententiam Judicis, ut diximus supra.

Cap. Si compromissarius, de elect. in 6.

L. 1. ff. de his qui effuderint vel dejecerint.

Hìc autem notandum est, damnum hoc supradicto modo datum, debere resarciri à domino domus, id est ab illo qui est caput familiæ quæ in tali domo habitat, sive domus reverâ ad eum pertineat, sive eam locaverit, aut in ea quoquo modo maneat; dicitur enim in lege: *Hæc in factum actio in eum datur, qui inhabitat, cum quid dejiceretur vel effunderetur, non in dominum ædium; culpa enim penes eum est.* Et in alia lege sic expresse statutum est: *Habitare autem dicimus vel in suo, vel in conducto, vel gratuito: hospes planè non tenebitur, quia non ibi inhabitat, sed tantisper hospitatur; sed is tenetur qui hospitium dederit. Si plures in eodem cænaculo habitent, unde dejectum est, in quemvis hæc actio dabitur, cum sanè impossibile est scire quis dejecisset vel effudisset.*

Leg. 1. eod. tit.

Leg. 2. eod. tit.

In

In his autem casibus, licèt in foro externo dominus tenetur ad resarciendum damnum, potest tamen id omne repetere in conscientiâ, & in foro quoque externo, ab illo qui reverâ damnum intulit suâ culpâ, quique idcircò de jure naturali tenetur illud propriis expensis resarcire, si possit.

Quæ de domino domus dicta sunt, debent etiam intelligi de his qui cauponæ seu tabernæ præsunt, & similibus; idem dicendum est de gubernatoribus seu ducibus navium, qui omnes damna ab aliis quibuscumque, etiam sine propriâ culpâ, data, resarcire tenentur; salvo tamen jure repetendi contra eos qui sunt in culpâ. Hæc habentur in variis Legibus his verbis: *Cùm autem Legis Aquiliæ actione propter hoc quis condemnatus est: meritò ei .... in factum dandam esse labem dicit adversùs dejectorem, quod verum est.* Et in alio loco: *Habitator suam suorumque culpam præstare debet: Si de nave dejectum sit, dabitur actio utilis in eum qui navi præpositus sit.* In alio etiam digestorum titulo sic habetur: *Ait Prætor, Nautæ, Caupones, Stabularii, quod cujusque salvum fore receperint, nisi restituant, in eo judicium dabo ..... Recipit autem salvum fore, utrum si in navim res missæ ei assignatæ sunt, an & si non sint assignatæ: hoc tamen ipso quod in navem missæ sunt, receptæ videntur, & puto, omnium eum recipere custodiam, quæ in navim illatæ sunt, & factum non solùm nautarum præstare debere, & vectorum, sicut & caupo viatorum.*

L. Si viro ff. de his qui effuderint vel dejecerint. Leg. Hoc edictum, eod. tit. Leg. 1. ff. Nautæ, caupones, stabularii ut recepta restituant.

Observandum tamen, quòd magister navis, caupo, & alii ejusmodi, non tenebuntur resarcire damna passa à viatoribus, si de hoc convenerit: *Item si prædixerit*, inquit Lex, *ut unusquisque vectorum res suas ser-*

Leg. Debet exercitor, eod. tit.

servet, neque damnum se præstiturum; & consenserint vectores prædictioni: non convenitur. Aliàs si nullum pactum intervenerit, *exercitor navis*, ut habetur in Institutionibus Justinianeis, *aut cauponæ, aut stabuli, de dolo aut furto, quod in navi, aut caupona, aut stabulo factum erit, quasi ex maleficio teneri videtur.* Hæ autem Leges, quæ ob bonum publicum fuerunt statutæ, obligant in conscientiâ, modo superiùs explicato.

Institut. Iustinian. lib. 4. tit. 5. De obligationibus quæ ex quasi delicto nascuntur. §. Item exercitor.

Quæst. 37. Quotuplex est culpa quæ potest obligare ad restituendum damnum proximo illatum?

Resp. Tres culparum species in utroque jure distinguunt Jureconsulti: Prima dicitur *lata culpa*, id est, gravis & notabilis, &, juxta verba Legis; *latæ culpæ finis est, non intelligere id quod omnes intelligunt.* Dum scilicet quis non videt, aut non attendit & considerat ea quæ ab omnibus communiter considerantur: dum non facit ea, quæ à ferè omnibus ejusdem status & conditionis fiunt: aut ea negligit & obliviscitur, quæ ab aliis passim negligi non solent.

Levis culpa est, cùm non intelligitur, neque fit illud, quod ab iis qui diligentes habentur, intelligitur & communiter fit: aut omittitur vel negligitur, quod diligentes omittere & negligere non solent.

Levissima autem culpa committitur, cùm scilicet non omnia fiunt aut prævidentur, quæ à viris prudentissimis & diligentissimis vulgò fieri aut præviderì solent.

Exemplum latæ seu notabilis culpæ assignari potest, veluti si quis relinquat pecuniam, vel gemmam, aut quid simile, in vico aut alio publico loco: si notabilem summam mutuo det ei qui æstimari jam debuerat alieno ære gravatus: Si rem maximi pretii sine necessitate consignet & com-

committat ei quem non noverat: Si omittat januam domus suæ per noctem claudere, & hujusmodi.

Exempla culpæ levis dici possunt, si quis utatur famulo, cujus fidelitas non est benè perspecta: Si aliquod suscipiat vel aggrediatur negotium, quod vix ad debitum finem perduci possit: Si iter faciat non omninò à latronibus tutum: Si nimis tardet colligere, aut transferre in horreum, frumentum vel alios fructus.

Demùm levissimæ culpæ exempla poni possunt: Si quis omittat sub clave reserare vestes, libros, & similia quæ domestici, etiam minùs fideles, ut plurimùm non surripiunt: Et si talia ponuntur in cubiculo quod à famulis aperiri potest: Si aliquis calculi error fiat in magnâ aliquâ summâ computandâ: Si quis non prævideat omnes artes & versutias, quibus fures valdè insignes uti possunt: Si non advertat de rebus secretis loquens, quòd ab aliquo fortè per aperturam seræ audiri possit, & hujusmodi.

Quæst. 38. Quot modis committi possunt culpæ, quæ ad restitutionem obligent?

Resp. Tribus modis; aliæ enim culpæ committi possunt ratione alicujus contractus: aliæ oriuntur ex obligatione quam quis spontè suscipit, alicujus officii, vel muneris, aut dignitatis causâ: demùm aliæ sunt, quæ damnum proximo afferunt per quasi delictum: quæ omnia breviter & distinctè explicare conabimur.

Quæst. 39. Tenetur-ne quis ad restitutionem ex culpâ levissimâ, commissâ occasione alicujus contractus?

Resp. Quoties contractus initus est in commodum vel utilitatem unius tantùm

ex

ex contrahentibus, teneri potest ille ad restitutionem ex culpâ etiam levissimâ; sic enim habetur in Institutionibus Justiniani: *Is qui utendum accepit, sanè quidem exactam diligentiam custodiendæ rei præstare debet; nec sufficit ei tantam diligentiam adhibuisse, quantam suis rebus adhibere solitus est; si modò alius diligentior poterat eam rem custodire.* Et in Jure Canonico, Gregorius IX. de commodato loquens: *Cùm gratia sui*, inquit, *tantùm accepit, de levissima culpa tenetur*. E contra si tam commodantis quàm commodatarii gratiâ commodatum fiat; tunc commodatarius tenetur tantùm ad restitutionem ex culpâ levi, non autem levissimâ, juxta Legem civilem, cujus hæc sunt verba: *In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet.... Hæc ita, si dumtaxat accipientis gratia commodata sit res; at si utriusque, veluti si communem amicum ad cœnam invitaverimus, tuque ejus rei curam suscepisses, & ego tibi argentum commodaverim: scriptum quidem apud quosdam invenio, quasi dolum tantùm præstare debeas; sed videndum est, ne & culpa præstanda sit, ut ita culpæ fiat æstimatio, sicut in rebus pignori datis & dotalibus æstimari solet:* Id est, ut benè explicatur à Glossa, *ut levis* culpa, *non levissima veniat*.

§. Item is, Institut. Quibus modis re contrahitur obligatio

Leg. In rebus, ff. commod. vel contra.

Gloss. ibid. in verbo æstimatio.

Aliquando autem commodatarius tenetur tantùm de latâ culpâ, quæ in jure dolo æquiparatur; sic enim statuitur in Lege civili: *Interdùm planè dolum solum in re commodata, qui rogavit, præstabit: ut putà si quis ita convenit, vel sua dumtaxat causa commodavit, sponsæ fortè suæ vel uxori, quò honestiùs culta ad se deduceretur.*

Leg. Si ut certum, § Interdum, cod. tit. ff. commod.

Sic igitur concludere possumus, quòd regulariter loquendo, quoties contractus ce-

le-

lebratus est ad mutuam contrahentium utilitatem, non tenetur quis restituere, nisi ob levem & latam culpam. Quòd si contractus sit tantùm in commodum vel utilitatem alterius ex contrahentibus, tenetur de culpâ levissimâ is, in cujus Beneficium initus est contractus: alter verò tenetur solùm de latâ culpâ. Ut concluditur passim ex Leg. *Contractus*. ff. de Regulis juris.

Quæst. 40. Quinam sunt contractus, vel quasi contractus, in quibus tenetur quis ad restitutionem, propter aliquam culpam?

Resp. In Lege modò citatâ undecim numerantur; nempè Depositum, Precarium, Mandatum, Commodatum, Venditio, Pignoratio, Locatio, Dos, Tutela, Negotiorum gestio, & Societas; ex quibus aliqui sunt tantùm quasi contractus. Sed ut id magis dilucidè explicari possit, & hujus doctrinæ applicatio faciliùs in praxi fiat, non erit inutile aut superfluum de iis omnibus contractibus sigillatim hìc disserere.

Quæst. 41. Ob quam culpam tenetur quis ad restitutionem in contractu depositi?

Resp. De Deposito locuti sumus Tom. 1. Theologiæ Moralis, Tract. 5. cap. 8. Hìc videri possunt varii casus, in quibus adest restituendi obligatio ex contractu Depositi. Satis igitur erit hìc obiter dicere, quòd depositarius regulariter non tenetur ad resarcienda damna rei depositæ, nisi ob latam & gravem culpam, & ex aliqua fraude, juxta Legis dispositionem, in quâ sic legitur: *Depositarius non tenetur, nisi de dolo & lata culpa*. Teneri tamen potest ex levi culpâ in tribus casibus. Primò, si ita expressè

Leg. Depositum, §. Quod autē ff. depositi vel cōtra.

Leg. 1. §. Si convenit, eod. tit.

presse convenit, quòd scilicet teneatur ex levi culpâ; sic enim loquitur Lex: *Si convenit, ut in deposito & culpa præstetur, rata est conventio; contractus enim Legem ex conventione accipiunt.* 2. Depositarius tenetur de levi culpâ, cùm aliquid mercedis accepit, ut habetur in Canone: *De culpa quoque teneris, si te ipsum deposito obtulisti, vel si aliquid pro custodia recepisses.* Quia scilicet tunc contractus depositi non est minùs utilis depositario quàm deponenti; & tunc potiùs considerari debet ut locatio operum, quàm ut depositum. Demùm si depositarius se ipsum deponenti spontè obtulit, tenetur de culpâ levi, ut supra notatum est ex Canone: & constat etiam ex Lege Civili, in quâ sic statuitur: *Sed & si quis se deposito obtulit, idem Iulianus scribit, periculo se depositi illigasse: ita tamen ut non solùm dolum, sed etiam culpam & custodiam præstet, non tamen casus fortuitos.*

Cap. Bona fides, De deposito.

Leg. 1. §. Sæpè evenit, ff. depositi.

Tenetur etiam aliquando depositarius, ob casus fortuitos; nam ut dicitur à Gregorio IX. *Pacto, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.* Et in Lege Civili notatur, quòd *sæpè evenit, ut res deposita, vel nummi, periculo sint ejus, apud quem deponuntur: ut putà si hoc nominatim convenit.*

Cap. Bona fides, de deposito. Lege 1. §. Sæpè ff. depositi.

Quæst. 42. Quænam culpa obligat ad restitutionem in contractibus precarii, & commodati?

Resp. Tractavimus de Precario Tomo 1. Theologiæ Moralis, Tractatu 5. cap. 10. Sed non inutile erit hìc notare, juxta Legem Civilem, quòd *generaliter erit dicendum, in restitutionem venire dolum, & culpam latam dumtaxat, cætera non venire. Planè post interdictum editum, oportebit & dolum, & culpam, & omnem causam venire:* nam

Leg. Quæsitum, ff. de precar.

nam ubi moram quis fecit precario, omnem causam debebit restituere. Ita ut teneatur resarcire damna sive ex dolo, sive ex culpâ levi, sive etiam, ex casu merè fortuito superventa; quia scilicet tunc mora non potest esse sine culpâ, & reverâ contraria est obligationi ex contractu precarii provenienti.

Quantùm ad Commodatum, de eo satis actum est Tomo 1. Tract. 5. cap. 9. & supra quæst. 31.

Quæst. 43. Quid est Mandatum? Et ob quam culpam tenetur quis ad restitutionem in hoc contractu?

Resp. Mandatum, seu Commissio, est contractus, per quem aliquis, alterius precibus, in se suscipit onus faciendi gratis rem aliquam honestam & licitam. Hæc descriptio ex variis Legibus sumpta est. Est primò *contractus*, quia est conventio inter duos vel plures; & hæc vox generis locum habet. *Per quam quis, alterius precibus, in se suscipit onus*; quia, ut in Lege notatur, *originem ex officio atque amicitia trahit*. Dicitur: *gratis faciendi*, quia mandatum necessariò debet esse gratuitum, & ut in eâdem Lege habetur: *Mandatum, nisi gratuitum, nullum est..... interveniente enim pecunia, res ad locationem & conductionem potiùs respicit.* Et hæc est differentia specifica hujus contractus. Attamen usus obtinuit, ut in communi loquendi modo, etiam inter Advocatos & Procuratores, dicatur mandatum quæcumque commissio etiam intuitu mercedis suscepta; unde dicitur passim, aliquem commisisse seu mandatum dedisse tali Procuratori vel agenti, ut litem sibi intentatam sustineret: aut mercatorem mandasse alicui, ut merces sibi Venetiis compararet, & sic de cæteris; licèt

Leg. 1. ff. mandati, vel cõtra.

hu-

hujus generis mandata ut plurimùm sub aliqua mercedis aut salarii spe aut pactione fiant.

Dicitur demùm in definitione: *Faciendi rem honestam & licitam*; quia ex mandato faciendi quid turpe vel illicitum, nulla oritur de jure obligatio: ut statuitur in Lege his verbis: *Rei turpis nullum mandatum est, & ideò hac actione non agetur*. Et in Institutionibus Justiniani Imperatoris: *Illud quoque mandatum non est obligatorium, quod contra bonos mores est: veluti si Titius de furto, aut de damno faciendo, aut de injuria facienda mandet tibi; licèt enim pœnam istius facti nomine præstiteris, non tamen ullam habes adversùs Titium actionem*: Id est, non potes obtinere contra illum quamlibet restitutionem damni. De mandato obiter tractavi, Tom. 1. Tract. 3. De emptione & venditione, Cap. 7. Sed non inutile erit hìc advertere, quòd, ut habetur in Institutionibus,

Leg. Si remune rādi, ff. mandati, §. si passus. Instit. tit. de mandato, §. Illud quoque.

Mandatum contrahitur quinque modis, sive sua tantùm gratia aliquis tibi mandet, sive sua & tua, sive aliena tantùm, sive sua & aliena, sive tua & aliena. At si tua tantùm gratia mandatum sit, supervacuum est mandatum, & ob id nulla ex eo obligatio, nec mandati inter vos actio nascitur. Mandantis tantùm gratia intervenit mandatum: veluti si quis tibi mandet, ut negotia ejus gereres, vel ut fundum ei emeres, vel ut pro eo sponderes. Tua gratia, & mandantis: veluti si mandet tibi, ut pecuniam sub usuris crederes ei qui in rem ipsius mutuaretur: aut si volente te agere cum eo ex fidejussoria causa, mandet tibi, ut cum reo agas periculo mandantis: vel aut ipsius periculo stipuleris, ab eo quem tibi deleget in id quod tibi debuerat. Aliena autem tantùm causa intervenit mandatum, ve-

Institut. Iustin. lib 3. de mandato.

veluti si tibi aliquis mandet, ut Titio fundum emeres, vel ut pro Titio sponderes.

Sua & aliena, veluti si de communibus suis & Titii negotiis gerendis tibi mandet, vel ut sibi & Titio fundum emeres, vel ut pro eo & Titio sponderes.

Tua & aliena, veluti si tibi mandet, ut Titio sub usuris crederes; quia si sine usuris pecuniam crederes, aliena tantùm gratia intercedit mandatum.

Tua tantùm gratia intervenit mandatum: veluti si tibi mandet, ut pecunias tuas in emptiones potiùs prædiorum colloces, quàm fœneres: vel ex diverso, ut pecunias tuas fœneres potiùs, quàm in emptione prædiorum colloces; cujus generis mandatum, magis consilium quàm mandatum est.

His positis, difficile est determinare in praxi, ob quam culpam mandatarius teneatur ad restitutionem, nec in eo Jurisconsulti semper inter se consentiunt. Nihilominùs, juxta Leges Civiles & naturalem æquitatem, videtur dicendum, quòd cùm mandatum est merè gratuitum, & ad solam mandantis utilitatem, mandatarius non tenetur, nisi ob culpam latam vel levem. Verùm si mandatum non est gratuitum, vel respicit utriusque utilitatem; in his casibus mandatarius tenetur etiam de culpâ levissimâ, nisi intervenerit alia tacita vel expressa conventio.

Quæst. 44. Quænam culpa obligat ad restitutionem in quasi contractu, qui dicitur negotiorum gestio?

Resp. Cùm quis ultrò, & sine ullo mandato, administravit absentis negotia, tenetur tantùm de dolo vel latâ culpâ, si tunc verisimile erat, quòd nullus ea negotia gereret, & ita magnæ & gravi jacturæ obnoxia fuissent cum non parvo domini damno.

Sed

Sed è contra si probabile erat, quòd alius hæc negocia administraturus esset, tunc negociorum gestor tenetur etiam de levi culpâ. Imò si quis, talia negocia ultrò gerens, in causâ fuit, cur diligentissimus homo ea non gesserit, tenetur etiam de culpâ levissimâ, juxta Legis mentem, in qua dicitur: *Aliena negocia exacto officio gerentur, nec quidquam in eorum administratione neglectum ac declinatum, culpa vacuum est.* In primo autem casu, ex dolo solummodò quis tenetur, quod æquitati consonum est & Legi, in quâ sic legitur: *Interdùm in negociorum gestorum actione, Labeo scribit, dolum solummodò versari. Nam si affectione coactus, ne bona mea distrahantur, negociis te meis obtuleris: æquissimum est, dolum dumtaxat te præstare: quæ sententia habet æquitatem.*

Leg. In re mandata, Cod. mandati.

Leg. Ait Prætor, 6. Interdù, ff. de negot. gestis.

Quoad secundùm casum, qui frequentiùs in praxi accidit: *Super his quidem*, inquit Lex, *quæ nec tutor nec curator constitutus, ultrò quis administravit: cùm non tantùm dolum & latam culpam, sed & levem præstare necesse habeat, à te conveniri potest.*

Leg. Tutori, Cod. de negociis gestis.

De levissimâ etiam, ut dixi, culpâ teneri potest negociorum gestor; quia *ad exactissimam quisque compellitur reddere rationem*, ut statuit Justinianus Imperator; *nec sufficit talem diligentiam adhibere, qualem suis rebus adhibere solet; si modò alius diligentior eo, commodiùs administraturus esset negocia.*

Instit. Iustin. lib. 3. tit. 28. de obligationibus quæ ex quasi contractu nascuntur.

Præterea qui, sine ulla mandati specie, ultrò administravit aliena negocia, tenetur aliquandò restituere ob casus etiam fortuitos, juxta Leges citatas in Glossa his verbis: *Nota hìc sex casus, in quibus gestor negociorum tenetur de casu. 1. Si gessit negocia pupilli, ut*

Gl. in l. Si negocia, ff. de negot. gestis, in verb. Si sortitus.

Leg.

Leg. pupilli, eod. tit. in princip. 2. *Si accessit animo deprædandi*, ibid. §. Sed & si quis, 3. *Si ad nova negocia*, eadem Leg. si negocia, 4. *Si casum in se specialiter recipit*, ut Leg. negocium, Cod. de negociis gestis, 5. *Si culpa præcesserit casum*, ut Leg. sive, eod. tit. 6. *Si fuit in mora*, ut Leg. cùm res, ff. De Legatis.

Quæst. 45. Quænam culpa obligat ad restitutionem in contractu emptionis & venditionis?

Resp. Etsi de eo contractu fusè actum sit Tomo primo Theologiæ Moralis, Tract. 3. non tamen superfluum erit explanare hic hanc difficultatem, quæ plerumquè occurrit in praxi. Venditor igitur regulariter tenetur resarcire damna, quæ rei venditæ acciderunt ob culpam latam & levem, ut inferunt Jureconsulti ex Leg. *Hoc ita*, ff. *De periculo & commodo rei venditæ*. Et alia, in qua sic habetur: *Custodiam venditor præstare debet, quam præstant hi, quibus res commodata est, ut diligentiam præstet exactiorem quàm in suis rebus adhiberet.* Leg. Custodiam, ff. de periculo & commodo rei venditæ.

Assignari quoque possunt plures casus, in quibus venditor tenetur ob casus fortuitos. Nam si venditio facta fuit sub conditione, & damnum accidat nondum impleta conditione, venditor totum damnum subire debet; quia conditio de futuro, suspendit contractum, ejusque impedit effectum & perfectionem, antequam impleatur. 2. Si venditor in se recipit casus fortuitos ex pacto expresso, hæc conventio observanda est. 3. Si res vendita tantùm fuit in genere, v. g. navis, bos, galerus, non determinando individualiter talem: tunc casus fortuiti sunt periculo venditoris; quia scilicet individua perire vel deteriorari facilè possunt, non autem tota

alicujus rei vel animalis species. 4. Si venditio facta sit cum disjunctione optionis, v. g. ex meis duobus equis, vendo tibi unum vel alterum: in hoc casu, ad quemcumque spectet optio, sive ad venditorem, sive ad emptorem; si alter ex his equis pereat ante optionem factam, damnum est penes venditorem. 5. Si antequàm res tradita sit emptori, occupetur, & publicè vendatur authoritate Magistratus, ob aliquod venditoris delictum: tunc non perit emptori, sed venditori.

6. Si venditor fuit in morâ tradendi rem venditam emptori, & interim pereat, aut damnum patiatur etiam casu fortuito: damnum spectat ad venditorem. Denique si res venditæ consistant in pondere, numero, vel mensura, puta oleum, triticum, vinum, pecunia numerata, argentum, aurum, & similia: si dictæ res venditæ fuerunt in genere, non numeratæ, ponderatæ, sed in cumulo vel acervo, quidquid contineat, mediante certo pretio: in hoc casu fortuita damna spectant ad emptorem, non verò ad venditorem. Quòd si dictæ res venditæ fuerunt certo pretio pro quâcumque librâ vel mensura, tunc superveniente aliquo damno per casum fortuitum, priusquàm res ponderatæ, mensuratæ, vel numeratæ sint: tale damnum respicit venditorem. Et ut habetur in Lege Civili, si quis vinum vel quid simile vendidit, determinato pretio, sub conditione, quòd priùs gustabitur: casus fortuiti incidentes, antequàm id præstetur, spectant ad venditorem; quamvis emptor jam designaverit dolia; nisi tamen esset aliqua inter partes facta conventio contraria, quæ tunc esset observanda, juxta axioma juris jam allatum, quòd scilicet pacta dant legem contra-

tractibus. Omnia autem, quæ in hac quæstione diximus, statuuntur in variis Legibus Civilibus, quas, brevitatis causa, citare potiùs, quàm ad longum referre malui. Leg. *Necessario*, ff. De periculo & commodo rei venditæ, Leg. *Cùm speciem*, Cod. eod. tit. Leg. *Si in venditione*, ff. eod. tit. Leg. *Quòd si neque*, ff. eod. tit. Leg. *In ratione*, §. *verum est*, ff. Ad legem falcidiam, Leg. *Si fundum*, ff. Locati & conducti, Leg. *Illud*, ff. De periculo & commodo rei venditæ, Leg. *Quid sæpè*, §. *In his*, ff. De contrahenda emptione, Leg. 1. & Leg. *Si vina*, ff. De periculo & commodo rei venditæ.

Quæst. 46. Quid est contractus pignoratitius? Et quænam culpa obligat ad restitutionem in hoc contractu?

Resp. Pignus, seu pignoratio, est conventio, per quam debitor aliquid tradit creditori pro assecuratione debiti: dolus autem, & culpa notabilis, & levis, obligant ad restituenda damna, quæ accidere possunt rei creditæ & pignoratæ; regulariter verò non est obligatio restituendi ob levissimam culpam juxta Leges Civiles, ut constat ex Leg. *Ea igitur*, & Leg. *Si cùm venderet*, §. *venit*, ff. De pignoratitia actione ubi sic habetur: *Venit in hac actione & dolus, & culpa: venit & custodia. Ea igitur quæ diligens paterfamilias in suis rebus præstare solet, à creditore exigantur.* Et Glossa ibidem expressè dicit, quòd *in pignoratitia levis tantùm culpa venit.*

Leg. Si cùm venderet, ff. de pignoratitia actione.

Gloss. ib. verbo, ut in commodato.

Quæst. 47. Quænam culpa obligat ad restitutionem in contractu locationis?

Resp. Satis fusè locutus sum de hoc contractu Tomo 1. Theologiæ Moralis Tract. 5. Et sigillatim de culpis in eo occurrentibus Cap. 3. In quo dixi, culpam notabi-

lem vel levem, regulariter ad restitutionem obligare; & aliquoties etiam culpam levissimam, cùm nempè quis locavit operas suas ad transportandam rem valdè fragilem, quæ indiget diligentissima cura, ut integra ducatur: *Qui*, inquit Lex, *columnam transportandam conduxit, si ea, dum tollitur aut portatur, fracta sit: ita id periculum præstat, si qua ipsius eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit. Culpa autem abest, si omnia facta sunt, quæ diligentissimus quisque observaturus fuisset.*

Leg. Si merces, §. Qui columnam, ff. locati & cōducti.

Quæst. 48. Quænam culpa obligat ad restitutionem in Tutela, Dote, & Societate?

Resp. Regulariter quis tenetur ad resarcienda damna, in his contractibus, seu quasi contractibus, ob culpam notabilem vel levem. In Lege enim sic habetur: *Dolum & culpam, dotis datio, tutela, negotia gesta: in his quidem & diligentia requiritur. Societas, & rerum communio, & dolum & culpam recipit. Sed hæc ita, nisi si quid nominatim convenit, vel plus vel minùs in singulis contractibus. Nam hoc servabitur quod initio convenit; legem enim contractui dedit.*

Leg. Contractus, ff. de Regulis juris.

Quæst. 49. Ob quam culpam tenetur ad restitutionem, qui damnum alteri intulit in exercitio officii, dignitatis, vel muneris sui, vel etiam suæ artis?

Resp. Primò *Iudices*, ut ait sanctus Raymundus, *ferunt aliquando iniquam sententiam dolo malo, aliquandò per imprudentiam: in primo casu, sive timore, sive cupiditate; sive odio, sive amore, sive alia iniqua causa, iniquam tulerint sententiam, tenentur præcisè ad omne interesse illi qui ex tali sententia læsus est; nisi fortè possent inducere illum, pro quo tulerunt sententiam, ad* ple-

S. Raym. in sum. lib. 2. tit. de raptorib. §. 35.

plenariam restitutionem faciendam ei qui fuit læsus. Leg. ult. Cod. De pœna Judicis qui malè judicavit: *Et Can.* Quatuor. 11. *q.* 3. *In* 2. *casu, scilicet cùm per imprudentiam, tenetur secundùm leges læso, in quantum bonum & æquum videbitur religioni judicantis. Leg. ult. ff.* De variis & extraordinariis cognitionibus. *In judicio tamen animæ credo idem quod in primo casu, scilicet, quòd teneatur ad restitutionem; in culpa enim fuit cùm scivit, vel scire debuit se insufficientem, & tamen judicare talem causam præsumpsit: & idem si erat sufficiens quoad scientiam, si voluisset libros revolvere & studere; sed quia fuit negligens, & noluit studere, quem debuit condemnare, absolvit, & è converso.*

Videtur igitur dicendum, juxta sancti Raymundi mentem, quòd regulariter Judices tenentur ad restitutionem ob culpam notabilem, vel levem. Et eadem videtur esse ratio de Advocatis, Procuratoribus, Notariis, Medicis, Chirurgis, Pharmacopolis, Architectis, & aliis qui publicè artem aliquam profitentur, ut constat ex Canone, in quo sic habetur: *Si culpa tua datum est damnum, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt: jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.* Tenetur autem *Advocatus*, ex mente sancti Raymundi, *ad restitutionem omnium illis quibus præstitit patrocinium, si propter suam infidelitatem, vel negligentiam, vel imprudentiam amiserunt causam.* Et idem de reliquis supradictis & hujusmodi; quia ut plurimùm eorum operâ quis non uteretur, si non existimaret, eos munere suo rectè defuncturos; cùm præsertim ex ipso

Cap. Si culpa, de injuriis & damno dato.

S. Raym. ibid. §. 39.

officio quodammodò teneantur esse solertes, diligentes, & capaces, in exercenda arte quam publicè profitentur.

Addi potest, quòd dum illis offertur, & ab illis acceptatur aliquod opus faciendum, fit aliqua cum eis tacita conventio, quæ mutuam contrahentium utilitatem respicit; & suprà dictum fuit, quòd in hujusmodi conventionibus tenetur quis restituere ob culpam etiam levem. Prætereà cùm opificibus fit aliqua species contractus locationis operarum; at certum est quòd in tali locatione tenetùr quis resarcire damna ob culpam levem, ut suprà dictum fuit; quin imò potest etiam ob culpam levissimam quis teneri, cùm adest aliqua de hoc conventio, aut cùm opifices, aliqua adhibita industria, impedierunt, ne quis alio opifice magis perito uteretur, fingentes se non minùs peritos, aut etiam peritiores, quàm quilibet alius in eadem arte.

Quæst. 50. Quænam culpa obligat ad restitutionem in delictis vel quasidelictis?

Resp. Dubium non est, quòd accedente dolo malo vel culpà notabili, teneatur quis restituere damna provenientia ex homicidio, vel àlia criminis specie. Sed non ita facile est determinare, utrùm quis teneatur ex culpa vel negligentia levi. Innocentius Papa IV. docet, quòd *si culpa vel negligentia dedit quis damnum: ut si non bene cohibuit ignem, ne ad domos aliorum vagaretur; tunc tenetur actione Legis Aquiliæ. Sed tamen in foro pænitentiali non videtur, quòd teneatur ad emendam damni, & pœna est ei imponenda de negligentia, non pœna de damno. Lex autem Civilis, quæ intendit circa conservationem patrimoniorum, constituit, quòd etiam ad restitutionem damni tenetur.*

Innoc. IV. In lib. 5. Decretal. tit. de homicidio. Cap. Sicut dignum, n.4.

Item

Item benè fatemur, quòd si aliquo modo intenderet per ignem dare damnum, quòd etiam tunc in foro pœnitentiali condemnaretur: & idem dico, si non intenderet, sed lata culpa esset.

Attamen hæc decisio parùm tuta visa est Abbati Panormitano, sicut & pluribus aliis Juris Canonici interpretibus: *Hoc dictum Innocentii,* inquit Panormitanus, *est valdè singulare, de quo multùm dubito, quare forus animæ debeat discrepare à foro contentioso, cùm hæc lex sit valdè rationabilis.* Et idem clarissimus Doctor, in Cap. *Si culpa.* ibid. *Nota,* inquit, *ex textu, quòd ex sola culpa, seu negligentia, tenetur quis ad satisfactionem damni, etiam de jure Canonico, quantumcumquè non habuit voluntatem damnificandi: & cùm hæc littera loquatur indistinctè de culpa seu negligentia, debet intelligi de qualibet culpa; quia indefinita æquipollet universali. Infertur ergo, quòd in hac actione Legis Aquiliæ, venit levissima culpa de jure Canonico, sicut de jure Civili, ut in* Leg. Aquilia, ff. ad Legem Aquiliam: *Et dicitur levissima culpa, quandò diligentissimus homo scivisset præcavere. Et facit iste textus sic intellectus, contra opinionem Innocentii, ut etiam in foro animæ teneatur ad emendam, licèt ex levissima culpa damnum illatum sit; quia cùm hæc Lex Principis, & valdè rationabilis, & non sit mera pœna ex parte damnum passi, deberet observari etiam in foro animæ. Nec obstat Caput* Inebriaverunt, 15. *quæst.* 1. *super quo se fundat Innocentius; quia ibi est mera pœna; sed hìc est interesse ex parte patientis damnum.*

Panormit. in lib. 5. Decretalium, tit. 6. de injuriis cap. Si egressus.

Hæc doctrina conformis est axiomati juris relato à Glossa: *Ubi Lex non distinguit, etiam nec nos distinguere debemus.*

Gloss. fin. in c. Cùm contingat, de officio delegati.

Itaque dici potest, quòd dum ab aliquo commissum est delictum, vel quasi delictum, ex imprudentia & culpa, quam homo diligens & circumspectus præcavisset: tunc, ut procuretur vera & solida conscientiæ securitas, debet ille resarcire inde secuta damna, aut efficere, ut ille, cui restituito fieri deberet, aliqua illius restitutionis parte contentus sit, & quod amplius est, voluntariè remittat: quod certè damnificatus eò faciliùs præstare debet, quòd talis culpa levis fuit, & perpetrata sine malitia, ità ut potiùs compassionem quàm rigorem mereri videatur.

Quæst. 51. Hæredes tenentur-ne restituere pro defunctis quibus successerunt?

Resp. Qui injustam accipit hæreditatem, inquit sanctus Joannes Chrysostomus, *etsi ipse eam non rapuit, aliena tamen possidet, & hoc certè persuasum habet, & propterea dignus est, quòd puniatur. Nam si alio rapiente, rapta acciperes, deinde qui sua amisit, & vim passus est, ea te reposceret: num satis tibi esset ad excusationem, te ab eo nihil rapuisse? minimè. Quidnam diceres in judicium vocatus? dic, quæso? num quòd alius diripuerit? verùm tu possides: ille rapuit, tu frueris. Hoc autem exteriores sanciunt Leges, quæ, raptoribus omissis, eos qui suis rebus spoliati sunt, ab illis reposcere jubent, apud quos sua inventa fuerint. Quamobrem si injuria affectos nosti, eis redde, & Zachæum imitare cum restitutionis incremento.*

S. Chrysost. hom. 15. in c. 5. Epist. 1. ad Corinth.

Dubium igitur non est, quin hæres teneatur omnia bona, quæ in hæreditate injustè acquisita reperiuntur, restituere, & omnia resarcire damna à testatore illata: *De hæredibus autem raptorum*, inquit sanctus Raymundus, *licèt secundùm Leges aliter distinguatur, dico, jure Canonico eos teneri*

S. Raym. In sum.

neri ad omnia debita defunctorum, in quorum locum succedunt, Vt autem circa hæredes materia latior habeatur: nota, quòd quilibet hæres, sive filius, sive extraneus, non distinctio, utrum raptoris vel alterius, tenetur jure Canonico ad omnia debita defuncti persolvenda; sive fuerint ex contractu vel quasi, sive ex maleficio vel quasi, sive pervenit res illa, pro qua debitum fuit contractum, ad eum, sive non; sive lis fuerit contestata cum defuncto, sive non, 16. quæst. 6. Si Episcopus. *Extra. De Pignoribus.* Ex præsentium. *De Solutionib. Cap. 1. Et de Vsuris.* Tua nos. *Et de raptoribus.* In litteris. *Et de Sepulturis. Cap. ult. Et de Sentent. excommunicat.* A nobis, 2. *in fine. Et argumento, ff. De conditione furtiva.* Si pro fure. §. *condictio.* lib. 2. tit. de raptoribus, §. 24.

Observandum tamen pro praxi, quòd cùm defunctus damnandus erat ad pœnam pecuniariam aut emendam, propter aliquod delictum, vel quasi delictum: videtur, quòd hæres non tenetur hanc pœnam solvere, nisi ante delinquentis mortem petita fuerit in judicio, & lis incepta; quòd si querela incepta tantùm sit post testatoris mortem, tunc illius hæres tenetur tantùm resarcire damna ex tali delicto secuta, non autem solvere pœnam pecuniariam. Quia licèt in Lege Civili: *Omnes pœnales actiones, post litem inchoatam, etiam ad hæredes transeant;* tamen quandò lis inchoata non est, contrarium est observandum, juxta id quod habetur in Institutionibus Justinianeis; *est enim certissima juris regula, ex maleficiis pœnales actiones in hæredem rei non competere.* Et hæc regula valdè consona est juri naturali & Canonico. Leg. Omnes pœnales, ff. De actionib. & obligationibus. Instit. lib. 4. tit. 12. de perpetuis & temporalibus actionib. §. Non autè.

Non inutile etiam erit observare, quòd

si is cui aliquid debetur aut ex contractu, aut alio quovis modo, aut cui debebat fieri restitutio ratione alicujus damni, mortuus est: tunc restitutio fieri debet illius hæredi, qui, juxta jus Canonicum & Civile, succedit in universum jus quod defunctus habuit.

Quæst. 52. Operarii, artifices, vel famuli, qui fideliter non impenderunt operam, ut debebant, receperunt tamen stipendium, possunt-ne obligari ad restitutionem?

Resp. Cùm stipendium, seu salarium, concessum sit tantùm operariis & famulis, propter operam, aut famulatum quem fideliter præstare tenentur; concludendum est, quòd si desint officio suo, non merentur illud recipere; ac proindè tenentur, juxta æquam mensuram defectus, illud restituere, & resarcire damnum quod passus est dominus ex illa fraude, negligentia, vel infidelitate. Ut enim docetur in Catechismo Romano: *Furtum etiam apertum est operariorum & artificum, qui totam & integram mercedem exigunt ab iis, quibus ipsi justam ac debitam operam non dederunt. Nec verò distinguuntur à furibus servi dominorum, rerumque custodes infidi; quin etiam eo sunt detestabiliores quàm reliqui fures, qui clavibus excluduntur, quòd furaci servo nihil domi obsignatum aut occlusum esse potest.*

Catech. Cōc. Trid. p. 3. De 7. Præcepto, n. 17.

Et ita cujuscumque generis operarii, qui in diem locati, non laborant per justum tempus, aut juxta conventionem factam, aut non utiliter laborant: aut etiam ex pigritia seu desidia, aut negligentia, aut infidelitate aliquod damnum directè vel indirectè inferunt ei qui eorum utitur operâ: tenentur non solùm restituere salarium acceptum

ceptum juxta mensuram defectus; sed etiam resarcire omne damnum, quod eo modo intulerunt. Possunt videri obligationes peculiares cujuscumque artificis tomo 2. Examinis generalis variarum conditionum. De obligationibus autem famulorum, locutus sum, Tomo 6. Theologiæ Moralis, Tract. 5. De 4. Decalogi Præcepto, Cap. 3. qu. 5.

Quæst. 53. Consules, Conservatores, Rectores, Judices & alii Magistratus quicumque sint, qui non rectè munere suo funguntur: possunt-ne, tuta conscientia percipere mercedem & emolumenta talibus Magistratibus dari solita?

Resp. Constat, quòd si Magistratus & alii hujusmodi, qui mercede, aut salario, aut honorario fruuntur, ut justitiam populo administrent, vel publica negocia gerant: penitùs negligant fungi munere suscepto, non possunt percipere emolumenta ob eum finem sibi concessa; imò tenentur resarcire damna Reipublicæ, vel etiam privatis provenientia ex hâc culpabili negligentia; quia tenentur ex justitiâ & ex juramento in similibus officiis præstari solito, partes susceptas diligenter obire seu implere. Unde in Catechismo Tridentino sic expresè habetur: *Illi quoque in furum numero reponendi sunt, qui cùm ad privatum aliquod vel publicum officium conducti sunt, nullam vel parvam operam navantes, munus negligunt, mercede tantùm ac pretio fruuntur.* Catech. Conc. 10.

Difficilius est in praxi determinare, quid restituere debeant Magistratus, qui aliquam obligationum partem impleverunt, quique idcircò non tenentur omne omninò salarium vel honorarium restituere. In hujusmodi casibus perpendendum est sum-

mâ cum æquitate tempus defectus, ut, proportione servatâ, mercedis pars aliqua restituatur: quantùm verò ad tempus, in quo, aliquam officii partem implentes, aliam neglexerunt, restituenda est pars emolumenti proportionata defectui. Et in hoc valdè vitanda est adulatio, qua plures semetipsos decipiunt, aut ab aliis decipiuntur.

Sed omninò saltem resarcienda sunt damna, quæ ex negligentiâ vel etiam incapacitate provenerunt: quod certè sæpiùs in praxi gravissimum est, & deberet impellere eos qui verè propriam salutem diligunt, ad examinandum summâ cum diligentia, antequàm aliquod officium petant aut etiam acceptent, utrùm dotes necessarias ad id rectè implendum habeant, & eam rectitudinem verè intendant.

Quæst. 54. Judices, qui pecuniam aut aliud acceperunt ab una ex partibus, aut à duabus, ut in eorum favorem judicarent, tenentur-ne ad restitutionem?

S. Raym. in sum. lib. 2. tit. 5. De raptoribus, §. 36.

Resp. Sanctus Raymundus de Pennafort, cujus tanta erat juris utriusque peritia, ut Decretalium Collectionem Gregorius IX. illi commiserit, huic quæstioni dilucidè respondet his verbis: *Quid si Iudex accepit pecuniam, ut ferret sententiam? Distingue, aut recepit pecuniam ut judicaret iniquè, aut ut judicaret benè, aut simpliciter ut judicaret: In primo casu, si tulit sententiam iniquè, tenetur, ut dictum est suprà in illo qui dolo malo; sed pecuniam malè acceptam, sive tulerit sententiam iniquam, sive justam, sive nullam, tenetur indistinctè restituere, non ei qui dedit, cùm turpiter dederit, sed ei in cujus injuriam recepit.* 1. *q.* 1. *Can.* Jubemus. Et argumento 17. *q.* 4. Si quis in atrio, *ff. De calumniatoribus*. Et generaliter, §. 5. Illud.

In

In aliis duobus casibus similiter tenetur restituere; quia cùm ex officio suo teneatur judicare, & benè & gratis, turpiter accepit, & crimen concussionis commisit. Et idem dico, si acceperit pecuniam ut judicaret, cùm non deberet judicare, vel ut malè judicaret. 1. q. 1. Jubemus. *Extra. de Simonia.* Nemo. *Et Augustin.* 1. q. 3. Non licet judici vendere justum judicium.

Sed cui restituet? Licèt quidam aliter dixerint, dico quòd illi qui dedit, si bona intentione dedit, scilicet ut jus & quietem sibi conservaret. 14. q. 5. Non sanè. *Extra. De simonia.* Dilectus 1. *Si dedit, ut animum judicis sibi sub specie recti inclinaret, & ita indirectè ac tacitè intendebat ipsum corrumpere: non illi, sed pauperibus, & illi in cujus injuriam data fuit, juxta arbitrium Ecclesiæ, restituenda pecunia; ut in prællegato Cap.* Non sanè. *Et dixi supra in eo qui dedit ut iniquè judicaret.*

Item quòd si nullo modo voluit ferre sententiam Iudex, & propter hoc pauper aliquis vel alius amittit jus suum: dico quòd tenetur Iudex, & facit litem suam, id est, debet restituere litis æstimationem ei qui propter ejus negligentiam læsus est. 23. q. 2. Dominus. *Et q.* 5. Administratores. *Authent.* Ut differentes judices. §. *penult.*

Quæst. 55. Tenetur-ne quis solvere, quod promisit Judici, ut iniquam ferret sententiam: aut alteri ut committeret homicidium vel aliud crimen.

Resp. Constat primò, quòd ante crimen perpetratum, potest quis resilire, & recedere à promissione iniquâ: & ita qui promisit pecuniam, ut aliquod crimen committeretur, potest sine dubio huic iniquæ conventioni renunciare: sicut & ille qui spopondit se crimen perpetraturum, ut pecu-

niam

niam reciperet; quia nemo teneri potest ad committendum crimen aut ad cooperandum crimini.

Verùm quæritur, utrùm post admissum crimen, teneatur quis solvere, quod pro illo promiserat? Et Gregorius IX. illam videtur decidere quæstionem, dum sic loquitur: *Pactiones factæ à vobis...... nullius penitùs quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum, sunt momenti. Quod etiam de aliis est dicendū. Nam etiam, juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis aut impossibilis, de jure vel de facto nullam obligationem inducit.* Ex quo necessariò concludendum est, nullam adesse unquam obligationem solvendi aut faciendi quod propter crimen promissum fuit, etiam postquàm crimen fuit reverâ perpetratum; quia si adesset aliqua hujuscemodi obligatio, talia pacta essent reverâ alicujus roboris, & aliquam obligationem inducerent.

Cap. Pactiones, de Pactis.

Id etiam probatur ex duabus Juris Canonici Regulis, in quarum primâ dicitur, quòd *quæ contra jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.* In altera autem asseritur, quòd *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Atqui constat, quòd ea quæ facta non sunt, nullum habere effectum possunt; & quòd promissiones contra bonos mores factæ, non obligant, cùm juramentum, quod ad confirmandas & roborandas promissiones introductum fuit, obligare non possit, cùm bonis moribus adversatur.

Regul. 64. de regul. jur. in 6.

Regul. 58 de regul. jur. in 6.

Demùm constat ex variis Legibus Civilibus, quòd hujusmodi promissa sunt inutilia, nulla, nullius roboris & valoris, & nullam inducunt obligationem: *Generaliter novimus, turpes stipulationes nullius esse momenti. Pacta quæ contra Leges, Constitu-*

Leg. Generaliter, ff de verb. oblig.

sionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est. Omnia quae contra bonos mores, in pacto vel in stipulatione deducuntur, nullius momenti sunt. Si ut maleficium fiat, promissum sit, nulla est obligatio ex hac conventione. Si plagii, vel flagitii faciendi, vel facti causa, concepta sit stipulatio, ab initio non valet. Quod turpi ex causa promissum est, non valet. Consequenter concludendum est, nullam unquam adesse obligationem implendi quod contra bonos mores promissum est. De hâc materiâ obiter locutus sum Tom. 1. hujusce Theologiae Moralis, Tract. 6. cap. 2. de Promissione, quaest. 3.

Leg. Pacta quae, Cod. de Pactis. Leg. Ex instrumento, C. de inutilibus stipulationibus. Leg. Juris gentium, ff. de pact. L. Si Plagii ff. de verb. obligat. Instit. De inutilib. stipulat.

Quaest. 56. Tenetur-ne quis restituere quod recepit ad delictum perpetrandum?

Resp. Huic quaestioni responsum est, Tomo 1. Tractatu 6. capite 2. quaest. 4. Satis igitur erit hìc breviter dicere, quòd quamvis facilè determinari non possit, sitne restituendum, quod perceptum est pro quocumque criminis genere; possumus tamen affirmare, quòd non solùm Judices, Advocati, testes, tenentur restituere quod receperunt ad ferendam sententiam iniquam, vel sustinendam causam injustam, vel testimonium falsum proferendum; verùm etiam difficilè admodùm concipi potest, quomodò possint esse tuti in conscientiâ, qui receperunt pecuniam pro adulterio, incestu, vel homicidio, nisi restituant pauperibus aut Ecclesiae id omne quod hâc improbâ viâ receperunt; maximè cùm dicta crimina pretio aliquo aestimari non possint, nec ullam mereri mercedem, etiam juxta Leges Civiles, ut suprà vidimus; cùmque pactum, quo mediante pecunia ob talia crimina recepta fuit, nullum sit de jure, sequi videtur, receptam

fuisse

fuisse pecuniam, & possideri sine justo titulo.

Et ita videri potest, quòd meretrices, salvo meliori judicio, idcircò solùm possunt ea retinere, quæ hâc infami arte consecutæ sunt; quia Leges id eis concedere videntur, ad compensandam quamdam utilitatis speciem, quæ inde reipublicæ provenit, dum scilicet majora mala impediuntur, juxta sancti Augustini mentem, dum ait: *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus*. Quod explicans Angelicus Doctor, sic loquitur: *Augustinus dicit, quòd hoc facit meretrix in mundo, quod sentina in navi, cloaca in palatio. Tolle cloacam, & repleveris fœtore palatium: & similiter de sentina. Tolle meretrices de mundo, & replebis ipsum sodomia. Propter quam causam idem Augustinus ait*, Lib. 13. De Civitate Dei, *quod terrena civitas usu scortorum licitam turpitudinem fecit*. Hæc autem mercedis retentio locum non habet in aliis criminibus à Legibus Civilibus non toleratis, prout toleratur simplex fornicatio, ut modò vidimus. Vide quæ supra dicta sunt Tom. 1. Tract. 5. cap. 4.

S. August. lib. 2. de Ordine, cap. 4.
S. Thom. opusc. 20. de regimine Principum, l. 4. c. 14.

Quæst. 57. Qui fingentes se pauperes esse, cùm reverâ non essent, receperunt eleemosinam, tenentur-ne ad restitutionem?

Resp. Cùm illi qui talibus fictis pauperibus eleemosinam erogarunt, eis non dedissent, sed aliis pauperibus, si eos non egere cognovissent: & cùm fictorum pauperum fraus, fuerit sola causa dictæ erogationis; sequitur, obligari tales ad restitutionem eorum quæ simili fraude mediante receperunt. Unde in Catechismo Concilii Tridentini: *Furtum præterea facere videntur, qui fictis simulatisque verbis, qui re fallaci men-*

Catech. Roman. p. 3. de 7. Præcepto, num. 17.

mendicitate pecuniam extorquent; quorum eò gravius est peccatum, quòd furtum mendacio cumulant.

Quod autem hâc fictione receptum est, restituendum est potiùs veris pauperibus, quàm illis, à quibus acceptum est; quia censentur voluisse se omninò spoliare erogatæ pecuniæ dominio & usu, ut subvenirent egenis; & impletur eorum voluntas, cùm veris pauperibus restituitur, quod in eorum utilitatem erogatum fuit. Ob eandem rationem, virgines quæ fingentes se natas in tali urbe vel Provinciâ, recipiunt eleemosinam dotalem destinatam privativè illis quæ in hâc Provinciâ natæ sunt; tenentur illam restituere illis, qui jus nominandi habent, ut alias eligant. Idem dic de illis qui fingentes se ex tali natione esse, admittuntur in Collegiis vel aliis domibus, iis solùm destinatis qui ex eâdem natione sunt.

CAPUT VI.

De iis qui ad restitutionem obligantur, cooperando furto, vel damno proximo illato.

POstquam locuti sumus de illis qui reverâ per semetipsos furantur, aut damnum injustum proximo inferunt: materiarum connexio exigere videtur, ut tractemus de illis qui mediatè & per alios damna causant; id autem pluribus accidere potest modis, quos sigillatim explicare necesse est, quia sæpiùs in praxi occurrunt.

Quæst.

Quæst. 1. Quot modis inferri potest, mediatè & per alios, damnum injustum proximo?

Resp. Theologi, post Angelicum Doctorem, novem vulgò recensent modos, his versibus comprehensos:

Iussio, consilium, consensus, palpo, recursus:
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Hos novem modos explicat Angelicus Doctor his verbis: *Ad restitutionem tenetur aliquis, non solùm ratione rei alienæ quam accepit, sed etiam ratione injuriosæ acceptionis; & ideò quicumque est causa injustæ acceptionis, tenetur ad restitutionem. Quod quidem contingit dupliciter, directè scilicet, & indirectè: directè quidem quandò inducit aliquis alium ad accipiendum; & hoc quidem tripliciter. Primo quidem modo ex parte acceptionis, movendo ad ipsam acceptionem: quod quidem fit præcipiendo, consulendo, consentiendo expresè, & laudando aliquem quasi strenuum de hoc quòd aliena accepit: alio modo ex parte ipsius accipientis, quia scilicet eum receptat, vel qualitercumque ei auxilium fert. Tertio modo ex parte rei acceptæ, quia scilicet particeps est furti vel rapinæ, quasi socius maleficii. Indirectè verò, quando aliquis non impedit, cùm possit & debeat impedire: vel quia subtrahit præceptum, quod impediret furtum vel rapinam: vel quia subtrahit suum auxilium, quo posset obsistere: vel quia occultat post factum.*

S.Tho.2.2. q.62.art.7. in corp.

Quæst. 2. Quandonam tenetur quis ad restitutionem, propter mandatum de inferendo damnum proximo?

Resp. Constat, quòd quoties qui mandavit

davit filio, aut famulo, vel alteri quocumque modo sibi subdito, ut aliquid agat in damnum proximi, tenetur tale damnum inde secutum resarcire. Quia, juxta Doctorem Angelicum: *Ille qui jubet, est principaliter movens; unde ipse principaliter tenetur ad restitutionem.* Idem dicendum de eo qui alteri aliàs sibi non subdito mandat, ut alteri inferat damnum; si tale damnum reverâ secutum sit ex hoc mandato; *cùm is committat verè*, ut ait Alexander III. *cujus authoritate, vel mandato, delictum committi probatur.* S.Th.ib. Cap. Mulieres, De sententia excommunicat.

Quæst. 3. Qui mandatum dedit de inferendo damno proximo, tenetur-ne resarcire damna, etiam quæ non putabat exinde eventura?

R. Cùm talia injustè mandans committat delictum eò gravius, quòd est malitiâ infectum: videtur teneri resarcire damna etiam minimè prævisa, quibus occasionem præbuit, licèt contra propriam intentionem acciderint, quoties verisimiliter accidere poterant. Quare si Joannes mandat Jacobo, ut verberet Petrum, & Jacobus eum graviter vulneret, aut etiam occidat: Joannes reputatur ejus necis reus, ac proindè tenetur resarcire omnia damna temporalia ex tali mandato secuta; adeò ut incurrat etiam irregularitatem ex homicidio provenientem; ut suprà diximus, Tractatu 6. cap. 3. Et hoc juxta Decretum Innocentii IV. in quo sic habetur: *Is qui mandat aliquem verberari, licèt expressè inhibeat, ne occidatur ullatenùs, vel membro aliquo mutiletur; irregularis efficitur, si mandatarius fines mandati excedens, mutilet, vel occidat; cùm mandando in culpa fuerit, & hoc evenire posse debuerit cogitare.* Cap.ult.de homicid. in 6.

Qu. st.

Quæst. 4. In quibus-nam casibus is qui mandavit damnum inferri proximo, non tenetur ad restitutionem?

Resp. In duobus casibus; nam si damnum reverà non fuit illatum, restitutio locum habere non potest. Præterea si expressè vel tacitè revocatum fuerit mandatum, priusquàm damnum factum fuisset, ita ut mandatarius admonitus fuerit de hâc revocatione: tunc damnum illatum imputari non debet illi qui mandatum revocavit, sed solummodò illi qui damnum intulit. De hâc mandati revocatione expressâ vel tacitâ locutus sum suprà, Tract. 6. cap. 3. dum de irregularitate ex mandato homicidio proveniente agebatur.

b. *Quæst.* 5. Quomodò quis ad restitutionem teneri potest ex pravo consilio alteri dato?

Resp. Qui malitiosè dat consilium inferens damnum, aut illi qui consilium recipit, aut alteri: tenetur damnum resarcire. Verùm in praxi accidit, ut detur pravum aliquod consilium bonâ fide & imprudenter, potiùs quàm malitiosè. Et in hoc casu distinguendum est; nam si consilium detur ex officio, aut circa res ad propriam consilium dantis professionem seu artem pertinentes, talis consilium dans, videtur regulariter teneri resarcire damna indè provenientia, quoties commisit culpam latam seu notabilem, vel etiam levem, in dando ejusmodi consilio, juxta ea quæ dicta sunt suprà Cap. 5. Quæst. 49. præsertim si mercedem aut salarium ex hoc consilio receperit à Republica aut à privatis; quia tunc sæpiùs se peritum in tali materiâ profitetur, neque illius consilium sequerentur alii, nisi præsuppositæ peritiæ considerent.

Quòd

Quòd si dans consilium, non agit ex officio, aut ex propriâ quam publicè profitetur arte; tunc non videtur teneri resarcire damna indè consecuta, nisi malitiosè & cum dolo consilium dederit, juxta Juris Canonici regulam his verbis exaratam: *Nullus ex consilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*. Ex quâ regulâ concludi potest, quòd dum consilium datum fuit de perpetrando delicto cognito ut tali, tunc regulariter tenetur consilium dans resarcire damna inde secuta; quia semper adesse videtur fraus & dolus in tali consilio, vel in præjudicium illius qui consilium recipit, vel illius contra quem datur. Regul. 62. de regul. jur. in 6.

Advertendum tamen cum Angelico Doctore, quòd *tunc solùm tenetur consiliator ad restitutionem, quando probabiliter æstimari potest, quòd ex hujusmodi causa, fuerit injusta acceptio subsecuta*; videlicet furtum commissum, aut alia quævis facta injustitia. S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

Quæst. 6. In quibusnam casibus tenentur Advocati ad restitutionem, sive ob pravum consilium datum, sive ob malè navatam operam in patrocinando?

Resp. Sanctus Augustinus de præcipuis Advocatorum obligationibus instruere nos voluit, dum sic loquitur: *Dicitur Advocato, Redde quod accepisti, quando contra veritatem stetisti, iniquitati adfuisti, Judicem fefellisti, justam causam oppressisti, de falsitate vicisti: Quod vides multos honestissimos & disertissimos viros, non solùm impunè, verùm etiam gloriosè videri sibi committere, quàm cuiquam in quolibet officio militanti.... Quis tandem Advocatus, aut ex Advocato vir optimus facilè reperitur, qui suscepto suo dicat: recipe quod mihi cùm tibi malè adessem dedisti, & redde* S. August. ep. 54. ad Macedon.

adversario tuo, quod me agente iniquè abstulisti? Et tamen quem prioris non rectæ vitæ rectissimè pænitet, etiam hoc facere debet, ut si ille qui iniquè litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem; nisi fortè restituendum est alienum, quod per furtum clanculò aufertur, & restituendum non est alienum, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur, decepto Iudice & circumventis legibus, obtinetur.

Unde etiam Sanctus Raymundus, in hac materiâ versatissimus: *Circa Advocatos*, inquit, *in judicio animæ, quatuor sunt principaliter attendenda. Ne assumat causam injustam vel desperatam, & si accepit ab initio ignoranter, & in processu judicii agnoscit causam talem, debet eam relinquere..... Modò non producat falsa instrumenta, nec testes falsos vel corruptos, nec mentiatur, nec leges falsas vel alias juris vel facti probationes inducat, nec dilationes non necessarias in gravamen partium quærat. Item quod fideliter, in quantùm justitia permittit, causam sui clientuli foveat, nihil de contingentibus omittendo. Item non procaciter, nec dicendo convicia, vel vociferando advocet; quia propter hoc impeditur processus justitiæ, dicente Propheta Isaja cap. 32.* Erit cultus justitiæ, silentium. *Et Salomone Proverb. cap. 22. contra tales:* Ejice derisorem, & exibit cum eo jurgium. Canon. *In loco.* 5. q. 4. *Et Canon.* Infames. §. Si quis adeò procax. 3. *q.* 7. *Salarium, scilicet ut moderatum petat, seu ab initio cùm facit pactum, sive eo post facto si ab initio non fuit determinatum quantum esset. Attenditur autem hoc moderamen salarii circa quatuor. Primùm quantitas causæ: secundum labor Advocationis: tertium scientia, facundia,* & *honestas Advocantis; quartum consuetudo* re-

S. Raym. in summa li. 2. tit. De Raptorib. §. 39.

regionis. Iuxta istorum quatuor considerationem, majus vel minus potest & debet taxari.

Tenetur autem Advocatus ad restitutionem omnium, quæ illi, contra quos præstabat patrocinium, propter ipsius pertinaciam injustè amiserunt: & tenetur etiam illis quibus præstitit patrocinium, si propter suam infidelitatem, vel negligentiam, vel imprudentiam amiserunt causam. Tenetur etiam, si extorsit salarium, unde non debuit extorquere; vel si ultra quàm debuit habere, extorsit. Aliàs si absque fraude & dolo ipsius, aliqua essent oblata à suo clientulo, si accipiat, non dico, eum teneri ad restitutionem. Et idem dico de Iurisconsulto. Canon. Non sanè. 14. *quæst.* 5.

Angelicus autem Doctor dilucidè probat, Advocatum teneri resarcire damnum quod suo patrocinio intulit injustè illis contra quos patrocinatus est: *Manifestum est*, inquit, *quòd Advocatus & auxilium & consilium præstat ei cujus causæ patrocinatur; unde si scienter defendit injustam causam, absque dubio graviter peccat, & ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam, per ejus auxilium, altera pars incurrit. Quòd si*, ut docet infra idem Angelicus Doctor, *Advocatus in principio credidit, causam justam esse, & posteà in processu apparet, rem esse injustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ alteri parti revelet. Potest tamen, & debet causam deserere, vel eum, cujus causam agit, ad cedendum inducere, sive ad componendum sine adversarii damno.* Quia, ut optimè Sanctus Gregorius Papa advertit: *Iustus Advocatus injustas causas nullo modo suscipit, nec verba dare pro injustitia consentit.*

S. Tho. 2. 2. q. 71. art. 3. in corp.

Ibid. art 3. ad 2.

S. Gregor. lib. 1. ho. 7. in Ezech. in fine.

De-

Demùm sanctus Antoninus, amplectens colligensque opiniones in hâc materiâ, Sancti Raymundi, S. Thomæ, & celebris Alvari Pelagii, multa observat delicta quæ Advocati facilè perpetrare possunt, & inutile non erit, ea quæ majoris momenti sunt hìc suis verbis referre.

S. Ant. p. 3. tit. 6. c. 2. §. 5.

De defectibus & vitiis Advocatorum ponit Alvarus, in Libro de Planctu Ecclesiæ. *Peccant enim multipliciter. Et primò cùm favent subdolè, causas prodendo, id est, decipiendo clientulum, dum scilicet adjuvant occultè adversarium: & tales, qui dicuntur prævaricatores & proditores, sunt infames. Can.* Euphemium. 2. *q.* 3. §. Notandum. *Et tenentur, ultra peccatum injustitiæ & proditionis, ad omne damnum & interesse læso.*

2. *Qui causas desperatas fovent contra conscientiam, & in hoc gloriantur quasi magis subtiles Advocati, contra illud. Can.* Qui consentit. 11. *q.* 3. *Et talis etiam tenetur parti adversæ quæ justitiam habet, de omni damno, & interesse, & etiam suo clientulo de expensis, si suadet sibi jus habere, ut litiget.*

3. *Cùm dilationes superfluas nituntur obtinere, ad hoc tantùm ut fugiant sententiam, vel magis prolongetur litigium, unde plus lucrentur: vel scienter, sine causa rationabili, faciunt clientulum appellare, & etiam tenentur de damnis propter hoc. Can.* Infamis. 3. *quæst.* 7.

4. *In recipiendo nimis magnum salarium, vel paciscendo de certa parte litis cum gravi damno litigatoris: quod prohibetur, Can.* Infames. §. Arceantur. 3. *q.* 7. *Quomodo debeat moderari salarium, dictum est in* §. *præcedenti.*

5. *Quia ignorantes jura, cùm nesciant quid dicant, opprobriis & contumeliis certant.*

6. *Cùm*

6. *Cùm informant falsos testes, & quærunt seu faciunt positiones cavillosas, vel inducunt clientulum ad dejerandum, imponendo & respondendo; & ideò ut homicidæ animarum tenentur, & infamia perpetua notantur. Can.* Ille qui hominem, *22. q. 5.*

7. *Qui recepto salario, non curant de causis, nec student, nec vigilant circa eas; & sic propter negligentiam clientulus amittit justam causam: & tunc, ultra peccatum, obligatur ad satisfactionem, argumento, Cap.* Ad aures. *De ætate, qualitate, & ordine præficiendorum.*

8. *Cùm sciant aliqui, vel scire debeant, se ignorantes & insufficientes, nihilominùs salarium recipiunt, & propter insufficientiam suam, causam justam amittunt; unde in culpa sunt, & ad restitutionem tenentur.*

9. *Quia ubi sufficientes sunt ipsi qui assumunt Officium Advocationis, aliis insufficientibus vices suas committunt; unde & ipsi de læsione clientuli tenentur, nisi fortè clientulus, sciens & prudens, contentus fuisset; quia, eo invito, non potest alteri committi hoc, quia differentia est inter artifices; & si eo inscio hoc fecit, debuit hoc ipsum æstimare non permissurum, si sciret.*

10. *Falsam legem allegantes, unde crimen falsi incurrunt: vel falsò legem inducendo, & ejus intellectum pervertendo, mentientes, & à veritate recedentes, & ad sensum suum pro parte sua Legem interpretantes, contra illud, Can.* Relatum, *Dist. 37. Possunt tamen Advocati jura variis modis exponere, dummodò secundùm conscientiam procedant; nam contra conscientiam exponentes, & inducentes, ædificant ad gehennam.* Cap. 1. *De scrutinio in ordine faciendo. Et si causam desperatam suscipiant, id est quæ non possit justè obtineri vel*

foveri, omninò debent salarium restituere.

Et breviter tenentur, qualitercumque amittant causam suam vitio suo; secus si ex qualitate causæ, vel ob defectum probationis; quia tunc vitium est materiæ, non artificis.

Quæst. 7. Confessarii tenentur-ne ad restitutionem ob pravum consilium suis pœnitentibus datum?

Resp. Vix determinari expresè potest, quibus in casibus Confessarii teneantur ad restitutionem propter culpas in hoc tremendo ministerio admissas: Doctores diversimodè de hac materia loquuntur; videtur tamen dici posse, juxta principia superiori proximo Capite posita, & præcipuè dispositionem Decretalis, in qua sic habetur: *Si culpa tua datum est damnum, aut hæc imperitia tua, sive negligentia evenerunt: jure super his satisfacere te oportet; nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere, vel jacturam:* Dici, inquam, potest, quòd quando Confessarii vel Directores animarum obligarunt pœnitentes ad restitutionem faciendam in casu quo non tenebantur, aut eos exemerunt, affirmantes eos non teneri, quandò reverâ tenebantur, vel etiam, quandò pœnitentes non admonuerunt de obligatione seu onere restituendi ob aliquod delictum, de quo se accusarunt: in his casibus, si Confessarii quicumque sint, defuerunt officio suo vel ex malitia, vel etiam ex ignorantia notabili: non apparet, quomodò possint eximi in foro conscientiæ ab onere seu obligatione resarciendi damna, quæ intulerunt proximo ex malitia, ignorantiâ, imprudentiâ, vel negligentia.

Cap. Si culpa, De injuriis & damno dato.

Quæst. 8. Tenetur-ne ad restitutionem, qui homini v. g. parato ad furandum ducentos aureos, consilium dedit, ut furetur tantummodò centum?

Resp. Ratio naturalis ostendit, quòd in dicto casu nullum illatum est damnum proximo à tali consiliario, imò jactura minuta est ab eo; ac proindè ad nullam restitutionem teneri potest. Si verò consilium dedit Petro volenti furari ducentos aureos Joanni, ut potiùs furaretur centum Paulo: tunc consilium, ex quo secutum est furtum, verè fuit perniciosum Paulo; unde in tali casu consiliarius tenetur restituere dictos centum aureos Paulo, si Petrus qui furatus est, nolit eos restituere.

Quæst. 9. Sufficit-ne revocasse consilium datum, ut quis eximatur ab obligatione restituendi damnum ex eo secutum?

Resp. Non sufficit hæc revocatio, si eâ non obstante, persuasio ex malo consilio orta, sortita sit suum effectum in illius mente cui datum est consilium; quia in hoc casu verè dici potest, quòd, nonobstante revocatione, dictum pravum consilium fuit vera causa damni proximo illati; ut jam probavi Tom. 7. Tract. 6. Cap. 3. qu. 12. dum de irregularitate ex consilio homicidii proveniente tractavi.

Quæst. 10. Quomodò potest quis teneri ad restitutionem propter consensum præstitum alicui delicto?

Resp. Tenetur, quoties hic consensus reverà cooperatus est damno injustè proximo illato; undè Judex qui assentitur sententiæ injustæ, quam ferre volunt illi qui unà cum eo judicant, regulariter tenetur ad restitutionem. Idem dicendum de illis qui præbent favorem, consensum, aut

suffragium actioni injustæ, quæcumque sit, si eorum consensus alios incitet aut determinet ad illam actionem, aut si poterant illam impedire non consentiendo. Hâc de causâ qui præbent suffragium, ut eligatur injustè aliquis ad Beneficium, vel etiam ad sæcularem dignitatem, tenetur semper ad restitutionem, si fiat electio per vota secreta; quia tunc omnia suffragia sunt causa totalis electionis. Idem dicendum, si consensus omnium electorum erat aliquatenùs necessarius, aut si quis suum suffragium det, antequàm data sint vota sufficientia ad electionem injustam, vel denique si poterat rationabiliter sperare, quòd suo dissensu posset efficere, ut alii sententiam mutarent; quia in omnibus his casibus, verè cooperatur injustæ electioni, si consensum præbeat. Idem pariter dicendum, juxta Angelicum Doctorem, si sit *consensus, in eo scilicet, sine quo rapina fieri non potest;* quia sine tali consensu damnum non sequeretur.

S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 7. in corp.

Quæst. 11. Potest-ne quis teneri ad restitutionem, eò quòd alterius malè facta laudaverit?

Resp. Cùm possit quis laudibus, adulatione, vel plausibus cooperari damno illato proximo, manifestum est, quòd potest etiam teneri ad restitutionem; ut enim advertit S. Gregorius Papa: *Sunt nonnulli, qui dum malè facta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur:* Væ qui consuunt pulvillos sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis: *Ad hoc quippe pulvillus ponitur, ut molliùs quiescatur. Quisquis ergo malè agentibus adulatur, pulvillum sub capite vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debue-*

Can. Sunt nonnulli, dist. 46.

buerat, in ea fultus laudibus molliter quiescat. Hinc rursùm scriptum est: Ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum: *Parietis quippè nomine, peccati duritia designatur. Ædificare ergo parietem, est contra se quempiam obstacula peccati construere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, ut quod illi perversè agentes ædificant, ipsis adulantes quasi nitidum reddant.*

Et ita qui laudando malefactorem, vel approbando crimen commissum, incitant eum tacitè aut alios ad committendum simile delictum, tenentur restituere damna ex tali delicto consequentia. Idem dicendum de illis, qui alium irridentes, aut acriter illi ignaviam exprobrantes, ipsum inducunt, & incitant ad vindictam de inimico sumendam, illum occidendo, vel vulnerando, vel etiam damnum aliquod sive in honore sive in bonis illi inferendo.

Illi etiam qui augent indignationem alicujus in alterum, contemnendo adversarium, aut exaggerando injuriam acceptam; ex quo quis inducitur ad contumeliam proximo irrogandam, aut alium damnum inferendum: illi, inquam, incentores malorum tenentur resarcire damnum illatum, nisi qui reverâ intulit, resarciat, quoties apparet, dictis laudibus, adulationibus, vel exprobationibus, inductum & incitatum reverâ fuisse hominem directè vel indirectè ad actionem aliquam injustam & proximo damnosam.

Quæst. 12. Quandonam receptatores ad restituendum tenentur?

Resp. Nomine receptatorum veniunt illi qui recipiunt furem, vel qui receptant, vel occultant furtum commissum, seu rem fur-

to surreptam. Manifestum est autem, quòd tenentur ad restitutionem, quoties per hanc receptationem cooperati sunt damno illato proximo, vel impedierunt aliquo modo, ne hoc damnum resarciretur ab inferente. Quod certè plures complectitur casus; nam qui promittunt v. g. furi vel prædoni, vel etiam homicidæ & ejusmodi, se eos recepturos, vel rem furatam, ante vel post crimen commissum: vel qui eos recipiunt de facto, vel defendunt dolo malo contra ministros justitiæ, aut alios qui eos vellent ad Judicem deferre, ut cogerentur reparare damna illata: vel etiam qui res furto ablatas receptant, ut deindè eas tradant latroni, & non domino: Ii omnes, inquam, regulariter tenentur ad restituendum omne damnum, si latro non restituat.

S. August. Refertur in Can. Si res aliena, 14.q.6.

Id docet sanctus Augustinus, relatus in Canone his verbis: *Illud verò fidentissimè dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata restituat, & qui ad se confugientem, quantùm honestè potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis & criminis. Nam misericordiùs opem nostram talibus subtrahimus, quàm impendimus: non enim opem fert, qui ad peccandum adjuvat, ac non potiùs subvertit atque opprimit.*

Quæst. 13. Participans in damno illato, tenetur-ne ad restitutionem?

Resp. Potest quis participare duobus modis, scilicet vel culpæ commissæ, vel rei injustè proximo ablatæ. Qui comitantur furem, aut ipsum quocumque modo adjuvant, v. g. explorando, utrùm quis videat, scalam admovendo, vel tenendo: deferendo, vel suppeditando arma, aut alia instrumenta necessaria in ea actione, per quam infertur damnum injustum proximo; tenen-

nentur, non restituente principali authore criminis, restituere ipsimet in solidum omne damnum illatum, juxta Legem Civilem, in qua sic decernitur: *Si duo pluresve unum tignum furati sunt, quod singuli tollere non potuerint: Dicendum, omnes eos furti in solidum teneri; quamvis id unus nec contrectare nec tollere solus potuit: & ita utimur; neque enim dici potest, pro parte furtum fecisse singulos, sed totius rei universos; sic fiet singulos furti teneri.*

Leg. Ualgari, par. Si duo, ff. de furtis.

Qui verò participes sunt rei ablatæ, tenentur solummodò restituere partem quam habuerunt, si aliundè cooperati non sunt crimini commisso. Imò si bonâ fide receperunt rem ablatam, nescientes fuisse furto surreptam, tenentur tantùm eam restituere, cùm extat, & ipsam non consumpserunt. Quòd si bonâ fide consumpserunt, tenentur tantummodò restituere id, in quo facti sunt locupletiores; quia, ut habetur in Lege: *Possessor bonæ fidei restituere tenetur, si factus sit locupletior*, quia juxta æquitatem Canonicam: *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.* De hâc materiâ tractavi Tomo 1. hujus Theologiæ Moralis Tract. 3. De emptione & venditione, Cap. 4.

Leg. Ură autem ff. De petitione hæreditatis. Reg. 48. de Regulis juris, in 6.

Si verò aliquis malâ fide accepit rem injustè ablatam, in hoc casu tenetur semper illam restituere, vel ejus pretium, si res consumpta sit, vero domino.

Quæst. 14. Quando plures inferunt grave damnum, v. g. horto, vel vineæ, teneturne singuli restituere in solidum omne damnum illatum?

Resp. Si hoc damnum fiat eodem tempore, & veluti eâdem actione, dici potest, regulariter quemlibet ex participantibus teneri ad restitutionem totius damni in soli-

dum, posito quòd socii nihil restituere velint. Primò si furtum fiat communi consensu, & si se mutuò hortentur & inducant ad ingrediendum in vineam vel pomarium, ut fructus furentur: tunc debent omnes & singuli æstimari participes & cooperantes omni damno illato; & ita non possunt eximi ab obligatione restitutionis in solidum: *Quod si multi ad rapiendum concurrunt*, inquit sanctus Bernardinus Senensis, *nec aliquem habent ducem supra se, neque unus alium animavit magis quàm alius eum, sed simul conveniunt ad rapinam? ... Secundùm Hostiensem, tutius atque verius est, quòd quilibet in solidum obligatus intelligatur; quia ad rapinam concordes fuerunt.*

S. Bernard. ser. 33. in Dominica 4. in Quadragesima c. 1.

2. Si simul ingrediantur dictam vineam & eodem tempore, nulla prævia inductione ad tale damnum; tunc etiam difficile est, ut mutuum pravum exemplum, & securitatis confidentiæque species quæ ex societate aliorum oritur, non concurrerint, & cooperata quodammodò sint damno illato; & sic quilibet in praxi tenetur in solidum omne damnum resarcire: *Item*, inquit sanctus Raymundus, *quid si plures fuerunt raptores quasi pares, quia nullus induxit alium ad eundem, nec erat aliquis dominus alterius, sed quilibet per se ivit? Ad hoc credo dicendum, quod si vadunt in simul quasi unus exercitus, quilibet teneatur in solidum; & est ratio, quia in tali casu quilibet juvat alios, & facit eos fortiores; isti enim possunt dici squammæ se se prementes, de quibus Iob* 14. Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squammis se prementibus: *Facit ad hoc Extrav. De homicidio*, Sicut dignum: *Et omnes sunt cooperatores. Quare quilibet tenetur in solidum, ut dictum est suprà de aliis. Aliàs si non iverunt simul, sed quilibet per se*

S. Raym. de Pennafort, in sum. l. 2. tit. De raptoribus, parag. 21.

se privatim faciebat damnum, quilibet tenetur pro eo, quod fecit.

3. Si inter plures qui simul vineam ingrediuntur, aliquis solus excitet, & inducat alios ad faciendum damnum: tunc ille tenetur primo loco, & ante alios, restituere omne damnum; quia fuit primus illius author & principalis causa, & alii tenentur solummodò restituere damnum in solidum, quando ille primus author non vult restituere, & in illius defectum.

Quæst. 15. Quandonam tacens, non impediens, vel non revelans, tenentur ad restitutionem?

Resp. Hactenùs locuti sumus de iis, qui cooperantur positivè damno proximi: superest nunc breviter agendum de cooperantibus negativè. Illi autem ad restitutionem obligari non debent, nisi quando qui tacuit, qui non impedivit, aut non revelavit, tenebantur aliter se gerere ex officio, & ex obligatione justitiæ. Unde etiam, juxta Angelicum Doctorem: *Non semper ille qui non manifestat latronem, tenetur ad restitutionem: aut qui non reprehendit; sed solùm quando incumbit alicui ex officio: sicut Principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum; propter hoc enim potestate publica potiuntur, ut sint justitiæ custodes.* S. Tho 2.2. q. 62. art. 7. ad 3.

Idem dicendum est de Magistratibus, & de illis qui ex aliquo contractu, vel quasi contractu, tenentur reprehendere, corrigere, clamare, defendere, impedire, aut manifestare illum, qui damnum proximo intulit, aut inferre intendit.

Hanc materiam in praxi frequentem, variis illustrat exemplis sanctus Bernardinus Senensis, quæ hìc referre utile judicavi: *Si quis*, inquit, *ex officio suo tenetur à damno alterum defensare vel præser-*

vare: non tantùm si ex malitia, verùm etiam si ex negligentia, vel incuria, aut imperitia officio sua notabiliter indebita, contingit illum damnificari, cui sic tenetur: totum illud damnum restituere obligatur: v. g. sunt quidam qui ex assumpto officio tueri tenentur pupillos & viduas: hujusmodi etiam sunt domini, qui cùm reditus dominii habeant, ex officio tenentur subditos suos tueri. Stipendiarii etiam, qui ex officio obligantur defendere eos à quibus in bello justa stipendium habent. Medici corporum & animarum, & maximè Confessores ignari & negligentes. Notarii qui nesciunt condere instrumenta, undè multi perdunt jura sua. Iudices & Assessores, qui ex ignorantia, vel incuria, injustas proferunt sententias. Procuratores & Advocati, qui ex eisdem causis, amittunt causas justas: atque consilia dantes, his etiam possunt annumerari. Insuper Nautæ, & Architectores, & consimiles omnes.

S. Bernard. Ser. 32. In Dominic. 4. In Quadragesim. c. 4.

Tales, inquam, si ex eorum imperitia, vel negligentia quidam damnificantur, satisfacere debent. Cujus ratio triplex est. Prima, quia tenentur talia præcavere. Secunda, quia unusquisque tenetur sufficienter scire & exequi diligenter artem quam profitetur; maximè quando vergit in periculum alterius error suus. Tertia, quia eorum imperitia & negligentia habent quamdam efficacem causalitatem damnificationis illorum, juxta modum quo privatio est causa privationis. Quòd etiam talis ignorantia seu negligentia non excuset, patet, extr. de injuriis & damno dato. Cap. Si culpâ. *Et quasi. r.* Quidquid.

Quid etiam de custodibus, qui etiam eos non accusant? Si videant fieri damnum, & non reclament, potissimè quando de tali custodia mercedem habent: de suo proprio satisfacere obligantur; & si à damnificante aliquid acce-

acceperunt, debent pauperibus id pensare.

Idem per omnia dicendum de his qui ex officio positi sunt ad custodiam vinearum atque possessionum, & eorum officium prædictis modis injustè agunt.

2. *Non obviando, scilicet malis & proximorum damnis. Et hoc quando homini de injuria constat, & obviare potest, & sibi ex officio incumbit, & competit, sicut competit dominis, & multis officialibus: &, secundùm Scotum, tales obviare intelligi debet, quandò esset ad bonum Reipublicæ, & sine periculo propriæ personæ. Tales, inquam, non obviantes, solidum restituere obligantur. Unde 86. dist. Can.* Facienti, *scriptum est:* Negligere, cùm possis perturbare perversos, nihil aliud est, quàm fovere; nec caret scrupulo consensionis occultæ, qui manifesto facinori desinit obviare.

Si tamen ad hominis officium non spectat, & malis, seu aliorum damnis cum possit non obstat, licèt mortaliter peccet, quia non diligit proximum sicut seipsum; non tamen satisfacere obligatur. Insuper quamvis ad hominis officium pertineat obviare, si vergeret ad Reipublicæ malum, seu evidens propriæ personæ periculum immineret: tunc non obvians nec satisfacere tenetur, nec insuper ex hoc peccaret, si obviare in corde paratus esset, quando prædicta non impedirent. Insuper est notandum, quod si quis Dux multos stipendiarios habet, ad restitutionem tenetur de omni damno, quod inferunt injustè subditi sui, si obviare potest, & non facit.

3. *Non manifestando; & hoc, secundùm Scotum, cum quis requisitus in judicio, ut sententialiter res furto sublata, vel aliter injustè detenta, posset restitui domino suo: & tamen veritatem dicendo non imminet sibi periculum status seu personæ suæ: talis, inquam,*

non manifestando, omne damnum quod inde sequitur læso satisfacere obligatur.

Ex his patet, quòd negans in judicio testimonium perhibere in alterius detrimentum, ei ad restitutionem recepti damni obligatus est. Quia scilicet testis legitimè interrogatus à Judice competenti, fit quodammodò eo ipso persona publica, & quamdam officii speciem exercet, quòd officium illum obligat ad dicendum ea quæ scit proficua aut nociva unicuique ex partibus, quæ de aliquo facto disputant.

CAPUT VII.

De Ordine servando in restitutione, & de Loco in quo fieri debet.

DUPLEX observari debet ordo in restitutione, quorum primus respicit creditores, alter verò debitores: nam si multùm interest nosse, quinam creditores præferendi sint, quando omnibus satisfieri non potest: non minoris momenti est indicare, inter eos qui tenentur damnum aliquod resarcire, quinam principaliter teneantur. Paucis dicam de hoc duplici ordine in hoc ultimo Capite super septimo Decalogi Præcepto; & incipiam ab eo ordine qui respicit debitores, quia majorem videtur habere connexionem cum iis, de quibus superiori proximo Capite egimus.

Quæst. 1. Quot sunt qui, diversis ex causis, idem damnum resarcire teneri possunt?

Resp. Decem numerari possunt, ut apparet ex his quæ præcedenti Capite dicta sunt; vidimus enim, posse aliquem novem variis modis cooperari damno proximi, & ita

ita teneri ad tale damnum resarciendum; cum autem ille qui reverâ damnum injustum intulit, teneatur etiam illud resarcire; consequens est, posse nos decem modis obligari ad restitutionem ob damnum illatum proximo, posseque numerari decem personarum species, quæ ad hanc restitutionem ex variis causis obligantur in praxi: ille scilicet qui damnum intulit, jubens, consulens, expresse consentiens, palpans, receptans furem vel rem furtivam, participans, mutus qui loqui tenebatur, non obstans, & non manifestans.

Quæst. 2. Inter prædictos quinam principaliter tenentur restituere?

Resp. Quoties res injustè ablata adhuc extat, qui illam habet in sua potestate, principaliter tenetur ad illius restitutionem: sive ipse furtum commiserit, sive tantummodò cooperatus sit aliquo ex prædictis modis; ut enim observat S. Joannes Chrysostomus: *Hoc exteriores sanciunt Leges, quæ, raptoribus omissis, eos qui suis rebus spoliati sunt, ab illis reposcere jubent, apud quos sua inventa fuerint.* Si verò illi restituant ablatam rem, cæteri cooperatores eximuntur à restitutione; quia, læso per restitutionem satisfacto, nullus conqueri potest, aut aliquam restitutionem exigere.

S. Chrys. hom. 15. in epist. 1. ad Corinth. cap. 15.

2. Si res injustè ablata, consumpta fuerit malâ fide, nempè ab eo qui sciebat rem esse alienam: ille tenetur principaliter ad restitutionem ante omnes alios cooperatores; ut enim statuitur in Regulis Juris Canonici: *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.* Si autem ille consumptor restituat, alii eximuntur ab onere restituendi.

Regul. 36. de reg. jur. in 6.

3. Qui mandavit alicui sibi quoquo

modo subdito, vel commisit sibi non subdito, ut damnum aliquod inferrent: in his duobus casibus, si damnum, ejus solâ contemplatione, illatum fuit, tenetur principaliter illud restituere, etiam ante illum qui intulit, & alios qui quocumque alio modo cooperati sunt: *Principaliter tenetur restituere*, inquit Angelicus Doctor, *qui est principalis in facto: principaliter quidem præcipiens, secundariò verò exequens, & consequenter alii per ordinem*. Si autem ille præcipiens restituat, ut de facto tenetur, cæteri eximuntur ab onere restituendi; nisi fortè habeant apud se rem injustè ablatam, aut eam malâ fide consumpserint: in quibus casibus semper tenerentur illam, vel ejus pretium, restituere illi qui totum damnum illatum reverâ restituit.

S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 7. ad 2.

4. Qui damnum intulit per se ipsum, tenetur restituere ante illos, qui cooperati sunt damno, excepto tamen mandante, & eo qui possidet rem injustè ablatam. Si ille autem damnum per se inferens, restituat, cæteri qui minùs cooperati sunt injustę actioni, nihil restituere tenentur. Quòd si contingat, ut plures sint æqualiter authores & executores actionis injustæ, quæ damnum proximo intulit: tunc debent inter se convenire pro restitutione integrâ ex æquo faciendâ. Si verò unus ex illis integrum damnum restituerit, cæteri tenentur illi restituere id omne, quod debuissent erogare & expendere pro hac restitutione pro sua quisque parte, & illorum etiam qui restituere nolunt; ita ut qui diligentiorem se præbuit in restituendo, non sit pejoris conditionis, quàm alii negligentiores; quia scilicet utiliter suam & aliorum obligationem implevit. Quod conforme est Legi Civili, in qua sic statuitur:

Cùm pecuniam ejus nomine solveris, qui tibi nihil mandaverunt, negotiorum actio tibi competit; cùm ea solutione debitor à creditore liberatus sit; nisi si quid debitoris interfuit, eam pecuniam non solvi. Leg. Cùm pecunia ff. de negot. gestis.

5. Loco recenseri possunt, non solùm qui efficax dedit consilium ad damnum aliquod inferendum, sed etiam qui consensit, qui laudando incitavit, qui furem aut furtum occultavit, qui auxilium præstitit, qui tacuit, qui non obstitit, qui non revelavit cum teneretur; quia scilicet variæ illæ cooperationes pariunt æqualem restituendi obligationem, & considerantur ut causæ minùs principales damni illati. Ac proinde, si unus ex illis minùs principalibus cooperatoribus integrum damnum resarciat, defectu eorum qui sunt causæ principales damni, quique nolunt, aut non possunt restituere: tunc cæteri tenentur illum indemnem præstare, illi restituendo portionem hujus damni, quam tenebantur restituere, si ille partem suam solummodò restituisset. Quod ita intelligi debet, ut si v. g. decem cooperati sint furto commisso, & duo tantùm possint & velint restituere: si illi duo cooperati sint æqualiter ut causæ minùs principales; necesse est, ut quilibet illorum resarciat mediam damni partem. Imò si unus tantùm paratus sit ad restituendum, debet integrum damnum restituere; sed, ut dixi, si non fuit causa principalis, cæteri cooperatores tenentur illi restituere portionem seu partem rei, quam restituere obligabantur.

Quæst. 3. Si ille qui damnum passus est, condonat restitutionem illius alicui ex cooperatoribus, cæteri tenentur-ne totum damnum resarcire?

Resp.

Resp. Ut distinctè huic quæstioni responderi possit, varii distinguendi sunt casus. Nam si condonatio fiat illi, qui habet in sua potestate rem injustè ablatam, cæteri qui quovis modo cooperati fuerunt, ad nullam ampliùs teneri possunt restitutionem; quia, ut superiùs dictum fuit, illo tantùm deficiente, seu nolente, aut non valente restituere, restituere tenentur. Sed in hoc casu hæc condonatio eumdem habet effectum, ac si ille possidens rem furtivam reverâ restituisset, ut etiam in Lege Civili observatum est, in qua sic habetur: *Si ex pluribus obligatis, uni accepto feratur, non ipse solus liberatur, sed & hi qui secum obligantur. Nam cum ex duobus pluribusque ejusdem obligationis participibus uni accepto fertur, cæteri quoque liberantur: non quoniam ipsi accepto latum est, sed quoniam velut solvisse videtur is qui acceptilatione solutus est.*

Leg. Si ex pluribus, ff. de acceptationibus.

Si autem qui passus est damnum, solummodò condonat restitutionem illi qui damnum fieri mandavit: tunc qui habet rem injustè ablatam, semper tenetur illam restituere domino; sed alii qui cooperati sunt, eximuntur à restitutione.

Quòd si condonatio facta sit illi tantùm qui per se intulit damnum: tunc duo priores, scilicet mandans & possidens rem ablatam, non eximuntur ab onere restituendi, licèt cæteri cooperatores non ampliùs teneantur restituere, ut diximus suprà.

Denique si ille cui facienda est restitutio, illam condonet seu remittat alicui ex illis, quos diximus teneri quinto loco: hi qui ante illum tenentur, quique sunt causæ principales damni, obligantur semper ad restitutionem totius summæ ablatæ:

cæ-

cæteri verò qui eamdem habent obligationem cum illo cui restitutio condonata fuit, & qui cooperati sunt damno minùs principaliter, tenentur solùm restituere partem damni non condonatam. Quapropter, si sex cooperati sunt furto sexcentorum aureorum, & ille qui passus est damnum condonet restitutionem uni ex illis qui receptavit, & occultavit furem: tunc cæteri tenentur solummodò restituere quingentos aureos, si dicto damno tantùm cooperati sunt ut causæ minùs principales, scilicet per consensum, consilium, silentium & hujusmodi.

Quæst. 4. Quisnam servandus est ordo in solutione creditorum? Et quinam aliis præferendi sunt in dicta solutione?

Resp. Hoc quæsitum locum non habet, quandò debitor habet, undè satisfaciat statim omnibus creditoribus; nam in hoc casu nullus servandus est ordo in solutione, cùm creditores nullum patiantur damnum ex ordine non servato. Sed è contra, si debitor non habeat, undè omnibus creditoribus satisfaciat, multùm interest scire, quos præferre debeat, ne in hoc concursu injustitiam committat.

Dicendum igitur 1. quòd si sint debita certa, & alia incerta, videtur, quòd regulariter præmittenda sit solutio debitorum certorum; ac proindè si aliquid restituendum sit pauperibus aut Ecclesiæ, vel quia nescitur cui illatum sit damnum, vel quia reperiri non potest dominus rerum inventarum, vel denique quia in falso pondere vel mensurâ damnum singulis illatum est ita modicum & incertum, ut vix occurrere possit, cui restitui debeat. In his casibus regulariter tenenda est prædicta regula Sancti Antonini, ut scilicet certa

præ-

S. Ant. p. 2. tit. 2. cap. 7. in princ.

præferantur incertis: *Restitutio certorum*, inquit, *præponenda est restitutioni incertorum. Sciendum igitur, quòd certa omnia obligant restitutioni, id est, cùm sciuntur personæ quibus facienda est: priùs integraliter solvenda sunt, quàm restituantur incerta: quandò scilicet scitur, vel dubitatur, bona restituentis non sufficere ad utrumque: nam tunc restituenda sunt plenè priùs & integraliter certa.* Idem omninò sentit S. Bernardinus Senensis, qui etiam casum non inutilem proponit, his verbis: *Priusquàm restituantur incerta, restitui debent certa .... Ad cujus intelligentiam ponatur casus, & detur unus qui decem millia habuit de usuris, vel de rapinis: inter quæ quinque millia reperiantur certa, & quinque millia incerta sint; tamen in morte de bonis istius non inveniuntur nisi tria millia, & sic non sufficiunt ad satisfaciendum solummodò certa certis. Tunc manifestè apparet, quòd si quid pro satisfactione incertorum accipitur, ut pauperibus, seu in pias causas dispensetur totum, nova rapina est, & est quodammodò facere raptorem Christum in pauperibus suis. Propterea quicumque hoc intelligit atque novit, licèt pauper sit, vel pauperibus dispenset; si quidquam inde accepit, & rapinam committit, & satisfacere obligatur his qui debent habere certa: quod tamen contrarium quotidiè intelligimus fieri; quia quod restitui debet certis personis, non potest pauperibus dispensari. Extra. De homicidio in Cap.* Sicut dignum.

S. Bernard. ser. 39. in Fer. 6. post Dominicâ 4. in Quad. ar. 3. c. 1.

Quæst. 5. Quænam est secunda regula observanda in ordine restitutionis?

Resp. Secunda regula est, ut primo loco restituantur res quæ adhuc extant in specie, & quæ consequenter non mutaverunt dominum, sed adhuc illius sunt, cujus erant priusquàm ab alio detinerentur, qui non

po-

poterat acquirere verum earum dominium. Ac proinde res depositæ, vel commodatæ, traditæ in pignus, vel ex contractu precarii vel locationis, debent deponentibus, commodantibus, & reliquis restitui præ cæteris creditoribus; quia nemo potest uti rebus alienis ad solvenda debita sua, vel ad aliquid restituendum. Idem dicendum de rebus injustè ablatis, vel ex usurâ comparatis; & si adhuc extent, debent, ex eadem ratione, reddi iis, ad quos legitimè pertinent, qui in hoc præferri debent omnibus aliis creditoribus: quod conforme est Juri naturali & Legibus Civilibus. Nam, ut docet Sanctus Antoninus, *debet prius restitui rapina, furtum, & usura, quàm debita licito modo contracta; hoc enim esset offerre holocaustum de rapina. Sicut injustè acciperetur ab aliquo divite, ut daretur eleemosina pauperi, ut dicit Augustinus in Canon.* Fortè, 14. q. 5. S. Ant. p. 2. tit. 2. cap. 7. parag. 1.

Quandò res aliena non extat ampliùs in specie sub illius potestate, qui eam mutuo accepit, vel furatus est, sed quocumque modo consumpta fuit: tenetur-ne solvere debita contracta absque injustitia, potiùs quàm contracta ex aliquo delicto, ut furto & similibus?

Resp. Videtur, quòd dum res quæ ad alium pertinebat, non est ampliùs in manibus debitoris, non tenetur præferre in casu solutionis, illos quibus debet ex contractu licito, aliis quibus ex delicto obligatur: quòdque regulariter non magis tenetur præferre primos, quàm cæteros; quia neque in Jure Canonico, neque in Jure Civili, neque in Jure Naturali, major oritur obligatio circa debita prioris generis quàm secundi; & in hâc materiâ possunt solummodò reperiri rationes plausibiles &

con-

convenientes potiùs quàm adstringentes, juxta varias variorum debitorum circumstantias, & personarum quibus aliquid debetur: quæ rationes & circumstantiæ non videntur posse statuere diversam obligationem justitiæ.

Videtur etiam, quòd non tenetur quis præferre solutionem vel restitutionem eorum quæ debet ratione alicujus delicti patrati, quàm alterius delicti diversæ speciei: & quòd delictorum diversitas non auget obligationem quam quis habet resarciendi damna quæ per delicta illata sunt; nec etiam obligat ad præferendam restitutionem quæ debet fieri pro majoribus delictis, illi quæ pro minoribus debet fieri.

Quæst. 7. Quænam est servanda tertia regula in ordine restitutionis?

Resp. Præferenda est solutio debitorum realium, solutioni debitorum personalium; scilicet præponendi sunt creditores, qui habent aliquod pignus aut hypothecam pro assecuratione debiti, illis qui actionem habent principaliter & directè in solam personam debitoris; juxta dispositionem Legum Civilium, in quibus sic habetur: *Eos qui acceperunt pignora, cum in rem actionem habeant, privilegiis omnibus quæ personalibus actionibus competunt, præferri constat*. Ratio est, quia illi quibus aliquod particulare bonum, vel universa bona obligata sunt pro solutione debiti, habent verum jus in illa bona, donec debitum solutum sit; adeò ut alienari non possint citra eorum consensum, & in præjudicium assecurationis, quam creditores hujusmodi super illis bonis habent; & ita injustè fieret, si talia bona distraherentur, ut satisfieret aliis creditoribus, quia privarentur hypothecarii jure legitimo, quod in illa bona habent.

Leg. Eos. Cod. Q. i potiores in pignore habeātur.

Qua-

Quapropter quandò adsunt creditores, qui ex aliquo contractu habent hypothecam expressam vel tacitam, hoc est, assecurationem solutionis per pactum expressum vel per Legum dispositionem, in fundum, domum, aut aliam rem debitoris: debent præferri cæteris creditorrbus, qui talem non habent assecurationem, & qui v. g. simpliciter mutuum dederunt.

Quæst. 8. Quænam est quarta regula?

Resp. Quarta regula servanda in ordine restitutionis & solutionis, est, ut observetur jus commune, quandò non extat lex aut consuetudo diversa in aliqua Provinciâ, seu Regione, in qua sita sunt bona debitoris. Et in his casibus regulariter resolvendum est in foro conscientiæ, prout judicaretur ab æquis judicibus, qui plenè scirent omnes circumstantias negotii de quo agitur, & qui nullâ falsâ præsumptione niterentur. Hæc regula universalior est cæteris omnibus, nec prætermitti potest sine injustitiâ in ordine restitutionis, & sine injuriâ illorum, quibus non solvuntur debita juxta ordinem assignatum à legibus; quia, ut docet Angelicus Doctor: *Leges positæ humanitùs, sunt justæ vel injustæ; siquidem justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ à Lege æterna, à qua derivantur, secundùm illud Proverbiorum cap.* 8. Per me Reges regnant, & Legum conditores justa decernunt. S. Tho. 2. 2. q. 96. art. 4. in corp.

Quæst. 9. Quinam, ex jure communi, servandus est ordo in solutione creditorum qui hypotheeam habent?

Resp. Quando plures occurrunt creditores qui hypothecam habent in eadem bona, regulariter præferendi sunt illi quorum hypotheca prior est tempore, juxta regulam Canonicam, in qua dicitur:

Qui

Regul. 54. de regul. jur. in 6. *Qui prior est tempore, potior est jure*: quod etiam in Jure Civili statuitur his verbis: L. Si fundū C. Qui potiores in pignore habeātur. *Si fundum pignori accepisti, antequàm Reipublicæ obligaretur, sicut prior es tempore, ita potior es jure*: Hæc autem regula quasdam patitur exceptiones; nam 1. dos constituta cum hypothecâ expresśâ vel tacitâ, præferenda est omnibus debitis anterioribus, quæ solùm habent hypothecam tacitam, ut patet ex Legibus Civilibus; sed non videtur præferenda dos hypothecis anterioribus expressis, licèt super hoc non parva sit difficultas inter Jurisperitos. Sed constat, quòd quamvis hypotheca dotis sit solùm tacita, id est, absque pacto expresso, præfertur tamen hypothecis expressis contractis post matrimonium.

Quæst. 10. Quænam sunt aliæ hypothecæ privilegiatæ in jure?

Resp. Si quis pecuniam dedit mutuam pro reficiendâ domo, vel navi, & hujusmodi, anteferri debet creditoribus etiam anterioribus, quibus per hypothecam obligata est illa domus, vel navis: *Interdum*, Leg. Assiduis, Cod. Qui potiores in pignore habeantur. inquit Lex, *posterior creditor potior est priore: ut putà si in rem ipsam conservandam impensum est, quod sequens credidit: velut si navis fuit obligata, & ad armandam eam vel reficiendam ego credidero*. Hujus rei ratio assignatur in alia Lege, in qua sic habetur: *Hu-* Leg. Hujus eod. tit. *jus enim pecunia salvam fecit totius pignoris causam: quod poterit quis admittere, & si in cibaria nautarum fuerit credita, sine quibus navis salva pervenire non poterat. Item si quis in merces sibi obligatas crediderit, vel ut salvæ fiant, vel ut naulum exolvatur, potentior erit, licèt posterior sit; nam & ipsum naulum potentius est. Tantumdem dicetur, & si merces horreorum, vel areæ, vel vecturæ jumentorum debentur. Nam & hic potentior erit.*

2. Qui

2. Qui alteri mutuam dedit pecuniam ad emendam domum, vel fundum, hoc pacto, ut dicta domus vel fundus, sibi remaneat per hypothecam obligatus pro assecuratione debiti, præferri debet aliis creditoribus etiam anterioribus: *Licèt*, inquit Lex, *iisdem pignoribus multis creditoribus diversis temporibus datis, priores habeantur potiores; tamen eum cujus pecunia prædium comparatum probatur, quod ei pignori esse specialiter obligatum statim convenit, omnibus anteferri juris authoritate declaratur*. Hæc autem prælatio non propriè nocet aliis creditoribus; debitor enim non haberet hanc domum, vel hunc fundum, nisi mutua illi data fuisset pecunia, quâ egebat ad illius emptionem. Leg. Licet. C. Qui potiores in pignore habeãtur.

3. Expensæ moderatæ factæ ab hærede in exequiis defuncti, & solutione salarii debiti Medicis, Pharmacopolis, Chirurgis, ob operam navatam in ultimo morbo, habent hypothecam præferendam etiam anterioribus creditoribus; adeò ut, juxta Leges Civiles, præferri debeant etiam doti; in quo tamen casu servanda est consuetudo uniuscujusque regionis; nam cæteròqui, *in ambiguis, pro dotibus respondere melius est*, ut habetur in Jure Civili. Reg 85. de diversis regulis juris anti qui.

Demùm hypotheca quam habet Fiscus Principis pro quocumque debito, præferri debet aliis hypothecis tacitis, etiam anterioribus, juxta Leges Civiles; verùm hæc hypotheca cedit aliis expressis & anterioribus. Quæri autem hìc potest, utrum hypotheca tacita dotis, cedere debeat Fisco Principis: & distinguendum est; nam si hypotheca dotis præcedat tempore, præferri debet hypothecæ quam habet Fiscus Principis; si verò sit posterior, cedere debet ex eisdem Legibus; sed si constare non

poteſt, quænam ex dictis hypothecis ſit anterior, tunc præferri debet hypotheca dotis, ut colligitur ex Regula Juris Canonici ſuperiùs citatâ. Quæ autem dicta ſunt in hac quæſtione, probari facilè poſſunt ex Leg. *Impenſa*, & ſeqq. ff. *De Religioſis & ſumptibus funerum*. Leg. *Scimus*. §. In computatione. Cod. *De Iure deliberandi*. Toto titulo. Cod. *de Iure Fiſci*. Leg. *Si fundum*. Cod. *Qui potiores in pignore habeantur*. Leg. *Privilegia*. ff. *De Privilegiis creditorum*.

Quæſt. 11. Præter creditores hypothecarios, ſunt-ne alii qui habeant jus prælationis in ſolutione vel reſtitutione debitorum?

Reſp. Poſtquàm creditoribus hypothecariis ſoluta ſunt debita, juxta varia Privilegia illis competentia ut ſuprà, aut juxta tempus hypothecæ: ſtatim ſequuntur creditores Chyrographarii, quibus ſolummodò facta eſt promiſſio vel obligatio manu privatâ: & deinde ii quibus nulla facta eſt promiſſio vel obligatio in ſcriptis, qui tamen veri noſcuntur eſſe creditores, vel ex depoſitione teſtium, vel etiam ex propriâ debitoris confeſſione. Et videri poteſt, quòd, juxta Leges Civiles, regulariter debitor non tenetur præferre aliquem ex his creditoribus, qui ſolummodò habent actionem perſonalem, cæteris ejuſdem naturæ ſeu conditionis; imò neque tenetur ſolvere ejuſmodi debita juxta ordinem temporis quo contracta fuerunt; quia, ex jure communi, iis tantùm conceſſa ſunt Privilegia Prælationis, qui habent hypothecam ſaltem tacitam. Et hæc videtur eſſe diſpoſitio Legis, in qua ſic habetur: *Pro debito creditores addici ſibi bona ſui debitoris, non jure poſtulāt. Vnde ſi quidem debitoris tui cæteri creditores pignori res acceperunt: potiores eos, quàm*

L. Pro debito, C. de bonis authoritate judicis poſſidendis.

quàm te Chryrographarium creditorem, haberi non ambigitur. Quòd si specialiter vel generaliter nemini probentur obligatæ, ac sine successore communis debitor, vel ejus hæres decessit: non dominii rerum vindicatione, sed possessione bonorum, itemque venditione, æquali portione pro rata debiti quantitate, omnibus creditoribus consuli potest.

Quæst. 12. Quomodò solvenda sunt debita illis creditoribus, qui nullam habent hypothecam?

Resp. Cùm nullus inter eos potius aut majus jus prælationis habeat quàm cæteri, æquitas postulare videtur, ut etiam apparet ex Lege modò relatâ, ut hæc debita æqualiter solvantur pro ratâ cujusque portione: ita ut si tales creditores integrum debitum omnes consequi non possint, recipiat quisque illius partem, juxta quantitatem debiti: potest v. g. dari media pars debiti, aut tertia, aut quarta pars & hujusmodi, unicuique ex creditoribus, juxta quantitatem & valorem bonorum ad debitorem spectantium. Ita sentit sanctus Antoninus his verbis: *Sextò veniunt Chyrographarii pro rata, non attenta prioritate contractuum; quia licitum est debitori, pro cumulo creditorum, facere deteriorem causam creditorum priorum, nec dominium nec hypothecam nec privilegium habentium.* Ut Leg. 1. §. *Ex contrario*, ff. De separationibus. Et videri etiam potest, quòd debitor, qui se videt non posse integra debita solvere, debet, ut conscientiam suam in tuto ponat, omnibus creditoribus pro ratâ debiti satisfacere saltem in aliqua illius parte, nec potest tutò aliquem non privilegiatum præferre, in aliorum qui æquale jus habent præjudicium.

S. Anton. p. 2. tit. 2. c. 7. §. 3.

Quæst. 13. Peccat-ne contra justitiam, qui

non servat ordinem in solvendo vel restituendo, & satisfacit v. g. iis quibus satisfacere non deberet, in præjudicium & damnum illorum, quibus solutio priùs competit?

Resp. Cùm, non observato prædicto ordine, aliqui privantur jure quod habent, juxta Leges, ut ipsis solutio fiat præ aliis, aut cum aliis, & damnum grave illis hoc modo infertur: in hoc peccatur contra justitiam, cum videt debitor, verisimile non esse, quòd possit omnibus creditoribus integrè satisfacere. Videtur etiam, ob eandem rationem, quòd creditores, qui hoc modo recipiunt solutionem in præjudicium illorum qui præferri debuerant, illis faciunt injuriam, maximè si sciant, debitorem non posse omnia solvere; ac proinde tenentur ad restitutionem.

Quæst. 14. Quonam in loco debet fieri restitutio, vel solutio debiti?

Resp. Ut huic quæstioni distinctè & dilucidè respondeatur, præsupponendum est, quòd quis teneri potest ad restitutionem vel solutionem; aut propter aliquod delictum, aut quia res possidetur aliena, aut denique ratione alicujus contractus, ut in variis hujusce Tractatus locis dictum est. Non abs re erit de his tribus variis casibus sigillatim loqui, ut hæc materia elucidetur in praxi.

Quæst. 15. In quonam loco restituere debet, qui tenetur ex aliquo delicto?

Resp. Cùm ille qui furatus est, usuram commisit, aut quovis alio modo damnum injustum proximo intulit, teneatur tale damnum resarcire: sequitur, quòd restituere regulariter debet in eodem loco, in quo illatum fuit damnum, & in quo moratur ille qui passus est damnum, ut nihil

illi

illi depereat ratione loci, in quo fit restitutio; quod certè conforme est rectæ rationi; & quamvis delinquens expensas extraordinarias hâc de causâ sustinere cogatur quæ non minores sint ipsâ re quæ restitui debet; id sibi imputare debet, juxta Juris Canonici regulam, in qua sic habetur: *Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet non aliis imputare*. Quod etiam in Jure Civili statuitur his verbis: *Quod quis ex sua causa damnum sentit, non intelligitur damnum sentire*. Unde etiam, si ille à quo res ablata fuit, aut cui illatum est damnum aliquod injustum, sedem seu locum mutavit, restitutio illi fieri debet in eo loco ubi actu est seu residet, si verisimile sit, quòd secum transportasset rem ablatam. Et hoc juxta mentem Canonis, in quo sic habetur: *Redintegranda sunt omnia expoliatis ..... & in eo loco unde abscesserant, funditus revocanda*. Quòd si damnum passus, ob translationem rei ablatæ, necessariò sustinere debuisset aliquas expensas; videtur, quòd in hoc casu, ille qui restituit, possit has expensas computare, & tantumdem detrahere ex re vel summâ quam restituere tenetur.

Reg. 86. de regulis juris, in 6. Reg. 203. ff. De diversis regulis juris antiqui.

Quæst. 16. In quo loco debet fieri restitutio ab eo qui tenetur restituere, quia rem habet alienam?

Resp. Qui casu invenit rem proximi perditam, vel qui quovis modo illam bonâ fide possidet, & absque delicto, tenetur tantùm restituere in eo loco, in quo extat res aliena; quia in hoc casu non debet aliquod subire damnum: unde si ille, cui facienda est restitutio, sit in aliquo loco remoto; sufficit, ut moneatur de restitutione faciendâ, ut possit rescribere, quânam viâ, vel medio, velit sibi dictam summam vel rem

restitui; quia expensæ faciendæ, ad dominum rei spectant. Quòd si admoneri non possit sine aliqua expensa, ille qui tenetur restituere sine delicto, aut mala fide, potest se servare indemnem, & expensas factas retinere. Verùm hoc locum non habet, quando qui per aliquod tempus bonâ fide possedit rem alienam, sciens deinde verè esse alienam, distulit tamen, absque legitima causa, illam restituere; quia ex illo tempore injusta dilatio reum illum constituit, & obligat ad restituendum, ita ut dominus rei in eo ponatur statu, in quo fuisset, si absque ulla mora restitutio facta fuisset, statim atque notum fuit rem esse alienam. Idcircò si verus dominus passus est aliquod damnum ex illa dilatione, debet illud à detentore resarciri; & si interim dominus locum mutavit, restitui debet res in loco in quo est dominus, expensis illius qui ad hanc restitutionem tenetur, eo modo quo diximus in præcedenti quæstione.

Quæst. 17. In quonam loco facienda est restitutio, seu potiùs solutio, quando tenetur quis ratione alicujus contractus?

Resp. Certum est, quòd si partes convenerunt in contractu de loco, in quo facienda est restitutio, seu solutio, hæc conventio servanda est; nam, juxta Regulam Juris Canonici, *contractus ex conventione Legem accipere dignoscuntur*. Et in Jure Civili: *Contractus Legem ex conventione accipiunt*. Sed si de loco nihil dictum sit in contractu, restitutio, seu solutio, fieri debet, ubi verisimiliùs est, attentis omnibus circumstantiis, quòd contrahentes tempore contractus voluerunt fieri dictam solutionem.

Reg. 85. de regulis juris in 6. Leg. 1. §. Si convenit, ff. Depositi vel contra.

Unde

Unde in contractibus depositi, commodati, & aliis in quibus restituenda est eadem res in individuo, videtur, quòd regulariter restitutio facienda est in eodem loco in quo res accepta fuit; quia ea ut plurimum est intentio illorum, qui hujusmodi ineunt contractus. Idem dicendum de contractibus venditionis, locationis, mutui, & similibus; quia ea videtur esse intentio contrahentium, juxta æquitatem, ut solutio fiat in eodem loco in quo res vendita, locata, aut mutuo data, tradita fuit in manus emptoris & aliorum; & si alia fuisset contrahentium intentio, de ea aliquid conventum fuisset in celebratione contractus.

Si verò quis mutuum det alteri in itinere, aut eo in loco in quo verisimile non est quòd residere velit solutionis tempore: tunc videtur, quòd fieri debet solutio, expensis illius qui mutuum accepit, in loco in quo versatur ille qui mutuum dedit, vel saltem in illius frequentiori domicilio; quia, cum mutuum cedat in solam utilitatem illius qui accipit, æquius videtur, quòd si faciendæ sint expensæ, aut aliquod subeundum incommodum, patiatur ille qui mutuum accepit, non verò qui dedit.

Quæst. 18. Qui jam restituit, potest-ne aliquando teneri iterùm restituere?

Resp. Potest id aliquando contingere, videlicet si res per interpositam personam restituta, verè non pervenerit ad illum cui facienda erat restitutio. Quod ut magis liqueat, distinguendæ sunt, ut suprà, diversæ causæ, quæ possunt obligare ad restitutionem: Potest enim quis teneri ex aliquo delicto, vel ex contractu, vel quia habet rem alienam. Hoc posito, quærendum est primò.

Quæst. 19. Quomodo potest quis teneri iterùm restituere, quando ad restitutionem tenetur ex aliquo delicto?

Resp. Si ille qui furatus est, vel damnum quodcumque injustum intulit, tradit rem furto ablatam, vel ejus pretium alicui ad restituendum, & mediator ille non reddit domino cui reddenda erat, vel ejusdem mediatoris culpâ, vel casu etiam fortuito: constat, hanc restitutionem esse iterùm faciendam, imò tertiò & sæpiùs, si necesse sit, donec qui passus est damnum injustum, indemnis efficiatur; quia hæc indemnitas fieri semper debet sumptibus & periculo illius, qui commisit delictum. Unde licèt prudentissimè egerit, & tradiderit rem, quam tenebatur restituere, Confessario, de cujus probitate dubitare nullatenùs poterat: quamvis res restituenda comburatur, vel etiam subripiatur absque ullâ dicti Confessarii culpâ, vel alterius mediatoris: in his casibus semper tenetur quis ad restitutionem, donec res illa injustè ablata pervenerit ad dominum qui passus est damnum, vel ad alium de ejus expresso mandato; quia obligatio restituendi, quæ oritur ex delicto, cessare non potest, nisi per realem damni reparationem; nec jactura rei furto ablatæ ex casu fortuito, eximere potest ab onere restituendi.

Id colligitur ex Angelici Doctoris doctrinâ: *Tenetur ad restitutionem*, inquit, *non solùm ratione rei, sed etiam ratione injuriosæ actionis, etiam si res apud ipsum nō remaneat.* (S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 6. in corp.)

Et expressiùs sanctus Antoninus: *Si vitium usuræ*, inquit, *vel furti, vel alterius damni, est occultum, & restitutio occulto modo per se, vel per alium, facienda est, ut non detegatur persona: caveat etiam diligenter,* (S. Ant. p. 2. tit. 2. c. 4. §. 1.)

quod

quod cum per alium facit, ita faciat cautè, quod is recipiat cui debet, & non ille sibi retineat; quia non esset propter hoc liberatus: nec confidat de Prædicatoribus, & Confessoribus, & Quæstuariis, qui quærunt pecunias, non animarum salutem.

Quæst. 20. Tenetur-ne quis aliquando iterùm restituere, quando tenetur ex contractu, vel quia habet rem alienam?

Resp. Quando aliquid restituendum vel solvendum est ratione alicujus contractus, vel aliter absque ullo delicto: tunc si restituenda sit talis res in individuo, ut accidit in commodato, locatione, deposito, vel quando inventa est res proximi: in his casibus non tenetur quis iterùm restituere eamdem rem, vel ejus pretium, si casu fortuito periit, priusquam tradita sit vero domino; damnum enim quod accidit casu fortuito, debet sustineri à domino rei, juxta Leges Civiles & æquitatem naturalem: *Ad eos*, inquit Lex, *qui servandum aliquid conducunt, aut utendum accipiunt, damnum injuria ab alio datum non pertinere, procul dubio est. Quæ enim cura aut diligentia consequi possumus, ne aliquis damnum nobis injuria det?* Et in alia Lege sic habetur: *Argentum commodatum, si tam idoneo servo meo tradidissem ad te perferendum, ut non debuerit quis æstimare, futurum ut à quibusdam malis hominibus deciperetur: tuum, non meum detrimentum erit, si id mali homines intercepissent.*

Leg. Ad eos, ff. Cōmodati, vel contra.

Leg. Argētū, eod. tit.

Si autem commissa sit aliqua culpa, quæ occasionem præbuerit jacturæ rei, seu damno quod ei accidit: tunc tenetur quis restituere ejus pretium, vel resarcire damnum juxta conditiones appositas in contractu: vel juxta id quod Leges disponunt, & statuunt in variis culpis quæ committi pos-

sunt in quolibet contractu; nam aliquando tenetur quis ex culpâ levi, imò levissimâ, & aliquando tenetur tantùm ex culpa notabili, quæ dicitur in jure lata culpa. Jam egimus sigillatim in hoc Tractatu, Capite 5. de variis culpis, & quo pacto ex his quis teneatur ad restitutionem in variis contractibus; idcircò superfluum esset hìc eadem repetere.

Verùm si quis tenetur, ex aliquo contractu, solvere vel tradere rem aliquam in specie, & non in individuo, juxta Philosophorum loquendi modum: id est, tradere rem similem & ejusdem valoris: tunc semper tenetur ad hanc solutionem vel restitutionem, donec ille cui facienda est, verè illam recipiat, vel alius de illius expresso mandato. Et ita si v. g. Petrus debeat Joanni centum aureos ex contractu venditionis, vel mensuram tritici & hujusmodi: mittatque hos centum aureos per Jacobum, in cujus manu pereunt, ex casu etiam fortuito, priusquam tradantur Joanni: damnum hoc pertinet ad Petrum, qui debet solvere alios centum aureos Joanni.

Ille autem qui tenetur ad restitutionem, quia invenit, vel aliàs quia habet penes se, bona fide, & absque prævio delicto, rem alienam; hic, inquam, videtur considerandus, quemadmodum ille qui gessit aliena negocia absque ullo domini mandato (de quo supra Cap. 3. locuti sumus.) Et quòd tantùm tenetur iterùm restituere, quando res periit per ejus culpam latam, seu notabilem, priusquam pervenerit in manus domini.

Advertendum hìc, quòd dum invenit aliquis, vel aliàs possidet bona fide rem alienam, & expectavit per tempus notabile, juxta valorem rei de qua agitur, &

adhi-

adhibuit debitam diligentiam ad reperiendum dominum illius rei; si deinde illam distribuit pauperibus, de consilio Confessarii vel Directoris in re modica, aut de licentia Episcopi, si sit res magni valoris: non tenetur iterùm restituere, licèt processu temporis reperiatur verus rei dominus; quia possessores bonæ fidei tenentur tantùm restituere id in quo facti sunt ditiores, quādò res aliena consūpta est bona fide.

Idem videtur etiam dicendum de illis, qui cum fuerint ab initio possessores malæ fidei (quia furati erant, vel aliam commiserant injustitiam) voluerunt deinde restituere, & cum nullo modo possent invenire illum cui restitutio fieri debebat, post longam & debitam diligentiam, totam summam in opera pia impenderunt; videtur enim, quòd etiam illorum mala fides cessaverit & veluti evanuerit, ex quo parati fuerunt ad restituendum omne damnum illatum, juxta dispositionem sacrorum Canonum in similibus casibus; & reverà impleverunt, & resarcierunt meliori modo quo poterant, in talibus circumstantiis. Nam in Canone sic statuitur: *Quæ occupaverant eis, quorum fuerunt, tenentur, in integrum restituere, si habent in facultatibus unde possint ea reddere: & ipsis ex hoc est moderata pænitentia injungenda; quia licet quædam ex his quæ occupaverunt, fateantur se pauperibus erogasse, non tamen aliena (cum ipsa potuissent eis, quorum fuerunt restituere) debuerunt pauperibus erogare.* Et in alio Canone etiam expressiùs dicitur: *Si ante, sive post interdictum nostrum usuras extorserint, cogendi sunt per pœnam quam statuimus in Concilio, eas his à quibus extorserunt, vel eorum hæredibus restituere, vel his non superstitibus, pauperibus*

Cap. Sicut dignum, §. Eos, de homicidio.

Cap. Cum in, de usuris.

erogare. Cum igitur supponatur, tales in eodem casu pauperibus erogasse bonâ fide & sine culpâ, non debent cogi iterùm restituere, etiam si deinde verum dominum repererint.

Si verò res inventa sit maximi valoris & momenti, aut summa quæ bonâ vel etiam malâ fide possidetur: post debitam & possibilem diligentiam, ut reperiatur verus illius dominus, si omninò reperiri non potuerit, utilissimum esset sequi consilium Angelici Doctoris in opusculo de usuris, quod illi passim tribuitur: *Quod si fortè*, inquit, *ignorentur successores, & verisimiliter quibus facienda sit restitutio nescitur, vel fortè noscuntur esse in Locis & Regionibus longinquis, & sine spe reversionis, & sine facultate mittendi vel accedendi ad eos .... faciendum est, de consilio, Ecclesiæ; hoc tamen superaddito, quod debet ei Ecclesia promittere restitutionem faciendam, si necesse fuerit aliquando de futuro tempore, per inopinatam reversionem ipsorum, quibus de jure erat facienda*. Et hoc modo aliquoties in praxi vidimus, quòd summa debita dabatur Xenodochio, cum eâ redditionis conditione, casu quòd reperiretur dominus; quæ conditio in Libris fundationum scribebatur.

S. Tho. Opusc. 73. de usuris, c. 16.

Quæst. 21. Condonatio seu remissio illius cui aliquid solvendum vel restituendum est, eximit-ne ab onere restituendi?

Resp. Certum est, quòd si condonatio fiat cum debitis conditionibus & circumstantiis, cessat omninò obligatio restituendi: *Nam*, ut habetur in Lege Civili, *suæ quidem quisque rei moderator atque arbiter est*; & ita potest donare & remittere, quod sibi ex quâcumque causâ debetur, nisi tamen Leges id prohibeant, & in aliquo casu limi-

Leg. In re mandata, Cod. mandati vel contra.

limitent, & restringant hanc naturalem facultatem à dominio provenientem.

Quæst. 22. Quænam sunt conditiones requisitæ, ad hoc ut remissio seu condonatio sit valida, & eximat ab onere restituendi?

Resp. Requiritur 1. ut qui condonat, sit dominus rei vel summæ, & possit condonare. Unde si sit filiusfamiliâs qui non habeat bona castrensia, vel quasi-castrensia, aut pupillus, aut minor, aut Religiosus professus, aut amens, aut prodigus declaratus à Magistratu: remissio, seu condonatio regulariter non valet; ut diximus tractando de Donatione, Tom. 1. Theol. Moralis, Tract. 7. cap. 1. quæst. 5. Et id patet in diversis Legibus. Leg. *Si filiusfamiliàs*, ff. De Donationibus. Leg. *Pupillus*, ff. De acquirendo rerum dominio. Leg. *Si inter minores*, Cod. Si minor factus ratum habuerit.

Idem dicendum à fortiori, si quis remittat, quod non sibi debetur, v. g. Famulus, vel Filius, vel Procurator sine expresso mandato, remittat rem vel summam debitam domino, vel patri, vel principali, absque illorum facultate.

Idem ferè dici posset de Beneficiario, qui possidens tantùm bona Ecclesiastica, remittit debitum vel restitutionem sibi provenientem ex dictis bonis consanguineo vel alteri, qui citra inopiam posset restituere; hæc enim remissio sine legitimâ causâ facta, invalida censeri potest juxta rationem Canonis, in quo sic legitur: *Abbati vel Monacho Monasterii servum non licebit facere liberum; qui enim nihil proprium habet, libertatem rei alienæ dare non potest. Nam sicut etiam sæculi Leges sanxerunt, non potest possessio alienari, nisi à* Can. Abbati, dist. 54.

O 6 pro-

proprio domino. Clerici enim non ſunt propriè domini redditum ſuorum Beneficiorum, ut probare conatus ſum ex Conſtitutionibus Summorum Pontificum & Conciliorum, & ex conſtanti doctrinâ Sanctorum Eccleſiæ Patrum, tom. 2. Theol. Moralis, Tract. 1. cap. 1. quæſt. 4. & ſeqq. uſque ad Quæſt. 12. & toto cap. 2. ejuſdem Tractatus.

Quæſt. 23. Quænam ſunt cæteræ conditiones requiſitæ, ut condonatio ſit valida?

Reſp. Requiritur, ut condonatio non ſit à jure prohibita; varii autem ſunt caſus, in quibus à ſacris Canonibus prohibetur remiſſio ſeu condonatio; & in illis inutiliter fieret; quia hæc condonatio nulla declaratur in odium illius qui tenetur reſtituere ob delictum odioſum, quod Canones omninò impedire volunt, ob mala quæ ex eo ſequerentur.

Sic Gregorius Papa X. in Concilio Lugdunenſi, interdicit Epiſcopis, & aliis qui habent jus viſitationis, ne exigant, imò ne recipiant munera, jubens, ut ſi quid acceperint in decurſu viſitationis, ultra expenſas moderatas, reſtituant duplum intra menſem Eccleſiæ, de cujus bonis munera acceperunt: *Nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura*.

Cap. Exigit, de cenſibus, exactionibus, & procurationibus in 6.

Statuitur etiam, ut Judices Eccleſiaſtici delegati non poſſint aliquid recipere à partibus præter res comeſtibiles, quæ intra paucos diei conſumi poſſint, quando ipſis ſpontè offeruntur; & quòd ſi quis Judex hanc Conſtitutionem violaverit, teneatur omninò reſtituere: *Si quid autem contra Conſtitutionem præſentem receperit, ad ipſius reſtitutionem integram teneatur, nulla eorum*

Cap. Statutum, §. Si quid de reſcript. in 6.

qui-

quibus restitutio facienda fuerit, remissione ullatenùs profutura eidem. Et in alia Decretali habetur: *Donec illi à quibus extorserint planè satisfecerint de pecunia sic extorta; nullis privilegiis, pactis, aut remissionibus super hoc valituris.* Cap. Nolentes, de hæreticis. In Clem.

Demùm Concilium Tridentinum decernit, ut Canonici, & alii Choro addicti, priventur distributionibus pro tempore absentiæ, quâvis condonatione prohibitâ: *Reliqui*, inquit, *quavis collusione aut remissione exclusa, his careant.* De hac materia fusiùs tractavi Tom. 2. Theologiæ Moralis, Tr. 1. cap. 7. q. 6. & 7. Concil. Trid. sess. 24. de ref. cap. 12.

Quæst. 24. Condonatio facta per metum vel fraudem, est-ne valida?

Resp. Condonationes, seu remissiones possunt esse nullæ, & consequenter non eximere ab onere solvendi aut restituendi, si factæ fuerint per vim, metum, vel fraudem; quia in his casibus liberæ non sunt. Unde sanctus Bernardinus Senensis de ejusmodi condonationibus distinctè loquens: *Propterea*, inquit, *ad hoc quod liberè fiant, & valeant apud Deum, sunt necessaria ex parte indulgentiam largientis seu remissionem facientis. Primò quod non fiant ex metu, sicut indulgere ac remittere solent subditi terrarum dominis, aut quibuscumque potentibus, quos creditores formidant, si ad petitionem eorum eis non remittant debita sua. Secundò quod non fiant ex verecundia, sicut plerumque usurariis fieri solet; nam si alii mediatores vel Confessores, sub pietatis ac discretionis prætextu, creditoribus talibus utuntur verbis, vel modis, quod illi ex verecundia moti atque coacti, non ex libera voluntate, partem vel totum remittunt: quod coram Deo utique non valet. Tertiò quod non fiant ex desperatione, nam plerique indulgent & remittunt partem* S. Bernard. ser. 40. in Sabb. post Dominicâ 4. in Quad. ar. 2. c. 3.

tem vel totum, quia de satisfactione & solutione desperant.

In hujusmodi casibus condonationes invalidæ sunt, quia non sunt liberæ, & quia, juxta omnia jura: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debet*. Unde etiam Sanctus Antoninus rectè observat, quòd *ubi certum & clarum est debitum, & ratio usurarum vel alterius usurpationis; nisi creditor remittat, etiam si de mille decem tantùm remitteret: si hoc facit, quia putat se aliter non posse residuum habere, nihil valet illa remissio facta ex publico pacto quoad animam. Unde cum mercator infortunia passus, fallit, & occultans multa ex bonis suis mobilibus, ut non perveniant ad manus creditorum, quærit compositionem cum eis de minori quantitate quam debeat: putà promittit respondere singulis creditoribus ad rationem quindecim solidorum pro libra, cum tamen posset totum dare vel cedere bonis: cui compositioni assentiunt creditores, & ita recipientes, liberant eum de residuo. Certum est, quia quoad Deum adhuc tenetur de residuo: cum illi non spontè, sed coactè fecerint illam remissionem, volentes potiùs illa parte carere, quàm toto. Quin imò & si cederet bonis totaliter nihil sibi reservando, & non sufficiunt bona illa ad satisfaciendum; si postea pervenerit ad pinguiorem fortunam, tenetur de residuo.* Cap. *Odoardus.* Extra. *De solutionibus.* *Cap.* Officii. *De Testamentis.*

S. Ant. p. 2. tit. 2. cap. 4. §. 1.

Hæc omnia apertè demonstrant, remissiones seu condonationes illorum cui restitui vel solvi aliquid debet, sæpiùs coram Deo, qui *scrutator est cordium & cognitor secretorum*, esse inutiles & nullas; & idcircò sedulo observandum in praxi, ut illis quis non utatur, nisi qualitates superiùs requi-

quisitas habeant, & præsertim sint reverâ liberæ, & immunes à fraude, errore, & violentiâ.

TRACTATUS NONUS.

De octavo Decalogi Pracepto.

CAPUT PRIMUM.

De rebus quæ hoc Pracepto prohibentur.

Quæst. 1. QUibusnam verbis exprimitur hoc prçceptum in Scriptura?

Resp. Hoc præceptum in Exodo paucis admodùm verbis exprimitur, ut etiam pleraque alia præcepta, licèt reverâ magnas obligationes includat, ut infra videbimus: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Exod.c.20. 15.

Quæst. 2. Hoc præceptum est-ne positivum, an negativum?

Resp. Non est necesse hìc repetere, quòd præcepta affirmativa ea sunt, quæ nobis aliquid præcipiunt agendum, V. g. ut honoremus parentes: & quòd negativa dicuntur ea quæ prohibent, ne aliquid agamus, v. g. ne occidamus, furemur & ejusmodi; ut fusiùs explicuimus Tomo 6. hujusce Theologiæ Moralis, Tractatu 2. in

in principio. Hoc posito, dicere possumus, quòd hoc octavum Decalogi Præceptum est affirmativum & negativum; quia negativum est, dum expressè prohibet, ne falsum feramus testimonium; positivum autem, dum jubet, ut veritatem sectemur, dum loquimur. Id nobis demonstratur in Catechismo Romano his verbis: *Verùm hoc præcepto eadem ratione & via progrediendum est qua in cæteris progressi sumus, ut videlicet animadvertantur in eo duæ Leges: Altera prohibens, ne falsum dicatur testimonium: jubens altera, ut simulatione fallaciisque sublatis, dicta & facta nostra simplici veritate metiamur; cujus officii Apostolus Ephesios illis verbis admonuit:* Veritatem facientes in charitate, crescamus in illo per omnia.

Catech. Concil. Trident. p.3.de 8. Præcepto, num. 5.

Quæst. 3. Quænam hoc præcepto prohibentur?

Resp. Non solùm prohibet Deus, ne committamus injustitiam in externis judiciis, sive per falsa testimonia, sive per falsificationes scripturarum, quæ valent in judiciis; sed etiam vetat quamlibet detractionem, calumniam, imò & omne judicium temerarium, & quodlibet mendacium. Quare ut explicemus omnes & singulas nobis hoc præcepto impositas obligationes, agemus 1. de Mendacio. 2. de Falso testimonio. 3. de Calumnia & detractione. 4. denique de judiciis temerariis.

CAPUT II.

De Mendacio.

Quaest. 1. QUid est mendacium?
Resp. *Mendacium*, ex S. Augustino, *est falsa significatio cum voluntate fallendi*. Et *omnis qui mentitur, contra id quod sentit loquitur, voluntate fallendi*. Et ita primâ fronte videtur, quòd duo requiruntur ad mendacium, scilicet enunciatio externa voce aut scripto facta, aut etiam quovis alio signo; quae enunciatio contraria sit cogitationi nostrae: & voluntas aut consilium his signis utendi ad fallendum proximum, dum ei suadere conamur, quòd aliquid verum sit, quod reverâ falsum esse novimus. Attamen licèt haec fallendi voluntas regulariter & aliquo modo inveniatur in mendacio; non est absolutè ad mentiendum necessaria: quia etiam, juxta eundem Augustinum, *ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud in verbis vel quibuslibet significationibus enunciat; unde duplex cor dicitur esse mentientis.*

S. August. lib. contra mendac. cap. 12. Idem in Enchir. de fide, spe, & charitate. cap. 22. S. August. lib. de mendacio, c. 3.

Si enim intentio fallendi esset absolutè necessaria ad mendacium, mendacia jocosa, & incogitanter seu temerè dicta, aut quae proferuntur ad vitandum alicujus dolorem, & illa quae dicuntur etiam si fides eis non adhibeatur, & hujusmodi, non essent propriè mendacia; quod certè contrarium est non solùm doctrinae Sancti Augustini; sed etiam Angelici Doctoris: *Quod autem*, inquit, *aliquis intendat falsitatem in opinione alterius constituere fallendo ipsum, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quamdam perfectionem ipsius*. Et paulò

S. Tho. 2. 2. q. 110. ar. 1. in corp.

Ibid. ad 3. Paulò post idem Angelicus Doctor expressè ait: *Cupiditas fallendi pertinet ad perfectionem mendacii, non autem ad speciem ipsius: sicut nec aliquis effectus pertinet ad speciem suæ causæ.*

Quæst. 2. Est-ne idem, dicere rem falsam, & mentiri? vel potiùs, mentiuntur-ne omnes, qui dicunt falsitatem?

Resp. Hæc inter se multùm differunt; nam potest dici falsum sine mendacio, si ita dicatur, quia verum putatur; V. g. si quis dicat, primam sonuisse horam, quia fidem alteri ita dicenti adhibuit. Potest etiam quis mentiri, verum dicendo; ut si quis rem asserat ita se habere, licèt aliter sentiat, & verba sua verum, contra propriam asserentis opinionem, contineant. Ideo si quis putans Petrum hominem probum, dicat tamen esse improbum, aut furem: reverâ mentitur, etiam si Petrus improbus factus fuerit & fur; quia constat id dictum fuisse contra propriam loquentis opinionem, & cum intentione fallendi. Id luculenter explicat Sanctus Raymundus, authoritati sacrorum Canonum, pro more suo, innixus.

S. Raym. in summa lib. 1. tit. de mendacio, & adulatione. §. 2. *Non omnis*, inquit, *qui mentitur, dicit falsum; imò aliquando dicit verum, licèt intendat dicere falsum: & è converso non omnis qui dicit falsum, mentitur; imò aliquando credit dicere verum, licet dicat falsum. Ergo qui mentitur, semper fallit voluntate, licet quandoque fallatur in facti veritate; & ideo semper peccat; quia ream linguam non facit nisi rea mens.* 22. q. 2. Homines. *Qui verè dicit falsum, non semper peccat; aliquando enim dicit falsum cum intentione fallendi, & tunc est peccatum & mendacium: aliquando dicit falsum, & credit dicere verum; & tunc si adhibuit diligentiam debitam, non peccat;*

sin autem, saltem peccat venialiter. 22. q. 2. Homines. *Qui autem dicit mendacium, semper peccat.*

Quæst. 3. Mendacium potest-ne esse licitum in aliquo casu?

Resp. Huic quæstioni dilucidè respondet S. Augustinus: *Cum*, inquit, *verba propterea instituta sint, non per quæ se invicem homines fallant, sed per quæ quisque in alterius notitiam cogitationes suas proferat: Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est. Nec ideo ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo; Possumus enim & furando, si pauper cui palam datur, sentit commodum: & dives cui clam tollitur, non sentit incommodum; nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum.* S. August. In Enchir. de fide, spe, & charitate. Cap. 22. refertur in Can. Is autē. 22. q. 2.

Et ita concludendum est, quòd sicut furtum nunquam potest esse licitum, (quia etiamsi non peccetur, quando aliquid accipitur in extrema necessitate; hæc actio solummodò à peccato eximitur, quia furtum non involvit, cum in extrema necessitate omnia communia fiant) ita mendacium nunquam potest esse sine peccato; eò magis quòd etiam si in extrema necessitate proferatur, est tamen semper verum mendacium. Unde egregiè S. Augustinus: *Non ideo*, inquit, *mendacium poterit aliquando laudari, quia nonnumquam pro salute quorumdam mentimur: peccatum ergo est, sed veniale quod benevolentia excusat, & ideo fallacia damnat.* S. Aug. ib.

Illius doctrinæ rationem explicat Angelicus Doctor, dum sic loquitur: *Illud quod est secundùm se malum ex genere, nullo modo potest esse bonum & licitum; quia ad hoc quod aliquid sit bonum, requiritur quod omnia* S. Tho. 2. 2. q. 10. a. 3. in corp.

rectè concurrant: bonum enim est ex integræ causa, malum verò est ex singularibus defectibus. Vt Dionysius dicit, 4. Cap. De Divinis nominibus. *Mendacium autem est malum ex genere; est enim actus cadens super indebitam materiam: cum enim voces naturaliter sint signa intellectuum, innaturale est & indebitum, quod aliquis voce significet id quod non habet in mente; unde Philosophus dicit* in 4. Ethicor. *quod mendacium est per se peccatum, & fugiendum; verum autem est bonum & laudabile. Vnde omne mendacium est peccatum, sicut etiam Augustinus asserit in Libro contra medacium*. Sanctus Bonaventura huic veritati adstipulatur, dicens: *Absque dubio omne mendacium est peccatum, & adeo est ipsi mendacio essentiale esse peccatum, ut nullo pacto, nullo fine, nulla dispensatione, nec humana nec divina, possit fieri benè*.

S. Bonav. in 3. sent. dist. 38. a. 1. qu. 2. in corp.

Quæst. 4. Quid fieri potest, dum nullo alio modo potest vita proximi salvari, aut etiam salus ejus æterna procurari, quàm mendacium proferendo?

Resp. Si validæ tantùm adessent rationes ad probandum, ne quidem in his urgentissimis casibus posse nos mentiri: Si Divinâ ita disponente providentiâ, sancti Patres & Ecclesiæ Doctores de hac materia fusè & ex professo non tractassent; sique præsertim Sanctus Augustinus sigillatim non respondisset iis omnibus objectionibus quibus humana infirmitas multùm in plurium animis robur addit: fatendum est, difficile admodùm hanc veritatem, contra tot proprii ingenii præjudicia, suaderi potuisse. Sed dum Christianis loquimur, nihilque dicimus, quod priùs à sanctis Patribus, non cursim, sed in plenis dissertationibus eâ de re habitis, assertum non fuerit:

fuerit: magna certè spes affulget, veritates talibus testimoniis roboratas, omnem humanarum mentium resistentiam procul ablaturas.

Sanctus Augustinus hanc difficultatem sibi his verbis proponit: *Quomodo apud homines, qui procul dubio si falluntur, avertuntur à pernicie vel aliena vel sua, periclitantibus subvenitur hominibus, si nos humanus ad mentiendum non inclinet affectus?* Si Doctores quidam neoterici hoc modo interrogarentur, facilè juxta propria principia responderent, quòd in hujusmodi casibus æquivocatione aut restrictione mentali utendum est: & dicere v. g. hominem non esse in tali loco, subintelligendo, aut etiam submissâ voce dicendo, *ut occidatur*: Vel, hoc non feci, subintelligendo, *ut tibi dicerem*, & hujusmodi. Sed quia S. Augustinus talia ignorabat principia, & puriori omninò doctrinâ fulgebat, sic respondet: S. August. lib. contra mendac. cap. 19.

Si patienter me audiat turba mortalitatis, turba infirmitatis, respondebo aliquid pro negocio veritatis. Certè pia, vera, sancta castitas non nisi ex veritate est, & quisquis adversus eam facit, profectò adversus veritatem facit. Cur ergo & si non possit aliter periclitantibus subveniri, non committo stuprum, quod ideo est contrarium veritati, quia contrarium est castitati? Et ut periclitanti subveniatur, loquor mendacium, quod ipsi apertissimè est contrarium veritati? Quid apud nos tantùm promeruit castitas, & offendit veritas; cum omnis ex veritate sit castitas, & sit non corporis, sed mentis castitas, verітasque in mente habitet, sicut etiam corporis castitas?

Postremò quod paulò ante dixi, & iterùm dico, quisquis mihi pro persuadendo & de-

defendendo ullo mendacio contradicit, quid dicit, si verum non dicit? Si autem propterea est audiendus, quoniam verum dicit; quomodo me vult facere, verum dicendo, mendacem? Quomodo mendacium patronam sibi adhibet veritatem? An adversario suo vincit, ut à se ipsa vincatur? Quis hanc absurditatem ferat? Nullo ergo modo dixerimus, eos qui asserunt aliquando esse mentiendum, id asserendo, esse veraces; ne, quod est absurdissimum & stultissimum credere, veritas nos doceat esse mendaces.

Quale est enim, ut esse adulterandum nemo discat à castitate, Deum offendendum nemo discat à pietate, cuiquam nocendum nemo discat à benignitate, & esse mentiendum discamus à veritate? Porrò si hoc non docet veritas, non est verum: si non est verum, non est discendum: si non est discendum, nunquam est igitur mentiendum.

Ibid. c. 20. *Sed aliquando*, prosequitur idem S. Doctor, *nobis ipsius quoque salutis æternæ periculum opponitur, quod nostro mendacio, si aliter non potest, depellendum esse clamatur: velut si quisquam baptizandus in potestate sit impiorum atque infidelium constitutus, ad quem perveniri non possit, ut lavacro regenerationis abluatur, nisi deceptis mentiendo custodibus. Ab hoc individiosissimo clamore, quo cogimur non pro cujusquam opibus, vel honoribus in hoc sæculo transcurrentibus, non pro ipsa hujus temporis vita, sed pro æterna hominis salute mentiri, quo confugiam nisi ad te veritas? & mihi abs te proponitur castitas.*

Cur enim si custodes isti, ut nos ad baptizandum hominem admittant, stupro illici possunt, non facimus contraria castitati: & si mendacio decipi, facimus contraria veritati: cum procul dubio nulli esset amabilis castitas, nisi

nisi eam præciperet veritas? Proinde ut perveniatur ad hominem baptizandum, fallantur mentiendo custodes, si hoc jubet veritas. Sed quomodo jubeat veritas, ut homo baptizetur, esse mentiendum, si non jubet castitas, ut homo baptizetur, esse mæchandum? Cur autem hoc non jubet castitas, nisi quia hoc non docet veritas? Si ergo nisi quod veritas docet, facere non debemus: cum veritas doceat, nec propter hominem baptizandum, facere quod contrarium est castitati: quomodo nos docebit facere, propter baptizandum hominem, quod ipsi contrarium est veritati?

Sed sicut oculi ad intuendum solem parùm firmi, ea tamen quæ à sole illustrantur, libenter intuentur: sic animæ jam valentes delectari pulchritudine castitatis, non tamen omninò per se ipsam considerare veritatem, unde lucet castitas, possunt, ut cum ventum fuerit ad faciendum aliquid quod adversum est veritati, ita refugiant & exhorreant, quemadmodum refugiunt & exhorrent, si faciendum aliquid proponatur, quod adversum est castitati. Ille autem filius, qui verbum suscipiens, à perditione longè aberit, & nihil falsi ex ejus ore procedit, tam sibi clausum deputat, si ad subveniendum homini per mendacium, quàm si per stuprum transire cogatur. Et Pater exaudit orantem, ut valeat sine mendacio subvenire, cui vult pater ipse, cujus inscrutabilia sunt judicia, subveniri.

Præsertim cum perspicuum sit, Deum nostrâ operâ non indigere, ut ea quæ decrevit impleat: *Numquid DEUS indiget mendacio vestro, ut pro illo loquamini dolos?* Iob.c.13.7.

Demùm idem Sanctus Augustinus hanc quæstionem breviter resolvit, dicens: *Nec enim rectè testimonii veritas, pro cujusquam temporali commodo ac salute corrumpitur: ad* S. August. lib. de mendacio, c. 21. refertur in

sem-

Can. Primum, 22. q. 2. *sempiternam verò salutem, nullus dicendus est opitulante mendacio*. Hunc Doctorem sequens S. Isidorus Hispalensis: *Omne*, inquit, *genus mendacii summoperè fuge, nec qualibet fallacia vitam alicujus defendas. Cum*, ut docet Alexander III. *Scriptura sacra prohibeat pro alterius vita mentiri.*

S. Isidor. Cap. de mendacio refertur in Can. Omne, 22. q. 2.

Alex. III. In Conc. Later. 3. refertur in Cap. Super eo, de usuris.

Quæst. 5. Quid responderi potest objectioni quæ plerumque sumitur ex variis exemplis in Scriptura sacra relatis, quibus constare videtur, sanctos in quibusdam casibus mentitos fuisse?

Resp. Pleraque hujuscemodi præsumpta mendacia, à Sanctis excusantur Patribus, qui probant, vera non fuisse mendacia; & etiamsi omnia Sanctorum verba à falsitate immunia non crederentur, non ideò sequeretur imitandos esse in talibus; nemo enim unquam asseruit, Sanctos impeccabiles omninò fuisse, aut non potuisse per inadvertentiam in aliquod veniale peccatum incidere.

S. August. contra mendac. c. 15.

Quapropter, ut docet Sanctus Augustinus, *quando nobis de Scripturis sanctis mentiendi proponuntur exempla: aut mendacia non sunt, sed putamus esse, dum non intelliguntur: aut si mendacia sunt, imitanda non sunt, quia justa esse non possunt.*

Sed quod scriptum est, benè Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Rahab Hiericontina meretrice: non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt. Non est itaque in eis remunerata fallacia, sed benevolentia: benignitas mentis, non iniquitas mentientis. Sicut enim mirum absurdumque non esset, si alio priùs tempore commissa ab eis aliqua opera mala, Deus propter posteriora opera bona vellet ignoscere: ita mirandum non est, quòd uno tempore in una causa Deus utrumque conspiciens,

ciens, id est factum misericorditer factumque fallaciter, & bonum remuneravit, & propterhoc bonum, malum illud ignovit.

Restat itaque, ut intelligamus, illis mulieribus vel in Ægypto, vel in Iericho pro humanitate & misericordia redditam fuisse mercedem utique temporalem, quæ quidem & ipsa æternum aliquid etiam illis nescientibus Prophetica significatione figuraret. Verum autem sit aliquando vel pro cujusquam salute mentiendum, cum quæstio sit, in qua dissolvenda etiam doctissimi fatigantur, valde illarum mulierculamm in illis populis constitutarum, & illis moribus assuetarum, excedebat modum.

Itaque hanc earum ignorantiam, sicut aliarum rerum quas pariter nesciebant, sed sciendæ sunt à filiis non hujus sæculi, sed futuri, Dei patientia sustinebat: qui tamen eis pro benignitate humana, quam famulis ejus impenderant, quamvis cæleste aliquid significantia, præmia terrena reddebat. Et Rahab quidem ex Iericho liberata, in Dei populum transitum fecit: ubi proficiens posset in æterna, & immortalia munera pervenire; quæ nullo sunt quærenda mendacio.

Tunc tamen quod illud opus bonum, & pro suæ vitæ conditione laudabile Israelitis exploratoribus præstitit, nondum erat talis, ut ab ea exigeretur, sit in ore vestro, Est, est: Non, non: *obstetrices autem illæ quamvis Hebrææ, si secundùm carnem tantummodo sapuerunt: quid aut quantum est quod eis profuit remuneratio temporalis, quia fecerunt sibi domos, nisi proficiendo pertinuerint ad eam domum, de qua Deo cantatur:* Beati qui habitant in domo tua, in sæcula sæculorum laudabunt te! *Multùm autem fatendum est propinquare justitiæ, & quamvis re ipsa nondum, jam tamen spe atque indole animum esse*

laudandum, qui nunquam nisi hac intentione mentitur, quia vult prodesse alicui, nocere autem nemini.

Sed nos cum quærimus, sit-ne boni hominis aliquando mentiri, non de homine quærimus adhuc ad Ægyptum, vel ad Iericho, vel ad Babyloniam pertinente, vel adhuc ad Hierusalem terrenam, quæ servit cum Filiis suis: sed de cive illius civitatis, quæ sursum est libera, mater nostra, æterna in cœlis. Et respondetur quærentibus nobis, omne mendacium non est ex veritate. Filii autem illius civitatis, Filii sunt utique veritatis. Ejus civitatis Filii sunt, de quibus scriptum est: In ore eorum non est inventum mendacium. *Ejus civitatis Filius est, de quo item scriptum est:* Verbum suscipiens Filius, à perditione longè aberit. *Excipiens autem excepit illud sibi, & nihil falsi ex ejus ore procedit.*

His Filiis supernæ Hierusalem & Sanctæ civitatis æternæ, si quando ut hominibus obrepit qualecumque mendacium, poscunt humiliter veniam, non inde quærunt insuper gloriam.

Sed dicet aliquis, ergo-ne obstetrices illæ atque Rahab meliùs fecissent, si nullam misericordiam præstitissent, nolendo mentiri? imò verò ille mulieres Hebrææ, si essent tales de qualibus quærimus, utrum sit eis aliquando mentiendum, nec aliquid falsi dicerent, & fœda ministeria de parvulis occidendis liberrimè recusarent. Sed inquies, ipsæ morerentur. At vide quid sequatur; morerentur enim cœlestis habitationis incomparabiliter ampliore mercede, quàm domus illæ, quas sibi fecerunt, in terra esse potuerunt. Morerentur enim futuræ in æterna felicitate, mortem perpessæ pro innocentissima veritate. Quid illa in Iericho? Numquid hoc posset? Nonne si

quærentes cives mentiendo non falleret, verum dicendo latentes hospites proderet? An posset interrogantibus dicere, scio ubi sunt, sed Deum timeo, non eos prodo? Posset hoc quidem dicere, si jam esset vera Israelita, in qua dolus non esset: quod futura erat per misericordiam Dei transiens ad civitatem Dei.

Verùm illi hoc audito, inquies, illam perimerent, domum scrutarentur. Sed nunquid consequens erat, ut illos etiam quos diligenter occultaverat, invenirent? Prospexerat enim cautissima mulier, & ibi eos posuerat, ubi latere potuissent, etiamsi mentienti creditum non fuisset. Ita & illa, si tamen à suis civibus esset occisa, pro misericordi opere, vitam istam finiendam, preciosa in conspectu Domini morte finisset, & erga illos Beneficium inane non fuisset.

Sed, inquies, quid si, & ad illud locum ubi eos occultaverat, ii à quibus quærebantur perscrutando omnia pervenissent? Isto modo dici potest, quid si mulieri vilissimæ atque turpissimæ non solùm mentienti, verùm etiam pejeranti credere noluissent? nempè etiam sic consecutura fuerat, quæ timendo mentita est.

Et ubi ponimus voluntatem ac potestatem Dei? An fortè non poterat & illam nec civibus suis mentientem, nec homines Dei prodentem, & illos suos ab omni pernicie custodire? A quo enim & post mulieris mendacium custoditi sunt, ab eo potuerunt; etsi illa mentita non esset, utique custodiri. Nisi fortè obliti sumus hoc fuisse in Sodomis factum, ubi masculi in masculos nefanda libidine accensi, nec ostium domus, in qua erant quos quærebant, invenire potuerunt, quoniam vir justus in causa omnino simillima pro suis hospitibus mentiri noluit, quos esse Angelos nesciebat, & vim morte pejorem ne paterentur timebat. Et certè poterat talia respondere quærentibus,

qualia in Iericho mulier illa respondit. Nam prorsus similiter, & illi interrogando quaesierunt. Sed homo justus noluit pro corporibus hospitum animam suam suo mendacio maculare, pro quibus voluit corpora filiarum alienae libidinis iniquitate vim perpeti.

Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum salute quod potest. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando in reliquum esse perspexerit, quod non rectè faciat.

Proinde Rahab in Ierico, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos ubi potuit occultavit, quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernae Hierusalem civibus imitanda laudetur. Quòd autem mentita est, etiamsi aliquid ibi Propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur: quamvis Deus illa bona memorabiliter honoraverit, hoc malum clementer ignoverit.

Quae cum ita sint, quoniam nimis longum est omnia pertractare, quae in illo libro dicta sunt posita velut imitanda exempla mentiendi, ad hanc regulam mihi videntur non solum ista, verùm etiam siqua sint talia redigenda: ut aut quod esse creditur, ostendatur non esse mendacium; sive ubi tacetur verum, nec dicitur falsum: sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi, quod genus figuratorum, vel dictorum, vel factorum, abundat in Propheticis libris: aut quae convincuntur esse mendacia, non esse imitanda demonstrentur, & siqua nobis ut alia peccata surrepserint, non eis tribuendam justitiam, sed veniam postulandam. Hoc quidem mihi videtur: & ad istam sententiam me superiùs disputata compellunt.

Quaest.

Quæst. 6. Sed numquid videmus in Scriptura sacra, Deum remunerasse obstetrices Ægyptiacas, ob delusum ab eis Pharaonem? Quod si ita sit, nonne inde inferendum est, mendacium, in quibusdam casibus valdè urgentibus, posse fieri licitum?

Resp. Huic quæstioni accuratè respondet sanctus Gregorius, his verbis: *Nonnulli de obstetricum fallacia conantur asserere, hoc mendacii genus non esse peccatum: maximè quod illis mentientibus scriptum est, quia ædificavit illis Dominus domos. In qua magis recompensatione cognoscitur, quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, pro admissa culpa mendacii, in terrenam est recompensationem declinata: ut in vita sua quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt, bona reciperent: & ulteriùs quod expectarent, mercedis suæ præmium non haberent.* S. Greg. Papa Mor. lib. 18. c. 4. in 27. cap. Job.

Nam si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt, non intentione mercedis. Parcendo quippè conatæ sunt infantium vitam tegere, mentiendo, suam. Et licèt in Testamento veteri non nulla possint talia reperiri, penè nunquam tamen hoc, vel tale genus mendacii à perfectis admissum, studiosus ibi Lector inveniet: quamvis mendacium quamdam tenere veritatis imaginem videatur, & sub veteri forsitan Testamento minoris culpæ esse potuit, in quo per taurorum hircorumque victimas, sacrificium non fuit ipsa veritas, sed umbra veritatis. Nam in Testamento novo præceptis altioribus manifestata per carnem veritate proficimus, justumque est, ut facta quædam quæ in illo populo umbræ veritatis deservierant, deseramus. Si quis verò per Testamentum vetus vult suum tueri mendacium, quia minus illic quibusdam

qualia in Iericho mulier illa respondit. Nam prorsus similiter, & illi interrogando quæsierunt. Sed homo justus noluit pro corporibus hospitum animam suam suo mendacio maculari, pro quibus voluit corpora filiarum alienæ libidinis iniquitate vim perpeti.

Faciat ergo homo etiam pro temporali hominum salute quod potest. Cum autem ad hunc articulum ventum fuerit, ut tali saluti consulere nisi peccando non possit, jam se existimet non habere quid faciat, quando in reliquum esse perspexerit, quod non rectè faciat.

Proinde Rahab in Ierico, quia peregrinos homines Dei suscepit hospitio, quia in eorum susceptione periclitata est, quia in eorum Deum credidit, quia diligenter eos ubi potuit occultavit, quia per aliam viam remeandi consilium fidelissimum dedit, etiam supernæ Hierusalem civibus imitanda laudetur. Quòd autem mentita est, etiamsi aliquid ibi Propheticum intelligenter exponitur, non tamen imitandum sapienter proponitur: quamvis Deus illa bona memorabiliter honoraverit, hoc malum clementer ignoverit.

Quæ cum ita sint, quoniam nimis longum est omnia pertractare, quæ in illo libro dicta sunt posita velut imitanda exempla mentiendi, ad hanc regulam mihi videntur non solum ista, verùm etiam si qua sint talia redigenda: ut aut quod esse creditur, ostendatur non esse mendacium; sive ubi tacetur verum, nec dicitur falsum: sive ubi significatio verax aliud ex alio vult intelligi, quod genus figuratorum, vel dictorum, vel factorum, abundat in Propheticis libris: aut quæ convincuntur esse mendacia, non esse imitanda demonstrentur, & si qua nobis ut alia peccata surrepserint, non eis tribuendam justitiam, sed veniam postulandam. Hoc quidem mihi videtur: & ad istam sententiam me superiùs disputata compellunt.

Quæst.

Quæst. 6. Sed numquid videmus in Scriptura sacra, Deum remunerasse obstetrices Ægyptiacas, ob delusum ab eis Pharaonem? Quod si ita sit, nonne inde inferendum est, mendacium, in quibusdam casibus valdè urgentibus, posse fieri licitum?

Resp. Huic quæstioni accuratè respondet sanctus Gregorius, his verbis: *Nonnulli de obstetricum fallacia conantur asserere, hoc mendacii genus non esse peccatum: maximè quod illis mentientibus scriptum est, quia ædificavit illis Dominus domos. In qua magis recompensatione cognoscitur, quid mendacii culpa mereatur. Nam benignitatis earum merces, quæ eis in æterna potuit vita retribui, pro admissa culpa mendacii, in terrenam est recompensationem declinata: ut in vita sua quam mentiendo tueri voluerunt, ea quæ fecerunt, bona reciperent: & ulteriùs quod expectarent, mercedis suæ præmium non haberent.* S. Greg. Papa Mora lib. 18. c. 4. in 27. cap. Iob.

Nam si subtiliter perpendatur, amore vitæ præsentis mentitæ sunt, non intentione mercedis. Parcendo quippè conatæ sunt infantium vitam tegere, mentiendo, suam. Et licèt in Testamento veteri non nulla possint talia reperiri, penè nunquam tamen hoc, vel tale genus mendacii à perfectis admissum, studiosus ibi Lector inveniet: quamvis mendacium quamdam tenere veritatis imaginem videatur, & sub veteri forsitan Testamento minoris culpæ esse potuit, in quo per taurorum hircorumque victimas, sacrificium non fuit ipsa veritas, sed umbra veritatis. Nam in Testamento novo præceptis altioribus manifestata per carnem veritate proficimus, justumque est, ut facta quædam quæ in illo populo umbræ veritatis deservierant, deseramus. Si quis verò per Testamentum vetus vult suum tueri mendacium, quia minus illic quibusdam

fortasse nocuerit, dicat, nec esse rerum alienarum raptum, & retributionem injuriæ, quæ infirmis illic concessa sunt, sibi nocere non posse. Quæ omnia cunctis liquet quanta animadversione veritas insequitur, quæ nobis jam, significationis suæ umbra postposita, in vera carne declaratur.

Jam superiùs vidimus, sanctum Augustinum in eodem planè sensu respondisse hujusmodi objectioni, sicut & aliis quæ ex variis exemplis in Scriptura sacra relatis elici possunt. Sanctus Thomas & sanctus Bonaventura, potiora Theologiæ Scholasticæ lumina, sibi easdem difficultates proponunt, & non secùs ac sanctus Augustinus sanctusque Gregorius, eas dissolvunt: *Dicendum*, inquit sanctus Thomas, *quod in Scriptura sacra, ut Augustinus dicit, inducuntur aliquorum gesta quasi exempla perfectæ virtutis, de quibus non est æstimandum eos fuisse mentitos: si quæ tamen in eorum dictis appareant, quæ mendacia videantur, intelligendum est, ea figuraliter & prophetice dicta esse*, &c.

S.Tho.2.2. q. 110. art. 3. ad 3.

Ad illud quod objicitur, inquit sanctus Bonaventura, *in contrarium per exempla veteris Testamenti de mendacio Abrahæ, Isaac, & Ioseph, dicendum, quod nullus eorum mentitus est*, &c.

S.Bonav. in 4. sent. dist.18. ar. 1.q.2.ad 1.

Quare cum celebri Concilio Coloniensi dicere possumus: *Certè Christiano homini potius expectanda mors fuerit, quàm ut fidem fallat, aut ut mentiatur, vel apud impios, etiam pietatis causa. Nam sibi quisque dictum putare debet, quod Ecclesiastici 7. scribitur*, Noli velle mentiri omne mendacium: *Deinde omninò cavendum Christiano, ne mendacio pietatis causam prætexat. Paulus ait:* Si veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipsius, quid adhuc

Institutio compendiosa doctrinæ Christianæ in Concil. Coloniēsi an.1536.in explicat. Decalog. 8. Præcepto.

huc ego tanquam peccator judicor? & non sicut blasphemamur, & sicut ajunt quidam nos dicere, faciamus mala, ut eveniant bona, quorum damnatio justa est.

Quæst. 7. Nonne in urgentibus & fastidiosis occasionibus, uti possumus æquivocationibus aut restrictionibus mentalibus, ut aliqua magni momenti veritas occultetur, & effugiamus periculosum aliquod negotium?

Resp. Ut huic quæstioni, quam sæculi corruptio difficilem reddit in praxi, responderi possit: necesse est, ut breviter explicemus, quid intelligatur per æquivocationem, amphibologiam, vel restrictionem mentalem. Ut plurimùm hæc confunduntur, & in eodem planè sensu accipiuntur, licèt æquivocatio fiat communiter in uno vocabulo, & amphibologia in plurium copulatione verborum. Et per hæc intelligunt homines usum quorumdam verborum, aut cujusdam loquendi modi ambigui, & sub duplici sensu: cum hac intentione, ut ille, ad quem dirigitur sermo, hæc verba intelligat in eo sensu qui non est conformis veritati. Illæ autem æquivocationes differunt inter se, quia quædam veræ tantùm sunt in uno sensu, quem difficilè & raro admodùm admittunt: aliæ verò quasi æqualiter admittere possunt sensum verum, & sensum falsum, v. g. hæc verba: *Hic homo est festivus*, possunt æquè designare, quòd talis sit ad hilaritatem pronus; aut quòd sit irrisor & mordax. Sed è contra, quando dicitur: *Hic homo respicit tantummodò Ecclesiæ bonum*: frequentiùs hæc verba in bonam partem accipiuntur; quamvis etiam possint de eo intelligi, qui id unum intendit, ut ex bonis Ecclesiæ ditescat.

Quantùm verò ad restrictionem mentalem, tunc fit, quando post prolata verba quæ rem falsam exprimunt, subintelliguntur alia verba, quæ simul unita possunt reddere orationem veram, v. g. si dicam, *Fui Romæ*, licèt verè non fuerim; sed subintelligo hæc verba: *Dico quod*, quæ unita cum aliis: *Fui Romæ*, faciunt verum sensum. Vel si volens significare me hodie non vidisse talem hominem, dico: *Non vidi talem hominem hodie*, subintelligendo: *ut tibi dicam*, vel: *apud antipodas*. Et hujusmodi. Notandum tamen est, sæpiùs per amphibologias aut æquivocationes, intelligi etiam restrictiones mentales.

His positis, videtur, quòd quando quis utitur his æquivocationibus, aut amphibologiis, aut etiam restrictionibus mentalibus, sciens se hoc modo alteri significare aliquid suæ menti & veritati contrarium, semper committit mendacium, & consequenter peccat, cùm mendacium sine peccato esse non possit, ut supra dictum est. Id autem facilè probari potest, quia certum est, quòd tunc quis vult per sua verba significare rem diversam ab ea quæ in mente est, & quòd sic reverà habet duplex cor.

S. Aug. De mendacio, c. 3.

Id etiam expressè asseritur à sancto Augustino, dum sic loquitur: *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat. Unde etiam duplex cor dicitur esse mentientis, id est duplex cogitatio: una rei ejus quam veram esse vel scit vel putat, & non profert: altera ejus quam pro ipsa profert, sciens falsam esse vel putans.*

Igitur dubitari non potest, juxta sancti Doctoris mentem, quin illi qui utuntur æquivocationibus, amphibologiis, aut restri-

ſtrictionibus mentalibus, verè mentiantur; cum ſatis conſtet, illos ſignificare talibus æquivocationibus aut reſtrictionibus, rem planè diverſam ab ea, quam in mente retinent, & occultant. Et ita de talibus, perinde ac de aliis qui ſimpliciùs mentiuntur, dici poteſt, illos cum duplicitate cordis loqui, & duas diverſas cogitationes habere; nam ex una parte cogitant id quod ſciunt aut putant eſſe verum, & quod occultare intendunt: & ex alia parte cogitant de ea re quam ſciunt aut putant eſſe falſam, quamque dicunt aut ſignificant, dum veritatem ſignificare deberent.

Illi æquivocationum & reſtrictionum mentalium artifices, eos ad quos loquuntur decipiunt, quod proprium eſt mentientium; nam ſi, ut ait idem ſanctus Auguſtinus, dum aliquid cogitamus, & aliud contrarium dicimus, decipimus proximum, & doloſè cum eo agimus: ac habemus velut duo diverſa corda, aut cor duplex; cum in una cordis parte veritas videatur, in alia verò concipiatur mendacium, quod ſignificare volumus: quod vera deceptio dici debet, dum, ut ait Pſalmiſta, *labia doloſa in corde & corde locuti ſunt.* Pſal. 11.3.

Dici autem poteſt, illum qui verbis æquivocis aut reſtrictionibus mentalibus utitur, reverà cum duplicitate cordis loqui, dum per ſua verba id ſignificare intendit, quod contrarium eſt veritati, quam agnoſcit & in corde occultat. Dum id agitur, rerum ordo aliquo modo pervertitur & immutatur; *cum enim*, ut docet Angelicus Doctor, *voces naturaliter ſint ſigna intellectuum, innaturale eſt & indebitum, quod aliquis voce ſignificet, id quod non habet in mente.* Quod certè bonæ fidei contrarium eſt, & quodammodo deſtruit illud S.Tho.2.2. q.110. a.3. in corp.

Societatis civilis vinculum, quod valdè inter homines necessarium est.

Demùm cum verba, quæcumque sint significent potiùs unam rem quàm aliam, solummodò quia usus communis id operatur, ut illi quibus dicuntur talia verba, tali & tali modo intelligant; inde sequitur, omnia vocabula sensum habere relativum ad eum cui dicuntur, nullumque alium sensum eis convenire, dum Petro loquimur, quàm illum juxta quem à Petro intelliguntur; constat enim, nos non loqui ut à nobismetipsis intelligamur, sed ab aliis: & ita si tali modo loquimur, ut alii verba nostra in falso sensu intelligant, verè cum hac intentione mentimur, cum his utamur verbis, ut alii intelligant sensum falsum, & nostræ cogitationi ac menti contrarium.

Talium æquivocationum & aliorum fraudum quæ in sermone affectari possunt, reprobationem expressam invenimus in Libro vulgò sancto Augustino tributo, sed quem eruditiores à Patre minùs antiquo compositum esse asserunt: *Fallacia*, inquit, *atque mendacium, & ipsa unum dicunt: fallacia autem fit ingenio, mendacium verò simplici verbo. Fallacia igitur dicit ... cum in non dando aliquem illudere quærit: quid in petendo moras innectis? non habeo quod tibi tribuere possim: celans utique in corde quid habet, vel quod sibi conservet, vel quod aliis, si voluntas inest, tribuat. Mendacium dicit: omninò quod postulas non habeo; scilicet non artificioso ingenio sicut fallacia, sed simplici negationis verbo frustratur poscentem. Sed veritas ad utraque respondet: nec artificioso ingenio, nec simplici verbo oportet decipere quemquam; quia quolibet artis modo mentiatur;* Os quod mentitur, occidit ani-

Lib. de Cõflictu vitiorum & virtutum, c. 19. Inter Opera sancti Augustini.

animam, & omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti igne & sulphure.

Superfluum videtur hìc fusiùs probare, usum equivocationum, amphibologiarum, & restrictionum mentalium æquitati Legique Divinæ consonum non esse; cum ex ipso innato nobis naturali lumine satis constet, talem usum contrarium esse veritati, & bonæ fidei in Societate civili necessariæ. Præterea sancta Sedes Apostolica opiniones contrarias damnavit in celebri sed planè necessario Decreto contra 65. Propositiones Morales.

25. Propositio damnata.

Cum causa licitum est jurare, sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis. Decretum Innocentii XI. contra 65. Propos. 4. Martii 1679.

26. Propositio damnata.

Si quis, vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod reverà fecit, intelligendo intra se aliquid aliud quod non fecit, vel aliam viam ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, reverà non mentitur, nec est perjurus.

27. Propositio damnata.

Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

28. Propositio damnata.

Qui mediante commendatione, vel munere, ad Magistratum, vel Officium publicũ promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis à similibus solet exigi, non habito respectu ad

intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

Quæst. 8. Si æquivocationes & restrictiones mentales nunquam licitæ sunt: quomodo responderi poterit his qui objiciunt, Dominum Jesum illis usum aliquando fuisse?

Resp. Verum quidem est, talium duplicitatum fautores varia Scripturæ & Novi etiam Testamenti loca opponere, ut ostendant, Dominum Jesum Christum illis usum fuisse, & consequenter concludendum esse, licitas esse posse in quibusdam casibus: Sed si consulantur sancti Patres & alii Catholici interpretes, qui hæc loca diligenter interpretati sunt, facilè videbitur, inutilia planè esse ad defendendas æquivocationes & restrictiones mentales.

Etenim locus 24. Capitis Euangelii secundùm Matthæum, & 13. secundùm Marcum, quæ loca à restrictionum mentalium fautoribus adducuntur tanquam magis faventia suæ opinioni, variis modis exponi possunt, nullâ restrictione mentali, aut æquivocatione admissâ. Christus loquens cum Apostolis de die judicii: *De die autem* Matth. c. 24.36. *illa*, inquit, *& hora nemo scit, neque Angeli cælorum, nisi solus Pater*: Et secundùm Marci, c. 13.32. Marcum: *De die autem illa vel hora nemo scit, neque Angeli in Cælo, neque Filius, nisi Pater*. Quo pacto, inquiunt adversarii, sine ulla restrictione mentali poterat Dominus dicere, se nescire diem & horam judicii?

Sanctus Gregorius Papa huic difficultati S. Greg. lib. 8. Epistol. 42. ad Eulogium Patriarchã Alexandrinum. accuratè respondet, ut & aliis quæ in Scriptura occurrere possunt, his verbis: *Hoc quod de ficulnea dixistis, in eo sensu propriè Beatus Augustinus loquitur, quia cum Euangelista subjungit: Nondum enim*

erat

erat Tempus Ficorum, apertè cognoscitur, quòd per Ficum Dominus in Synagoga fructum quæsierat, quæ folia legis habuit, sed fructum operis non habebat. Non enim poterat Creator omnium nescire, quia fructum Ficus non habuit, quod dum Tempus Ficorum non esset, omnes poterant scire. De eo verò quod scriptum est: quia diem & horam neque Filius, neque Angeli sciunt: omninò rectè vestra sanctitas sensit; quoniam non ad eundem Filium, juxta hoc quod caput est, sed juxta corpus ejus quod sumus nos, est certissimè referendum. Qua de re multis in locis idem B. Augustinus eo sensu utitur. Dicit quoque & aliud quod de eodem Filio possit intelligi, quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, sicut de Abraham dicit: Nunc cognovi, quia times Deum. *Non quia se Deus tunc timeri cognoverit; sed quia tunc eundem Abraham facit agnoscere, quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quòd ipse dies lætus sit, sed quia nos lætos facit: ita & omnipotens Filius nescire se dicit diem, quem nescire facit, non quòd ipse nesciat diem, sed quia nunc sciri minimè permittat. Vnde & Pater solus dicitur scire, quia consubstantialis ei Filius, ex ejus natura quæ est supra Angelos, habet ut hoc sciat, quod Angeli ignorant. Vnde & hoc intelligi subtiliùs potest: quia incarnatus unigenitus factusque pro nobis homo perfectus, in natura quidem humanitatis novit quidem & horam judicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit; quia Deus & homo factus, diem & horam judicii, non nisi per Deitatis suæ potentiam novit, sicut & in nuptiis cum Mater Virgo diceret vinum deesse, respondit:* Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea, *&c.*

San-

Sanctus Ambrosius in eodem sensu explicat Euangelii textum: *Vt*, inquit, *magis dictum secundùm Filium hominis æstimemus; quia temporum finem, non per naturam hominis, sed per naturam Dei novit*. *Diem judicii*, inquit S. Cyrillus, *ignorare dispensando dixit Christus, ut homini quem assumpsit, congruentia diceret; hominis enim naturæ, proprium est ignorare futura*. Et S. Gregorius Nazianzenus dicit, quòd *horam cognitam habet ut Deus: ignorat ut homo*.

S. Ambros. in Lucam, c. 17.

S. Cyrillus lib. 9. Thesauri, c. 4.

S. Gregor. Nazianz. Orat. 36.

Quæst. 9. Quotuplex est mendacii genus?

Resp. Octo mendacii genera numerat Sanctus Augustinus in Tractatu de mendacio, cujus magnam partem Gratianus in Decreto inseruit. *Primum est capitale mendacium*, inquit, *longèque fugiendum, quod fit in Doctrina Religionis, ad quod mendacium nulla conditione quisquam debet adduci. Secundum autem, ut aliquem lædat injustè, quod & tale est, ut & nulli prosit, & obsit alicui. Tertium est, quod ita prodest alteri, ut obsit alteri, quamvis non ad immunditiam obsit corporalem. Quartum, quod fit sola mentiendi fallendique libidine, quod merum mendacium est. Quintum, quod fit placendi cupiditate de suaviloquio. His omnibus penitùs evitatis, atque rejectis, sequitur sextum genus, quod & nulli obest, & prodest alicui: veluti si quispiam pecuniam alicujus injustè tollendam sciens, ubi sit, nescire se mentiatur quocumque interrogante. Septimum, quod & nulli obest, & prodest alicui, veluti si nolens hominem ad mortem quæsitum prodere, mentiatur. Octavum est genus mendacii, quod & nulli obest, & ad hoc prodest, ut ab immundicia corporali aliquem tueatur.*

S. Augnst. lib. de mendacio, c. 14. & 21. refertur in Can. Primum, 22. q. 2.

Non est igitur mentiendum in doctrina pietatis; magnum enim scelus est, & primum genus

genus detestabilis mendacii. Non est mentiendum secundo genere, quia nulli facienda est injuria. Non est mentiendum tertio genere, quia nulli cum alterius injuria consulendum est. Non est mentiendum quarto genere, propter mendacii libidinem, quæ per se ipsam vitiosa est. Non est mentiendum quinto genere, quia nec ipsa veritas sine placendi hominibus enuntianda est; quantò minùs mendacium, quod per se ipsum, quia mendacium est, utique turpe est? Non est mentiendum sexto genere; neque enim rectè etiam testimonii veritas pro cujusdam temporali commodo ac salute corrumpitur. Ad sempiternam verò salutem nullus ducendus opitulante mendacio. Non enim malis convertentium moribus, aliquis ad bonos mores convertendus est: quia si erga illum faciendum est, debet etiam ipse conversus facere erga alios. Atque ita non ad bonos, sed ad malos mores convertitur, cum hoc ei præbetur imitandum converso, quod ei præstitum est convertendo.

Neque septimo genere mentiendum est: non enim cujusquam commoditas, aut salus temporalis, perficiendæ fidei præferenda est. Nec si quisquam in rectè factis nostris tam malè movetur, ut fiat etiam animo deterior, longèque à pietate remotior, propterea rectè facta deserenda sunt: cum id nobis præcipuè tenendum sit, quo vocare atque invitare debemus, quos sicut nosmetipsos diligimus: fortissimoque animo bibenda est Apostolica illa sententia: Aliis quidem sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem. Et ad hæc quis idoneus?

Nec octavo genere mentiendum est, quia & in bonis castitas animi, pudicitia corporis; & in malis id quod ipsi facimus, eo quod fieri sinimus, majus est. In his autem octo generibus tantò quisque minùs peccat cum mentitur,

quantò

quantò demergit ad octavum: tantò amplius, quantò demergit ad primum. Quisquis autem esse aliquod genus mendacii quod peccatum non sit putaverit, decipiet seipsum turpiter, cum honestum se deceptorem arbitratur aliorum. Tanta porrò cæcitas hominum animos occupavit, ut eis parum sit, si dicamus quædam mendacia non esse peccata, nisi etiam in quibusdam peccatum dicant esse, si mendacium recusemus.

Quæst. 10. Potest-ne assignari alia mendaciorum divisio?

Resp. Mendacia dividi possunt in perniciosa, officiosa, & jocosa: & ad has tres species reduci possunt illæ octo quas ex S. Augustino retulimus; & idem S. Doctor huic ultimæ divisioni, quæ brevior, accuratior, & fortè etiam magis universalis quàm prima, apparet, occasionem dedisse videtur, dum in expositione Psalmi sic loquitur: *Duo sunt omninò genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, sed tamen non sunt sine culpa: cum aut jocamur, aut, ut proximis prosimus, mentimur.* Hæc ultima divisio placuit S. Thomæ & S. Bonaventuræ: *Mentiens*, inquit Seraphicus Doctor, *aut intendit prodesse, aut delectare, aut lædere: secundùm quod intendit prodesse, est mendacium officiosum: secundùm quod intendit delectare, est mendacium jocosum: secundùm quod intendit lædere, est mendacium perniciosum.*

S. Aug. in Ps. 5. Vers. Perdes omnes qui loquuntur mendaciū.

S. Bonav. in 3. sent. dist. 38. a. 1. qu. 5. in corp.

Quæst. 11. Quandonam mendacium est solummodò peccatum veniale, & quandonam potest esse peccatum mortale?

Resp. Hujus quæstionis resolutio quodammodo reperiri potest in verbis S. Augustini supra citatis: Nam si, ut ait idem S. Doctor, *duo sunt omnino genera mendaciorum, in quibus non est magna culpa, sed tamen*

tamen non sunt sine culpa: cum aut jocamur, aut, ut proximis prosimus, mentimur; inde concludi potest, quòd ut plurimùm mendacia tantummodò noxia seu perniciosa, sunt peccata mortalia; aliæ autem duæ species, ex natura sua peccatum tantùm veniale important.

Angelicus Doctor de mendaciis in eodem planè sensu loquitur, dum ait: *Peccatum mortale propriè est, quod repugnat charitati, per quam anima vivit, Deo conjuncta, ut dictum est: potest autem mendacium charitati tripliciter contrariari: uno modo secundùm se: alio modo secundùm finem intentum: tertio modo per accidens: secundùm se quidem charitati contrariatur ex ipsa falsa significatione, quæ quidem si sit circa res divinas, contrariatur charitati Dei, cujus veritatem aliquis tali mendacio occultat vel corrumpit; unde hujusmodi mendacium, non solùm opponitur virtuti veritatis, sed etiam virtuti Fidei, & Religionis: & ideo hoc mendacium est gravissimum & mortale.* S.Tho.2.2. q.110. a.3. in arg. sed contra, & in corp. S.Tho.2.2. q.110.ar.4. in corp.

Si verò falsa significatio sit circa aliquid, cujus cognitio pertineat ad hominis bonum: putà quæ pertineat ad perfectionem scientiæ, & informationem morum: talè mendacium, in quantum infert damnum falsæ opinionis proximo, contrariatur charitati, quantùm ad dilectionem proximi: unde est peccatum mortale.

Si verò falsa opinio ex mendacio generata, sit circa aliquid, de quo non referat, utrum sic, vel aliter cognoscatur; tunc ex tali mendacio non damnificatur proximus: sicut si quis fallatur in aliquibus particularibus contingentibus, ad se non pertinentibus: unde tale mendacium secundùm se non est peccatum mortale.

Ra-

Ratione verò finis intenti aliquod mendacium contrariatur charitati: puta, quod dicitur aut in injuriam Dei, quod semper est mortale peccatum; utpotè religioni contrarium: aut in nocumentum proximi, quantum ad personam, divitias, vel famam: & hoc etiam est peccatum mortale; cùm nocere proximo sit peccatum mortale: ex sola autem intentione peccati mortalis, aliquis mortaliter peccat. Si verò finis intentus non sit contrarius charitati, nec mendacium secundùm hanc rationem erit peccatum mortale: sicut apparet in mendacio jocoso, in quo intenditur etiam utilitas proximi: per accidens autem potest contrariari charitati ratione scandali, vel cujuscumque damni consequentis: & sic erit etiam peccatum mortale, dum scilicet aliquis non veretur propter scandalum publicè mentiri.

Demùm Sanctus Bonaventura hanc quæstionem paucis verbis resolvit, dicens: *Peccatum mendacii non est generaliter mortale, sed mortale fit ratione materiæ circa quam, & ratione contemptus, & ratione nocumenti, & etiam ratione libidinis mentiendi, quæ faciunt mendacium esse perniciosum, & mortale peccatum. Et quia hæc non semper concurrunt ad esse mendacii, ideò potest esse aliquando veniale, aliquando mortale.*

S. Bonav. in lib. 3. sent. dist. 38. a. 1. q. 3. in corp.

Quæst. 12. Potest-ne peccari contra hoc præceptum aliter quàm verbis?

Resp. Quamvis mendacium frequentiùs linguâ committatur, tamen sancti Patres, & post ipsos Doctor Angelicus, agnoscunt duos peccandi modos, scilicet simulationem, & hypocrisim.

Quæst. 13. Quid est simulatio? Et peccat-ne qui eâ utitur?

Resp. Simulatio fit, cum quibusdam actionibus, aut aliis signis, studiosè insinuatur aliquid veritati contrarium: veluti

dum

dum quis vult videri alius quàm reverâ sit: aut velle id quod reverâ non vult, & hujusmodi. Satis autem constat, tales simulationes non esse sine peccato; quia, ut supra ex Sancto Augustino retulimus: *Ille mentitur, qui aliud habet in animo, & aliud in verbis, vel quibuslibet significationibus enunciat; unde duplex cor dicitur esse mentientis.* S. August. lib. de mēdacio, c. 3.

Unde etiam Angelicus Doctor sic expresse loquitur: *Ad virtutem veritatis pertinet, ut quis talem se exhibeat exteriùs per signa exteriora, qualis est: signa autem exteriora non solùm sunt verba, sed etiam facta: sicut ergo veritati opponitur, quòd aliquis per verba exteriora aliud significet, quàm quod habet apud se (quod ad mendacium pertinet) ita etiam opponitur veritati, quòd aliquis per aliqua signa factorum vel rerum aliquid significet contrarium ejus quod in eo est: quod propriè* simulatio *dicitur. Unde simulatio propriè est,* mendacium quoddam in exteriorum signis factorum consistens. *Non refert autem utrum aliquis mentiatur verbo, vel quocumque alio facto, ut suprà dictum est; consequens est etiam, quod omnis simulatio est peccatum.* S. Tho. 2. 2. q. 111. ar. 1. in corp.

Id eleganter eloquenterque adstruitur à Sancto Gregorio Papâ, dum explicans hæc verba Libri Job: *Simulatores & callidi provocant iram Dei*, sic loquitur: *Cum simulatores diceret, aptè subjunxit:* & callidi; *quia nisi ingenio calleant, quod videri appetunt, congruè simulare non possunt. Sunt enim nonnulla vitia, quæ etiam à sensu tardioribus facilè perpetrantur. Elatione namque intumescere, avaritiæ æstibus inhiare, luxuriæ pulsanti succumbere, etiam quilibet obtusis sensibus potest: simulationis verò falsitatem exequi, nisi qui subtilioris ingenii fuerit, non potest.* S. Gregor. mor. in 36. cap. Iob. li. 26. c. 23.

potest. Quisquis enim talis est, ad custodienda duo videlicet continua observatione dividitur, ut callidè noverit & occultare quod est, & ostentare quod non est; & vera mala premere, & falsa bona monstrare: nec se apertè in hoc quod videtur extollere, atque ut majorem gloriam teneat, sæpè se simulat gloriam declinare. Qui enim ante oculos hominum sequendo eam apprehendere non potest, studet plerumque gloriam tenere fugiendo. Hæc itaque simplicibus minimè congruunt: quia si congruunt, jam simplices non sunt. Benè autem cùm diceret simulatores & callidi, non subdidit: merentur, sed provocant iram Dei. *Iram quippè Dei mereri, est etiam nesciendo peccare. Provocare verò, est mandatis illius sciendo contraire, scire bonum, sed despicere: facere posse, nec velle. Hi enim perpetratione nequitiæ intrinsecùs tenebrescunt, & ostentatione justitiæ superficie tenùs dealbantur. Quibus voce Dominica dicitur:* Væ vobis Scribæ, & Pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ foris parent hominibus speciosa, intùs verò plena sunt ossibus mortuorũ, & omni spurcitia: ita & vos quidem foris apparetis hominibus justi, intùs autem pleni estis hypocrisi & iniquitate. *Foris ergo ostendendo servant, quæ vivendo intus impugnant. Intus verò mala cogitantes exaggerant, quæ foris alia superducentes occultant.*

Ante districtum itaque judicem excusationem jam de ignorantia habere non possunt: quia dum ante oculos hominum omnem modum sanctitatis ostentant, ipsi sibi sunt testimonio, quia bene vivere non ignorant.

Dicatur igitur rectè: simulatores & callidi provocant iram Dei. *Quid verò eos ad extremum sequatur, adjungit, dicens:* (Neque clamabunt, cùm vincti fuerint.) *Omnis iniquus, qui cum iniquus sit, sanctus videri non*

non appetit, in flagelli percussione deprehensus, fateri, quòd iniquus sit, non erubescit. Qui vero iniqua agens, humana de se judicia sub specie sanctitatis intercipit, etiam cum flagello percutitur, iniquum se prodere refugit, quia sanctus videri consuevit. Siquando autem graviter coarctatur, iniquum se vix superficie tenùs confitetur: quia interna sua detegere veraci Confessione confunditur. Quasi liberi verò sumus, cum nulla correptione castigamur. Quasi autem vincimur, cum flagello percussionis astringimur. Vincti igitur tanto clamamus altiùs, quanto in percussione positi, peccata nostra veraciùs cōfitemur. Apud aures quippè Dei vox valida, devota Confessio est.

Quia ergo simulatores quosque etiam cum percussionis flagella corripiunt, ad Confessionem simplicem non perducunt: cognosci etiam peccatores refugiunt, quia Sancti omnium opinione ferebantur, quia quamvis eos ad extremum jam flagella feriant, quamvis duci se ad æterna supplicia non ignorent, tales tamen cupiunt apud humana judicia remanere, quales se studuerant semper ostendere. Deprehensi ergo etiam flagello percussionis extremæ, quia Confessionem puram vel afflicti exerere negligunt, quasi vincti clamare contemnunt. Benè ergo dicitur: (Neque clamabunt, cùm vincti fuerint.) *Quamvis intelligi etiam aliter potest. Omnis enim, qui cùm iniquus sit, dici Sanctus ab hominibus non pertimescit, etsi iniquum se tacita cogitatione reprehendit, tamen dum sæpiùs Sanctum audire se cœperit, hoc quod de se intrinsecùs tenebat, amittit. Cor quippè exteriùs fundit, & quia libenter foris falsum de se testimonium recipit, qualem se intus habeat, non requirit. Vnde fit, ut vacuæ laudis fomenta etiam cum defuerint, quærat, & oblitus quod est, appetat videri quod non est.*

Igi-

Igitur qui tales sunt, dum justos se ante humana judicia simulant, dum actiones suas laudibus dignas intuentium oculis ostentant, occulta cum eis justitia agitur: ut qui nituntur foris alios fallere, eo de se intus etiam ipsi fallantur. Nam omnem circa se sollicitæ investigationis oculum perdunt. Vitam etiam suam discutere & perscrutari dissimulant, sed tales se, quales audiunt, putant: Sanctosque se esse, non quia ita vivunt, sed quia ita dicuntur, existimant. Subtile autem Dei judicium, seque ipsos intueri negligunt: quia fidem sui meriti in attestatione ponunt oris alieni.

Cum verò subita percussione feriuntur, iniquos se vel veraciter, vel sicut sunt, deprehendere omnino non possunt: quia videlicet Sanctos se humana professione crediderunt. Benè ergo dicitur: Neque clamabunt, cum vincti fuerint. *Spe enim vacua tales se ante supernum judicem venire confidunt, quales se hominibus innotuisse cognoscunt, seque ipsos miseri nec inter tormenta deprehendunt, & dum testimonium falsæ laudis aspiciunt, remedium veræ confessionis amittunt. Etiam vincti ducuntur, & non clamant: quia humanæ laudis importunitate superati, Sanctos se miseri, & cum in peccatis moriuntur, putant. Quibus*
Isa.c.46. *bene per Prophetam dicitur,* Redite prævaricatores ad cor. *Si enim ad cor redirent, per exterioris attestationis se verba non funderent. Nam quid vicinius nobis est corde nostro? Quid vicinius nobis est ea re, quæ intra nos est? Et tamen cum per pravas cogitationes spargitur, à nobis cor nostrum longiùs evagatur.*

Longè ergo Propheta prævaricatorem mittit, cum eum ad cor suum redire compellit: quia quo se exteriùs fudit, eo ad se unde possit redire vix invenit. Quia verò simulatorum

mens

mens pro eo quòd ab una æternitatis intentione dividitur, cogitationum multiplicium inundatione vastatur, rectè subjungitur: Morietur in tempestate anima eorum. *Quasi tranquillè namque videbantur vivere, cum de Sanctitatis curarent laude gaudere. Sed tempestate subita eorum anima moritur, quæ humanæ laudis pessima tranquillitate lætabatur. Plerumque subito inopinata tempestas omne, quod aer serenus blanditur, immutat: & eo periculum vitari non potest, quo nec potuit prævideri. Unde simulatores, qui vitæ suæ custodiam negligunt, in tempestate mori referuntur. Hinc quippe eos turbo subitus internæ percussionis ejicit, quos arrogantia externi favoris extollit, & dum amplectuntur in laude quod non sunt, repentè inveniunt in ultione quod sunt.*

Benè autem per Salomonem dicitur: Quomodo probatur in conflatario argentum, & in fornace aurum, sic probatur homo ore laudantis. *Laus quippe sua justos cruciat, iniquos exaltat. Sed justos dum cruciat, purgat: iniquos dum lætificat, reprobos monstrat. Isti enim sua laude pascuntur: quia auctoris sui gloriam non requirunt. Illi autem, qui auctoris gloriam quærunt, sua laude cruciantur, ne non sit intus quod foris dicitur, ne, si est etiam quod dicitur, ante Dei oculos, ipsis favoribus vacuetur, ne humana laus robur mentis emolliat, eamque in sui delectatione prosternat, & quæ adjumentum debet esse augendi operis, jam retributio sit laboris. Cum vero sua præconia in Dei laudem tendere sentiunt, ea etiam desiderabiliter amplectuntur. Scriptum namque est:* Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui est in cœlis.

Prov. c.27.

Matt. c.5.

Viam se ergo hominibus faciunt, quoties in se aliquid, quo Deus cognoscatur, ostendunt:

quia

quia non student in se humanam laudem figere, sed quærunt eam per se medios ad autoris gloriam pertransire. Arrogantes autem humanis laudibus mollia corda prostituunt, quia suis amoribus corrumpuntur. De quibus aliàs
2.Tim.c.3. *dicitur:* Erunt homines se ipsos amantes. *Aptè ergo hìc de hac eorum corruptione subjungitur:* Et vita eorum inter effeminatos. *Si enim viriliter viverent, laus transitoria nulla eos corruptione vitiaret. Vnde electis Propheta persuadet, dicens:* Viriliter agite, & confortetur cor vestrum. *Dicens enim, viriliter agite, & confortetur cor vestrum, illicò subdidit: quasi sexum cordis munire curavit: luxuriosi quippè mens corrumpitur, si rebus transitoriis delectatur. Igitur simulatorum vita inter effeminatos moritur: quia laudis luxuria corrupta reperitur. Translatione verò alia non habetur: vita eorum inter effeminatos, sed: vita eorum vulneretur ab Angelis. Vtrumque tamen, & si sermone discrepat, ratione concordat: quia effeminatorum vitam Angeli vulnerant, dum nuncii veritatis eam jaculis sanctæ Prædicationis impugnant.*

Psalm. 26.

Quia igitur de damnatione reproborum audivimus: de ereptione humilium, quid sequatur, audiamus: Eripiet pauperem de angustia sua. *Pauper de angustia sua eripitur, cum unusquisque humilis de hac peregrinationis suæ afflictione liberatur: nam & assiduis hìc tribulationibus premitur, ut ad requirendum veræ consolationis gaudium provocetur. Vnde & sequitur:* Et revelavit in tribulatione aurem ejus. *Aurem in tribulatione revelare, est auditum cordis verberum plagis aperire. Cum enim præcepta despicimus, pia districtione nobiscum agitur, ut flagella timeamus. Aurem itaque cordis tribulatio aperit, quam sæpè hujusmodi prosperitas claudit.*

dit. Per Salomonem namque dicitur: Aversio parvulorum interficiet eos, & prosperitas stultorum perdet illos. Prov. c. I.

Advertendum tamen est, non semper peccari, quoties per facta exprimitur aliquid contrarium veritati; & dummodò hæc non adsit fallendi intentio, reus quis non efficitur, licèt rationabiliter judicet, quòd plures interpretaturi sint actionem suam in sensu contrario veritati. Unde si v. g. habens intentionem eundi Mediolanum, & ibi commorandi per aliquod tempus, eò iter dirigo prævidens, quòd non pauci credent, me velle Florentiam petere aut Augustam Taurinorum: in hoc casu non utor simulatione, quamvis hunc errorem prævisum ab aliorum mentibus non curem eripere, modò non intendam illos hoc facto meo decipere; & sic de reliquis hujusmodi casibus, qui frequenter occurrunt.

Quæst. 14. Est-ne aliquod discrimen inter simulationem & hypocrisim?

Resp. Verum quidem est, quòd omnis hypocrisis est etiam simulatio; non autem omnis simulatio est hypocrisis, sed solùm illa, quâ quis simulat personam alterius, præsertim circa pietatem aut cæteras virtutes: *Sic in Ecclesiis*, ait sanctus Thomas, *& in omni vita humana quisquis se vult videri quod non est, hypocrita est; simulat enim se justum, non exhibet. Sic igitur dicendum est quod hypocrisis simulatio est; non autem omnis simulatio, sed solùm illa, qua quis simulat personam alterius; sicut cùm peccator simulat personam justi.* S.Tho. 2. 2. q. 111. a. 2. in corp.

Quæst. 15. Hypocrisis est-ne vitium valdè periculosum?

Resp. Hoc vitium valdè Deo displicere, esseque apprimè noxium, non diffitebitur

qui in Euangelio versatus fuerit; etenim Christus Dominus Hypocritas sæpiùs vehementer increpavit, Fidelesque ab eo vitio summa cum cura avertit: *Attendite*, inquit, *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis.*

Luc. 12. Matth. c. 6.

Inter Patres sanctus Gregorius Papa diligenter hoc vitium insectatus est: nimiùm prolixus apparerem, si id omne quod in hac materia ab eo variis in locis luculenter dictum fuit, referre hìc vellem. Sufficiet igitur hìc adducere, quæ in Libro octavo Moralium habentur, dum explicat hæc verba Libri Job: *Numquid* vivere potest scirpus absque humore, aut crescere carectum sine aqua? cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum, & spes hypocritæ peribit: *Scirpi ergo vel carecti nomine hypocritæ vitam signat, quæ speciem quidem viriditatis habet, sed ad humanos usus fructum utilitatis non habet, quæ sterilitate operis arida permanens, solo sanctitatis colore viridescit. Sed neque sine humore scirpus, neque sine aqua carectum proficit: quia hypocritarum vita ad bona opera infusionem quidem superni muneris percipit, sed in cunctis, quæ agit, exteriores laudes appetens, à fructu perceptæ infusionis inanescit. Sæpè namque mira signorum opera faciunt, ab obsessis corporibus Spiritus pellunt, & per Prophetiæ donum, ventura quæque sciendo præveniunt; sed tamen à largitore tot munerum, cogitationis intentione divisi sunt: quia, per ejus dona, non eius gloriam, sed proprios favores quærunt: cumque per accepta dona in sua laude se elevant, ipsis muneribus contra largitorem pugnant. Inde quippe contra*

tra dantem superbiunt, unde ei amplius humiles esse debuerunt.

Sed eò postmodum eos districtior sententia percutit, quo nunc superna bonitas, & ingratos largiùs infundit: fitque eis amplitudo muneris, incrementum damnationis: quia irrigati fructum non ferunt, sed sub viriditatis colore vacui in altum crescunt. Quos bene per Euangelium veritas exprimit, dicens: Multi dicent mihi in illo die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo Prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? & tunc confitebor illis, quia numquam novi vos, discedite à me, qui operamini iniquitatem. Matt. c. 7.

Scirpus igitur vel carectum absque humore vel aqua non vivit; quia nimirum hypocritæ non nisi ex superno munere viriditatem bonæ operationis accipiunt; sed qui hanc in usum propriæ laudis arripiunt, in aqua quidem virides, sed tamen inanecrescunt. Benè autem subditur: Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: *Scirpus in flore, est hypocrita in laude.*

Acutis verò angulis surgens carectum, manu non carpitur; quia, exasperatis per arrogantiam sensibus, de pravitate sua hypocrita corripi dedignatur. In flore suo manum carpentis incidit, quia in laude hypocrita positus, ne hunc quisnam corripere audeat, asperitate sua protinùs vitam corripientis secat.

Sanctus namque esse non appetit, sed vocari: & cum fortasse corripitur, quasi in opinionis gloria detruncatur: deprehensum se in pravitate irascitur, loqui sibi redarguentem prohibet; quia velut in occulto vulnere tactus dolet: Qualis imperitis innotuit, talis

vult ab omnibus æstimari, & paratior est mori, quàm corripi: redargutione deterior redditur, quia quasi diræ persecutionis æstimat jaculum, puritatis verbum. Vnde exasperatus protinùs in contumelias surgit, & quæ mala exaggeret contra vitam correptoris, inquirit: Demonstrare longè incomparabiliter reum reprehensorem suum desiderat, ut innocentem se, non suis actibus, sed alienis criminibus ostendat; ita ut sæpè homo redargutionis aliquid se dixisse pœniteat, & quasi à carpentis manu, sic à corripientis animo quidam, ut ita dicam, sanguis mœroris currat.

Prov.c.9. *Vnde benè per Salomonem dicitur:* Noli arguere derisorem, ne oderit te: *Neque enim justo timendum est, ne derisor, cum corripitur, contumelias inferat; sed ne tractus ad odium, pejor fiat.*

Inter hæc sciendum est, quòd justorum bona, quia ex corde incipiunt, usque ad præsentis vitæ terminum crescunt. Hypocritarum verò opera, quia nequaquam sunt in occulto radicata, sæpè ante deficiunt, quàm præsens vita finiatur. Nam plerumque studio sacræ eruditionis insistunt; & quia hanc, non præparandis meritis, sed promerendis favoribus inquirunt, statim ut judicium humanæ laudis arripiunt, & per hoc gratiam transitorii profectus assequuntur, tota mente sæcularibus curis inserviunt, atque à sacra funditùs eruditione vacuantur; & agendo post indicant, quantùm temporalia diligant, qui sola priùs æterna prædicabant.

Plerumque autem assumptæ speciem maturitatis ostendunt, quiete silentii, longanimitate patientiæ, continentiæ virtute decorantur; sed cum per hæc quæsiti culmen honoris attigerint, cumque sibi jam reverentia à cunctis impenditur, protinùs se in lasciviam volupta-

luptatis fundunt, & bona se non ex corde tenuisse ipsi sibi testes sunt, qui hæc citò dimiserunt. Nonnumquam vero aliqui quæ possident tribuunt, atque indigentibus cuncta largiuntur; sed tamen ante vitæ terminum, avaritiæ prurigine accensi, aliena appetunt, qui sua largiri videbantur, & pertinaci post crudelitate ambiunt, quod ficta prius pietate reliquerunt.

Unde & rectè nunc dicitur: Cum adhuc sit in flore, nec carpatur manu, ante omnes herbas arescit: *Iuxta carnalem quippè intellectum, & justi herba sunt, Propheta attestante, qui ait:* Omnis caro fenum. Esa. c.40.
Sed ante omnes herbas arescere scirpus dicitur, quia justis in bono suo permanentibus, à viriditate assumptæ rectitudinis hypocritarum vita siccatur. Arescunt herbæ etiam reliquæ, quia justorum opera cum carnis vita deficiunt. Sed herbarum ariditatem scirpus prævenit, quia priusquam de carne hypocrita transeat, ea, quæ in se ostenderat virtutum facta, derelinquit.

De quibus etiam benè per Psalmistam Psal. 128.
dicitur: Fiant sicut fenum ædificiorum, quod priusquam evellatur, exaruit: *Fenum quippè ædificii in alto nascitur, sed nequaquam pingui radice solidatur: quia & hypocrita summa quidem agere cernitur, sed non in eis ex cordis puritate roboratur. Quòd nimirum fenum & non evulsum citiùs arescit: quia videlicet hypocrita, & in præsenti adhuc vita subsistit, & jam sanctitatis opera quasi viriditatis speciem amittit. Quia enim sine intentione rectæ cogitationis bona studuit agere, hæc amittens, indicat se sine radice floruisse.*

Sed Baldath, sicut prædiximus, cui scirpum comparet, illicò aperit, cum subjungit: Sic viæ omnium, qui obliviscuntur Deum,

& spes hypocritæ peribit: *Quid enim in cunctis suis operibus hypocrita sperat, nisi honoris reverentiam, gloriam laudis, à melioribus metui, Sanctus ab omnibus vocari? Sed permanere spes hypocritæ non valet, quia æternitatem non quærens, fugit quod tenet.*

Nequaquam quippè mentis ejus intentio in illa gloria figitur, quæ sine fine possidetur: sed cum transitoriis favoribus inhiat, perdit, percipiendo quod laborat, veritate attestante, quæ ait: Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam.

Matt. c. 6.

Quibus itaque hypocritæ similes, nisi fecundis, & neglectis vitibus existunt? quæ per ubertatem fructum proferunt, sed nequaquam per studium à terra sublevantur. Quod pingues palmites germinant, errantes bestiæ conculcant, & quo hoc uberiùs aspiciunt projectum in infimis, avidiùs consumunt: quia nimirum hypocritarum opera, dum clara monstrantur, quasi pinguia prodeunt: sed dum humanas laudes appetunt, quasi in terra deseruntur. Quæ hujus mundi bestiæ, maligni scilicet spiritus, comedunt, quia hæc ad usum perditionis inflectunt, tantòque ardentiùs rapiunt, quantò & magna clariùs innotescunt.

Caput III.

De obligationibus testium & accusatorum: ac de falso testimonio.

De obligationibus Judicum & Advocatorum, atque etiam Graffariorum seu Exceptorum & Notariorum, locuti sumus

mus Cap. 5. & 6. Tractatus immediatè præcedentis: Conveniens etiam videtur, ut de obligationibus testium tractemus, sumptâ occasione octavi præcepti, quod certè testes sigillatim respicit, dum expressè falsum testimonium prohibet.

Quæst. 1. Tenemur-ne testimonium ferre, dum interrogamur?

Resp. Eam sibi proponit quæstionem Angelicus Doctor, cui sic respondet: *Si requiritur testimonium alicujus subditi authoritate Superioris, cui in his quæ ad justitiam pertinent, obedire tenetur, non est dubium quin teneatur testimonium ferre, in his de quibus secundùm ordinem juris testimonium ab eo exigitur, putà in manifestis, & in his de quibus infamia præcessit. Si autem exigitur ab eo testimonium in aliis, putà in occultis, & de quibus infamia non præcessit, non tenetur ad testificandum. Si verò requiratur ejus testimonium, non authoritate Superioris cui obedire tenetur, tunc distinguendum est: quia si testimonium requiratur ad liberandum hominem, vel ab injusta morte, seu pæna quacumque, vel à falsa infamia, vel ab aliquo damno, tunc tenetur homo ad testificandum.* S.Tho.2.2. q. 70. a. 1. in corp.

Etsi ejus testimonium non requiratur, tenetur facere quod in se est, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc possit prodesse. Dicitur enim in Psal. 81. Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate: *Et Proverb.* 14. Erue eos qui ducuntur ad mortem: *Et Rom.* 15. *dicitur:* Digni sunt morte non solùm qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus: *Vbi dicit Glossa: Consentire est tacere, cùm possis redarguere. Super his verò quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre testimonium, nisi cùm à Superiore compellitur*

secundùm ordinem juris: quia si circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc speciale damnum nascitur. Vel si immineat periculum accusatori, non est curandum, quia ipse in hoc periculum sponte se ingessit. Alia autem ratio est de reo, cui periculum imminet eo nolente.

Ex hac Angelici Doctoris doctrinâ concludere possumus 1. regulariter obligari nos testificari id quod scimus, dum juxta Justitiæ legitimas formulas, à Judice qui legitimam in nos habet authoritatem & Jurisdictionem, interrogamur. 2. Quòd etiam si ille qui nos ad testificandum impellit, nullam in nos potestatem habeat, & quamvis etiam testimonium nostrum non requiratur, tenemur tamen testificari, dum id necessarium esse perspicimus ad removendam & impediendam injustitiam notabiliter proximo nocivam.

Quæst. 2. Dantur-ne aliqui casus, in quibus quis non teneatur ferre testimonium, quamvis id legitimus exigat Superior?

Resp. 1. Filius non tenetur testificari contra Patrem; nam, ut ait Glossa, *Filius contra Patrem non compellitur*; neque Pater contra Filium, neque Frater contra Fratrem, neque uxor contra maritum; nisi in quibusdam casibus extraordinariis & privilegiatis: & in hac materia obtemperandum est legibus & consuetudinibus uniuscujusque regionis.

Gloss. in c. cùm nuntius, de testibus.

2. Constat, ut ait Angelicus Doctor, quòd *de illis quæ homini sunt commissa in secreto per Confessionem, nullo modo debet testimonium ferre: quia hujusmodi non scit ut homo, sed tanquam Dei minister; & majus est vinculum Sacramenti, quolibet hominis præcepto. Circa ea verò quæ aliter homi-*

S. Tho. 2. 2. q. 70. art. 1. ad 2.

homini sub secreto committuntur, distinguendum est: quandoque enim sunt talia, quæ statim cùm ad notitiam hominis venerint, homo ea manifestare tenetur; putà si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in grave damnum alicujus personæ, vel si quid est hujusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denuntiando. Et contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem quam alteri debet. Quandoque verò sunt talia, quæ quis prodere non tenetur; unde potest obligari ex hoc quòd sibi sub secreto committuntur; & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto Superioris, quia servare fidem, est de jure naturali: nihil autem potest præcipi homini contra id quod est de jure naturali.

Hæc est Angelici Doctoris doctrina, quam valdè interest probè intelligere in praxi. Et ita paucis verbis explicare convenit, quòd quando aliquid scitur sub secreto naturali inter amicum & amicum, inter ægrotum & medicum, partem litigantem & Advocatum, vel Procuratorem, & hujusmodi: ex tunc contrahitur obligatio non revelandi in præjudicium illius, qui commisit secretum suum, modò non agatur de re injusta, quæ concernat publicam vel privatam personam. Quare si quis nobis revelavit intentionem quam habet comburendi domum, vel committendi homicidium, vel furtum, ex tunc tenemur revelare hoc secretum, nisi fortè aliud medium nobis suppeteret ad impediendum hæc damna; & à fortiori tenemur in judicio interrogati, & requisiti revelare. Si autem dicta crimina fuerint jam executioni mandata, & sint solummodò punienda in persona illius qui ea commisit, tunc

videtur, quòd ille qui novit verum sub secreto naturali, non tenetur revelare. Idem dicendum, si secretum respiciat rem factam, vel faciendam, quæ non afferat damnum injustum proximo.

Quæst. 3. Sed si Judex nos compellat ad respondendum, & ad testandum veritatem, quam solùm novimus sub secreto naturali, quodnam erit effugium in illo casu?

Resp. In his angustiis recurrentes ad orationem, obtinendi gratiâ à Deo lumen, & auxilium necessarium, ut nihil contra conscientiam agamus: oportet primò uti omnibus mediis, quæ Christiana prudentia suggerere poterit, ut non revelemus hoc secretum; v. g. declinare à Jurisdictione illius Judicis, ad alium appellare: respondere, quòd illud quod scimus, sub secreto scimus, & quòd per consequens non tenemur respondere: abesse per aliquod tempus, ita ut facilè inveniri non possimus, & cogi ad respondendum. Demùm recusare ferre testimonium in tali causâ, si ex una parte timendum sit, ne id quod secretò scimus, magnum prejudicium proximo afferat, & aliundè sperare possimus, nobis non valdè fore nocivam talem recusationem.

Quòd si hæc & alia hujusmodi media non prosint, & quis non possit, vel non audeat non respondere Judici interroganti; tunc dicenda est veritas, eo modo quo cognoscitur, & non licet uti amphibologiis, aut restrictionibus mentalibus, quæ non excusant à peccato mendacii, ut suprà explicavimus: & eo magis, quo Judex semper obligat sub juramento ad dicendum veritatem, & sic non solùm quis reus esset mendacii, sed etiam perjurii, si quid dice-

diceret contrarium menti suæ; quia nunquam licet mentiri, & multò minùs committere perjurium. Et aliunde certum est ut ait sanctus Isidorus relatus in Canone: quòd *quacumque arte verborum quis juret, Deus tamen qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui juratur intelligit: dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit*. Vide quæ diximus Tomo 6. Tractatu 3. de secundo Præcepto Decalogi, Cap. 2.

S. Isidorus lib. 2. sent. c. 31. refer. in Can. Quacumque 22. q. 5.

Quæst. 4. Accusatus aliquo crimine, tenetur-ne dicere verum, cùm interrogatur à Judice?

Resp. Tenetur, ut expressè asserit Catechismus Concilii Tridentini his verbis: *De reis autem & sontibus, vult eos Deus verum confiteri, cùm ex judicii formula interrogantur: est enim testimonium ac prædicatio quædam, illa Confessio laudis & gloriæ Dei, ex ipsius Iosue sententia, qui Achan ad veri confessionem adhortatus inquit*: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel. Cujus rationem affert sanctus Thomas, dum ait: *Quicumque facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat, sicut suprà dictum est: pertinet autem ad debitum justitiæ, quòd aliquis obediat suo Superiori in his, ad quæ jus Prælationis se extendit: Iudex autem ut suprà dictum est, Superior est respectu ejus qui judicatur: & ideò, si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Si verò Iudex hoc exquirat, quod non potest secundùm ordinem juris, non tenetur ei accusatus respondere; sed potest, vel per appellationem, vel aliter licitè subterfugere; mendacium tamen dicere non licet*.

Catech. Côc. Trid. p. 3. De 8. Præcep. n. 23.

S. Tho. 2. 2. q. 69. art. 1. in corp.

Et ita inferre possumus, ex Angelici

Doctoris doctrinâ, hominem accusatum teneri respondere, veritatemque proferre, dum juxta Juris Formulas à legitimo Judice interrogatur: & peccare mortaliter, si mentiatur.

2. Posse accusatum recusare & vitare responsionem licito modo, dum vel contra Juris Formulas interrogatur, vel à Judice non legitimo.

Demùm quòd si respondeat accusatus in quocumque casu, nunquam potest mentiri, aut æquivocationibus seu restrictionibus mentalibus uti; quia reverâ mendacia sunt, ut superiùs dictum fuit, & perjuria, dum in testimoniis aut responsionibus judicialibus adhibentur; cum juramentum semper in eis interveniat.

Quæst. 5. Potest-ne, vel est-ne semper licitum appellare à sententia Judicis subalterni?

Innoc. III. in Concil. gener. Later. c. 48. *Resp. Cùm appellationis remedium non sit ad defensionem iniquitatis, sed in præsidium innocentiæ institutum*, ut ait Summus Pontifex Innocentius III. in Concilio Lateranensi; dicendum est, non semper licitum esse appellare, sed solùm propter gravamen prioris Judicis, apud quem causa agitur; &, ut communiter dicitur, si sis

S. Bernard. lib. 3. De consid. c. 2. gravatus, appella. Et, ut ait Divus Bernardus: *Iniqua omnis appellatio, ad quam justitiæ inopia non coegit. Appellare, non ut graves, sed si graveris, licet. Appellandum à Sententia, ante Sententiam, improbè omninò, nisi ob manifestum gravamen, præsumitur appellatio. Qui igitur non gravatus appellat, liquet, quia aut gravare intendit, aut tempus redimere. Non est autem suffugium appellatio, sed refugium. Quanto novimus appellasse pulsatos, quò interim liceret,*

quod

quod nunquam licet? Nonnullis etiam quoad vixerunt, licuisse appellationis suffragio nefaria, scimus.

Divus Thomas in eodem sensu loquitur de appellationibus, ait enim: *Duplici de causa contingit aliquem appellare. Uno quidem modo confidentia justæ causæ, quia videlicet injustè à Iudice gravatur. Et sic licitum est appellare: hoc enim est prudenter evadere. Unde 2.q.6.dicitur, Omnis oppressus liberè Sacerdotum si voluerit, appellet judicium, & à nullo prohibeatur. Alio modo aliquis appellat causa afferendæ moræ, ne contra eum justa Sententia proferatur. Et hoc est calumniosè se defendere: quod est illicitum, sicut dictum est; facit enim injuriam & judici, cujus officium impedit, & adversario suo, cujus justitiam, quantum potest, perturbat, & ideo sicut dicitur 2.q.6. omnimodo puniendus est, cujus appellatio injusta pronunciatur.* S.Tho.2.2. q.69.art.5. in corp.

Notandum hìc diligenter, quòd si quis injustè appellando vincit causam injustam, vel quia adversarius non potuit sufficere expensis, vel se defendere coram Judice superiore, vel quia hic Judex injustè illi favit, restituere tenetur omnia damna illata adversario quocumque modo. Secundò licèt non obstante injusta nostra appellatione justè perdidimus causam, vel noster adversarius nobiscum composuit metu expensarum, quas facere debebat: semper verum est dicere, nos illi injustum damnum intulisse, ac proinde teneri ad illud resarciendum secundùm æquitatem. Tertiò si appellavimus sine justa causa, solùm causâ afferendæ moræ, vel inquietandi adversarium. In omnibus illis casibus semper tenemur ad resarciendum damnum. Idem dicendum de Advocato, & aliis, qui consilium dederunt ad injustè appellandum.

Quæst.

Quæst. 6. Rei tenentur-ne obedire Judici, & subire pœnam, sibi per sententiam impositam?

Resp. Hæc quæstio videtur definita ab Apostolo, dum ait: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi à Deo: quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt: nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis enim non timere potestatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

ad Rom. c. 13.

Ex quo loco probat divus Thomas, quòd non licet justè condemnato se defendere, nec resistere executioni sententiæ latæ: *Aliquis damnatur ad mortem dupliciter*, inquit Angelicus Doctor, *uno modo justè, & sic non licet condemnato se defendere: licitum enim est Judici eum resistentem impugnare. Unde relinquitur, quòd ex parte ejus sit bellum injustum: unde indubitanter peccat. Alio modo condemnatur aliquis injustè, & tale judicium simile est violentiæ latronum, secundùm illud Ezechiel.* 42. Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem. *Et ideò sicut licet resistere latronibus, ita licet resistere in tali casu malis Principibus, nisi fortè propter scandalum vitandum, cùm ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur.* Non debet autem quis, nisi omninò manifestum sit, putare Judicem condemnasse injustè, & sine sufficientibus & legitimis probationibus.

S. Tho. 2. 2. q. 69. art. 4. in corp.

Quæst.

Quæst. 7. Reus potest-ne se per fugam à carcere liberare absque peccato?

Resp. Videtur, quòd secundùm Sententiam Doctoris Angelici reus non peccat se à carcere liberando per fugam, cùm enim objectionem sibi proposuisset his verbis: *Præterea sicut aliquis Sententiam mortis contra se latam subterfugit resistendo, ita etiam fugiendo. Sed licitum esse videtur, quòd aliquis se à morte per fugam liberet, secundùm illud Ecclesf.* 9. Longè esto ab homine potestatem habente occidendi, & non suspicaberis; *ergo etiam licitum est reo resistere:* Sic respondet Divus Thomas: *Dicendum, quòd nullus ita condemnatur, quòd ipse sibi inferat mortem, sed quòd ipse mortem patiatur. Et ideò non tenetur facere id unde mors sequatur; quod est manere in loco, unde ducatur ad mortem: tenetur tamen non resistere agenti quin patiatur quod justum est eum pati: sicut etiam si aliquis sit condemnatus, ut fame moriatur, non peccat, si cibum sibi occultè ministratum sumat, quia non sumere esset se ipsum occidere.*

S. Th. ibid. ar. 4. in 2. objection.

Ibid. ad 2.

Ut autem hæc rei fuga licita sit, debet fieri sine ulla fractione portarum & murorum aut cancellorum carceris; quia tales effractiones, injuriæ aliquam speciem inferunt Reipublicæ, & à Legibus Civilibus prohibentur, & severè etiam puniuntur: *De his*, inquit Lex, *qui carcere effracto evaserunt, sumendum supplicium Divi fratres rescripserunt.*

Leg. 1. ff. de effractoribus & expilatoribus.

Videtur etiam, quòd licita non est fuga, dum quis ad carceres per aliquod tempus damnatus est, reumque teneri hanc pœnam pati, & sententiæ Judicis obedire.

Quæst. 8. Falsum testimonium est-ne grave peccatum, & obligat-ne semper ad restitutionem?

Prov. c.6. *Resp.* Gravitatem hujus criminis satis indicat Scriptura, dum ait: *Sex sunt quæ odit Dominus .... proferentem mendacia, testem fallacem*, & cap. 25. *Iaculum, & gladius, & sagitta acuta, homo qui loquitur contra proximum suum falsum testimonium.* Et cap. 19. legitur: *Testis falsus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet.* Legimus etiam in Canone qui S. Fabiano Papæ tribuitur: *Quicumque sciens pejeraverit, quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos pœniteat, & nunquam sit sine pœnitentia, & nunquam in testimonium recipiatur: Communionem tamen post hæc percipiat.* Denique S. Thomas gravitatem hujus criminis satis ostendit, dum ait: *Falsum testimonium habet triplicem deformitatem. Vno modo ex perjurio, quia testes non admittuntur nisi jurati, & ex hoc semper est peccatum mortale. Alio modo ex violatione justitiæ: & hoc modo est peccatum mortale in suo genere, sicut & quælibet injustitia. Et ideò in Præcepto Decalogi sub hac forma interdicitur falsum testimonium, cum dicitur Exodi 20.* Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. *Non enim contra aliquem facit, qui ab injuria facienda impedit, sed solùm qui ei suam justitiam tollit. Tertio modo ex ipsa falsitate secundùm quod omne mendacium est peccatum, & ex hoc non habet falsum testimonium, quod semper sit peccatum mortale.*

Can. Quicumque. 6 q. 1.

S. Tho. 2. 2. q. 70. art. 4. in corp.

Obligat autem falsum testimonium ad restitutionem damni illati proximo, sive in ejus honore, sive in vitâ, sive in bonis; ut patet ex his quæ diximus Cap. 5. 6. & 7. præcedentis Tractatus.

CAPUT IV.

De Detractione, & Calumnia.

Quæst. 1. QUid est Detractio?
Resp. Detractio, ex divo Thoma, est *Denigratio alienæ famæ per occulta verba.* Hæc definitio, quæ satis evidens est, fusiùs explicabitur ex illis quæ dicemus in toto capite. S.Tho.2.2. q.73.art.1.

Quæst. 2. Quot modis aliquis peccat peccato detractionis?

Resp. Ex eodem Angelico Doctore: *Aliquis dicitur detrahere, non quia diminuit de veritate, sed quia diminuit famam ejus: quod quidem fit quandoque directè, quandoque indirectè. Directè quidem quadrupliciter: uno modo, quando falsum imponit alteri: secundo, quando peccatum adauget suis verbis: tertio, quando occultum revelat: quarto quando id quod est bonum, dicit mala intentione factum. Indirectè autem; vel negando bonum alterius, vel malitiosè reticendo, vel minuendo.* q.73.art.1. ad 3.

Hi quatuor modi detrahendi explicantur in Catechismo Romano his verbis: *Sciendum est, non tantùm adinventa calumnia offendi hominum existimationem, sed & augendis amplificandisque criminibus: & si quid occultius ab aliquo commissum sit, quod ubi rescitum fuerit, grave & turpe sit ad famam, eam rem qui, ubi, quando, quibus non necesse sit, pervulgarit, is obtrectator & maledicus jure dicitur. Verùm totius obtrectationis nulla capitalior est quàm eorum, qui Catholicæ Doctrinæ ejusque Prædicatoribus obtrectant,* &c. Catech. Concil. Trident. p.3.de 8. Præcepto, num. 17.

Qui

Qui maledicos & calumniatores libenter audiunt, quique non solùm illos non reprehendunt, sed etiam approbant, illisque facilè credunt: non minùs culpabiles videntur, quàm ipsi maledici, peccantque ut illi contra hoc Decalogi Præceptum. Unde etiam S. Hieronymus & S. Bernardus asserunt, eos qui detractores auscultant æquè criminosos esse, ac detractores ipsos. Et reverâ vix aliqui detractores reperirentur, si nullus eos audire vellet.

Prov. c. 6. 19. Qui variis artibus discordias inter alios seminant aut fovent, quique libenter, falsis relationibus, amicitiam proximorum turbant, ita ut exindè inimici sæpiùs invicem fiant, valdè contra hoc præceptum peccant: hos detestatur Dominus, dicente Salomone: *Sex sunt quæ odit Dominus, & septimum detestatur anima ejus... proferentem mendacia, testem fallacem, & eum qui seminat inter fratres discordias.* Prov. c. 6 14. *Et qui pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat: huic extemplo veniet perditio sua, & subitò conteretur, nec habebit ultra medicinam.*

Quæst. 3. Peccatum detractionis est-ne mortale, an veniale?

Resp. Satis indicat Scriptura gravitatem hujus peccati. Dicitur enim Ecclesiastes cap. 10. *Si mordeat serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Et Proverbiorum cap. 24. *Abominatio hominum detractor.* Ideoque S. Jacobus præcipiens Christianis, ut fugerent detractionem, ait: Ep. Jacob. c. 4. *Nolite detrahere alterutrum fratres: qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem suum, detrahit legi, & judicat legem.* Legimus etiam in Canone qui S. Alexandro Papæ Can. Summa. 6. q. 1. tribuitur: *Summa iniquitas est, fratres, detrahere & accusare; unde scriptum est: omnis*

qui

qui detrahit fratri suo, homicida est, & omnis homicida non habet partem in regno Dei. Et S. Chrysostomus ait: *Eliminemus omnem ex ore nostro detractionem, scientes, quòd etsi cinerem comedamus, nulla nobis asperæ vitæ hujus utilitas proderit, nisi detractione abstineamus.* S. Chrys. hom. 3. ad pop. Ant.

Hanc materiam clarè explicat Sanctus Thomas, dum ait: *Peccata verborum maximè sunt ex intentione dicentis judicanda. Detractio autem secundùm suam rationem ordinatur ad denigrandam famam alicujus. Vnde ille, per se loquendo, detrahit, qui ad hoc de aliquo loquitur, eo absente, ut ejus famam denigret. Auferre autem alicui famam, valde grave est; quia inter res temporales videtur fama esse pretiosior, per cujus defectum impeditur homo à multis benè agendis; propter quod dicitur Eccles. 4.* Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quàm mille thesauri magni pretiosi: *& ideo detractio per se loquendo est peccatum mortale. Contingit tamen quandoque quòd aliquis dicit aliqua, per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, sed aliquid aliud. Hoc autem non est detrahere per se & formaliter loquendo, sed solùm materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba, per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum necessarium, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec potest dici detractio. Si autem proferat ex animi levitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est peccatum mortale, nisi fortè verbum quod dicitur, sit adeò grave, quod notabiliter famam alicujus lædat; & præcipuè in his quæ pertinent ad honestatem vitæ: quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem peccati mortalis. Et tenetur aliquis ad restitutionem famæ, sicut* S.Tho. 1.2. q.73. art. 2. in corp.

ficut ad restitutionem cujuslibet rei subtractæ.

In hac Angelici Doctoris doctrinâ, videmus 1. Detractionem esse peccatum mortale ex naturâ suâ. 2. Peccatum illud posse fieri veniale, si absque deliberatione committatur, & famam proximi notabiliter non offendat. 3. Aliquoties non peccari, etiam si malum dicatur de proximo: veluti si cum prudentiâ verè Christianâ fiat, & cum bona intentione: dum scilicet aliquid manifestatur Superiori, ut inferiorem corrigere & emendare possit: aut etiam aliquis apud Judicem accusatur cum debitis circumstantiis. Demùm videmus etiam apud sanctum Thomam, illum qui famam proximi abstulit, aut minuit aliquâ detractione, teneri illam omni meliori modo restituere.

Quæst. 4. Quomodo cognosci potest in praxi, utrum detractio sit mortalis vel venialis? & peccatur-ne semper, dum malum de proximo dicitur?

Resp. Hæc certè quæstio difficilè in praxi resolvi potest; unde nihil melius respondéri potest, quàm id quod habetur apud celebrem Universitatis Parisiensis Cancellarium Gersonem, qui de hâc materiâ dilucidè egit his verbis: *Quæritur, an malè loqui de aliis in eorum absentia, sit semper peccatum...... Pro responsione sciendum quòd actio moralis libera accipit, vel virtutem, vel laudem, & peccatum ex suis circumstantiis, & specialiter ex circumstantia finis. Inquirendum est igitur, ad quem finem dicitur malum de absentibus: & occurrunt sex fines generales: quandoque hoc fit ad instructionem præsentium, & id audientium, ut caveant similia facere: quandoque fit ad præsentium cautelam, ne scilicet ex ignorantia decipiantur*

Gerson. tom.1.p.2. tit. Multarum brevium & utilium quæstionũ resolutiones, q.1.

tur per malam aliorum societatem, quos præsumunt bonos; quandoque etiam fit ad utilitatem absentium, ut videlicet præsentes eis referant pro ipsorum correctione & emendatione: quandoque fit ex quadam compassione amicabili, ut scilicet se ipsum & audientes referens provocet ad orandum instantiùs pro aliorum peccatis, & eorum conversione: quandoque etiam fit ex sola curiositate, & assueta loquacitate, & quadam libidine loquendi de aliis: quandoque etiam fit ex odio, vel invidia, ac pro diminutione famæ alienæ, & ex animi indignatione.

Sit ergo prima conclusio. Primis quatuor modis potest esse non solùm licitum, imò & meritorium, referre mala absentium: dummodo tamen non intendatur principaliter alius finis, quàm aliquis prænotatorum quatuor: & si non misceatur alia intentio fermentata, & sibi ipsi mentiens: atque dum bene provideatur, ne sint falsa quæ dicuntur, aut in malo ultra quàm in se sunt, per referentem ampliata, aut forsan sinistrè interpretata; ac etiam quod non plus noceat talis locutio absentibus, & eorum famæ, quàm prosit præsentibus, & eorum ædificationi. Quoniam pro parvo bono consequendo, non est magnum malum committendum.

Secunda conclusio. Malè loqui de absentibus ad solùm satisfaciendum propriæ loquacitati, & libidini loquendi de aliis, qui est quintus modus, seu finis inter prædictos: etiamsi sit pro sola deductione temporis, & quasi pro solatio, ut sic tempus sine tædio transeat: vix aut nunquam excusatur à peccato, & sæpiùs transit in mortale peccatum.

Tale enim verbum non solùm otiosum (de quo juxta terribilem veritatis comminationem sumus reddituri rationem) sed & communiter est perniciosum, & multipliciter nocivum:

civum: nam habemus ex tali verbo occasionem & rationem magnæ damnificationis aliorum in sua fama. Etiam per hoc cadunt sæpissimè tam loquentes, quàm audientes, vel in indignationem contra eos de quibus fuit oblocutio, vel in falsam testificationem propriam tam cordis, quàm oris; dum videlicet cogitatio interior pensans coram se posita aliena mala, & sua propria quandoque similia aut majora palpans, tumet & inflatur dicendo: Gratias tibi ago Domine Deus, quod non sum talis qualis iste, de quo tanta mala referuntur: & sic miser cadit in foveam quam fecit, & cum illo Euangelico Pharisæo falsè justo, fit peccator quem ipse judicat, si non deterior, et tamen propter suam superbiam similis: quia etiam peccator ut alius, etsi alio modo.

Et hoc Pharisaicum vitium tam in loquendo, quàm in audiendo concipitur facillimè, & fit saltem affectu, etiamsi ratio videatur judicare aliter, & id ore manifestaret minimè attentè. Vix denique servatur mensura, quin misceatur mendacium, & malum augmentetur, & ad partem semper trahatur deteriorem, & penè in nullo excusetur, aut allevietur, ut sic fiat supra modum peccans peccatum, quasi unum aut simplex peccatum non sufficiat in perniciem ipsius obloquentis.

Conclusio tertia. Loqui malum de alio ad finem sextum, scilicet directè ex odio & invidia, semper est peccatum: & quando notabiliter læditur per hoc aliena fama, & dum loquens hoc advertit in sua conscientia, aut advertere posset, est gravius peccatum sæpissimè quàm furtum.

Et ita videmus, quòd, juxta mentem Gersonis, & doctrinam Sancti Thomæ quæstione præcedenti relatam, non semper peccatur, cùm malum aliquod de proximo

ximo dicitur: si enim cum prudentiâ verè Christianâ fiat, & ob aliquam rationem legitimam, veluti propter utilitatem illius, de quo loquimur, vel alterius, & sine ullâ prava intentione, tunc non peccatur.

Videmus 2. quòd etiam si peccatum detractionis sit mortale ex naturâ sua, potest tamen esse tantummodò veniale, ratione levitatis materiæ, & levis præjudicii quod talis sermo afferre proximo potest: aut etiam ratione indeliberationis seu inadvertentiæ; veluti si dicatur aliquid quod non putatur nocivum proximo, licèt reverâ illi noceat.

Quæst. 5. Peccat-ne qui uni, vel duobus, vitium seu defectum proximi manifestat?

Resp. Videtur Angelicus Doctor huic quæstioni respondere, dum sic loquitur: *Si uni soli aliquis de absente malum dicat, corrumpit famam ejus, non in toto, sed in parte.* S.Tho.2.2. qu.7.art.1. ad 2. Unde concludi potest, quòd sæpiùs verum damnum causatur proximo illâ detractione factâ solummodò coram uno vel duobus, & ita regulariter in hoc peccatur; & observandum etiam est, quòd aliquoties magis nocet, & offendit diffamatio apud unum optimatem, quàm apud multos de plebe: adde, quòd valdè periculosum est, ne sensim vitium proximi publicetur, cùm ut plurimùm qui illud ab alio accepit, alteri etiam facilè aperiat, & is alteri; & ita sæpiùs fiet, ut crimen secretum, in praxi publicum evadat.

Idcircò S. Joannes Chrysostomus eâ de re sic eloquenter, pro more suo, loquitur: *Hoc verò ridiculum magis est, quòd talem habentes vitam, & propria negligentes, cùm aliquid arcanum dixerint, rogant audientem,* S. Chrys. hom.3. ad pop.Ant.

& ad-

& adjurant, ne cuiquam amplius alteri dicat: hinc declarantes, quòd rem reprehensione dignam commiserint. Si enim illum, ut nemini dicat, rogas, multò magis te priorem huic dicere non oportebat: in tuto sermonem habebas; postquam ipsum prodisti, tunc salutem ipsius curas: si non vis effari, neque alteri ipse dicas: postquam verò alteri prodidisti sermonis custodiam, superflua facis, & inutilia, admonens & obtestans pro dictorum custodia. Sed jucundum detrahere; imò jucundum non detrahere. Detrahens enim deinceps in agonia est, suspicatur, & timet, pœnitentiam agit, & linguam suam mandit, timens, & tremiscens, ne fortè aliis enunciatum verbum magnum sibi periculum afferat, & superfluam, & inutilem inimicitiam his qui dixere, operetur. Apud seipsum verò continens in securitate plurima, cum multa vivet voluptate. Audisti sermonem, *inquit, Ecclesiast.* 19. Moriatur in te, confide, non te disrumpet; *Quid est, moriatur in te? extingue ipsum, defodi, nec exire, neque penitùs moveri permittus.*

Quæst. 6. Quandonam qui audiunt detrahentes, peccant?

Resp. Quoties non reprehendunt obtrectatores, sed illis libenter assentiuntur. Sic enim legitur in Catechismo Romano: *Nec vero ab horum hominum numero, & culpa sejunguntur, qui detrahentibus, & maledicentibus hominibus patefacientes aures, non reprehendunt obtrectatores, sed illis libenter assentiuntur. Detrahere enim, vel detrahentem audire, ut scribunt Sanctus Hieronymus, & Bernardus, utrùm damnabilius sit, non facilè constat: non enim essent qui detraherent, si non adessent qui detrahentes audirent.*

Catech. Concil. Trident. p. 3. de 8. Præcepto, n. 17.

Unde Sanctus Chrysostomus ait: *Non solos*

solos autem maledicentes, sed & alios detrahi audientes admoneo aures obstruere, & Prophetam imitari dicentem: Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequebar: *Dic proximo: Habes aliquem quem laudes & commendes? aures aperio, ut unguenta suscipiam: si verò malè velis dicere, verbis ingressum obturo: non enim stercus & cœnum suscipere patior. Quod mihi lucrum, si didicero, quod ille improbus? maximum igitur nocumentum ex hoc, & extrema jactura. Loquere ad ipsos: Curemus nostra, quomodo peccatorum rationes demus, & curiositatem hanc, & operosam indagationem circa vitam nostram exhibeamus. Quam enim habebimus excusationem, quam veniam, cùm nostra ne in mentem quidem capiamus, aliena verò curiosè scrutemur? sicut in domum declinare, & interiora considerare prætereunti turpe est, & multa ignominia plenum; sic & circa alienam vitam satagere, illiberalitatis maximæ est.*

S. Chrys. hom. 3. ad pop. Ant.

Sanctus Thomas clarè explicat, quandonam peccatur audiendo detractores, cùm ait: *Dicendum, quòd secundùm Apost. ad Rom. 1. Digni sunt morte, qui non solùm peccata faciunt, sed etiam qui facientibus peccata consentiunt. Quod quidem contingit dupliciter. Uno modo directè: quando scilicet quis inducit alium ad peccandum, vel ei placet peccatum. Alio modo indirectè: quando scilicet non resistit, cùm resistere possit. Et hoc contingit quandoque, non quia peccatum placeat, sed propter aliquem humanum timorem. Dicendum est ergo, quod si aliquis detractiones audiat absque resistentia, videtur detractori consentire; unde fit particeps peccati ejus. Et si quidem inducat eum ad detrahendum, vel saltem placeat ei detractio propter odium ejus cui detrahitur, non minùs peccat, quàm detrahens, & quandoque magis.*

S. Tho. 2. 2. q. 73. a. 4. in corp.

Vnde Bernardus dicit: Detrahere, aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facilè dixerim. Si verò non placeat ei peccatum, sed ex timore vel negligentia, vel etiam verecundia quadam omittat repellere detrahentem; peccat quidem, sed multò minùs quàm detrahens, & plerumque venialiter: quandoque etiam hoc potest esse peccatum mortale, vel propter hoc, quod alicui ex officio incumbit detrahentem corrigere, vel propter aliquod periculum consequens: vel propter radicem, quia timor humanus quandoque potest esse peccatum mortale: v. g. si quis magis timeat perdere amicitiam, vel favorem detrahentis, quàm incidere in peccatum mortale.

Quæst. 7. Quomodo quis se gerere debet quando audit aliquem detrahentem de proximo? Et quandonam cessat obligatio resistendi detrahentibus?

Resp. Difficile est determinare in praxi quid agendum sit in his casibus: certum enim est, diversimodè agendum pro diversitate conditionis, in qua quis versatur, & qualitate detrahentium coram nobis: nam aliquando utendum est authoritate, & arguendi sunt severè detrahentes, putà si quis sit Superior illius, qui detrahit, aut longè majoris conditionis: aliquando utendum est Christianâ industriâ, & sermo mutandus, aut saltem recedendum, & aliquo modo testandum, hanc detractionem nobis minimè placere; vel denique bene loquendum de illo de quo detrahitur, ut aliquo modo impediatur effectus detractionis, & sic custodiatur fama proximi. Sed præcipuè obtemperandum est Spiritui sancto, Proverbiorum 25. ubi Salomon ait: *Ventus aquilo* dissipat pluvias, & facies tristis linguam detrahentem. Cæterùm videtur ces-

sare

ſare obligatio reſiſtendi detrahenti, quoties non adeſt ſpes, quòd hæc reſiſtentia futura ſit utilis proximo, imò probabiliter creditur obfutura nobis vel proximo.

Quæſt. 8. Quid eſt calumnia, & in quonam differt à detractione?

Reſp. Ut plurimùm, juxta Angelici Doctoris mentem, accuſatio malitiosè facta adverſus proximum coram Judice, de crimine quod reverà non perpetravit, calumnia vocatur: *Nec tamen*, inquit ſanctus Thomas, *qui falſum crimen alicui imponit, calumniatur; ſed ſolùm qui ex malitia in falſam accuſationem prorumpit*. Attamen, juxta communem & promiſcuum uſum, calumnia dicitur, id quod falsò & malitiosè contra proximum quocumque modo profertur. Et ita maledicentiam ſeu detractionem conſiderare poſſumus tanquam terminum genericum, qui varias ſpecies includit, quarum una dicitur calumnia; nam etiam ſi quis vera dicat, maledicus eſſe poteſt: *Ne quis enim hoc mihi dicat*, inquit ſanctus Joannes Chryſoſtomus, *tunc detraho, quando falſa dico. Nam ſi vera loquens maledixeris, & hoc eſt crimen: etenim Phariſæus ille Publicano veridicus maledixit, ſed tamen hoc ipſi nihil profuit. Dic enim mihi: Publicanus, non enim erat Publicanus & peccator? cuique certum eſt, quod Publicanus erat, ſed tamen quoniam ipſum vituperavit Phariſæus, abſit omnibus amiſſis*. S. Chryſ. hom. 3. ad pop. Ant.

Verum quidem eſt, calumniam eſſe reliquis detractionum ſpeciebus deteriorem; hæc enim peccatum ideò aggravat, quòd mendacium detractioni adjungit; & à corde magis pravo & maligno oritur, quàm maledicentia & detractio quæ veritatem non lædit. Sed inter calumnias hæc procul dubio deterior eſt, quæ ad minuen-

dam vel auferendam famam illorum, qui in vinea Domini fideliter operantur, adhibetur: dum scilicet quis falsis confictisque criminibus Sacerdotes vel Religiosos denigrare conatur, & ita fructum, quem apud Fideles pro Dei gloria consequi possent, impedire. Tale peccatum aliquam similitudinem habet cum peccato Scribarum & Pharisæorum, qui multiplicibus calumniis famam & doctrinam Domini suspectam reddere satagebant, quia pravis illorum operibus contraria erat.

Inter calumnias autem & detractiones, illa sine dubio gravissima est, quæ fit per libellos famosos, & alterius famam apud populum elevare, denigrare, & veluti destruere conatur; unde libelli famosi author pluribus pœnis mulctatur tam in jure civili quàm canonico; & Cardinalis Bernardinus Roccius, æquissimo zelo motus, sic de tali crimine statuit in Synodo Urbevetana: *Inter crimina Reipublicæ magis infesta, in quæ sedulò animadvertendum est juxta Sanctiones Canonicas, leges civiles, & summorum Pontificum Constitutiones: illud præcipuè reponendum, quod per libellos famosos, vel chartas infamatorias, vel quovis alio signo in publicum exposito, proximorum famæ detrahit; unde pœnis & maledictis omnia jura hujusmodi tam perniciosa facinora execrantur, & in Ecclesiastico, susurro & bilinguis maledicitur, quia multos perturbavit pacem habentes; & in Euangelio, qui convicia & improperia evulgant, vocantur serpentes & genimina viperarũ; & à Divo Paulo rapaces & maledici à Regno Dei excluduntur.*

Synod. Urbevetana, ann. 1679. in fine.

Cum igitur, non sine animi nostri molestia & mœrore, in hac nostra Civitate Urbevetana tam detestabile facinus irrepsisse comperiamus, ita ut in januis Ecclesiarum vel sacris parie-

parietibus, aliisque publicis locis sæpè aspiciantur affixi libelli famosi, vel chartæ infamatoriæ in derisum & improperium proximorum, & in eorum contumeliam: tam infami corruptelæ Nos occurrere volentes, hoc nostro Synodali Decreto, casibus in præterita Diœcesana Synodo nostri Antecessoris reservatis, hujusmodi delicta adjungimus, & inter illos connumerari decernimus, ac pro reservatis haberi volumus & mandamus, quorum absolutionem Nobis expressè reservamus.

Quæst. 9. Quandonam ob simplicem detractionem, aut calumniam, tenetur quis ad restitutionem?

Resp. De hâc materiâ satis fusè tractatum fuit, dum septimum Decalogi Præceptum explicuimus, Tract. 8. cap. 5. Illic igitur inveniri potest responsio huic quæstioni, & aliis hujusmodi, quæ hâc occasione fieri possent.

CAPUT V.

De Iudicio Temerario.

CUm ut plurimùm detractiones ex judiciis aut suspicionibus temerariis oriantur, & non parva inter hæc peccata reperiatur connexio; idcircò sæpiùs in Tractatu de Octavo Præcepto, de Judiciis temerariis disserunt Theologi; quia vix potest haberi locus magis conveniens, & aliunde hæc materia non parùm difficilis est in praxi.

Quæst. 1. Quid est, propriè & strictè loquendo, judicium temerarium?

Resp. Est sinistra opinio contra proximum, concepta ex levibus indiciis, quæ

non solent movere & convincere hominem verè prudentem. Notandum est cum Angelico Doctore, quòd *judicium temerarium est contra quod dicitur Eccles. 5.* Ne temerè quid loquaris: *Quod quidem dupliciter committitur. Uno modo, quando aliquis procedit circa id quod est sibi commissum judicium absque debita veritatis cognitione: contra id quod dicitur Iob. 29.* Causam quam ignorabam, diligentissimè investigabam: *Alio modo, quando aliquis usurpat sibi judicium de occultis, de quibus solus Deus judicare habet. Contra id quod dicitur 1. Cor. 4.* Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit, &c. *Est autem aliquid occultum, non solùm quoad nos, sed secundùm sui naturam, ad solam Dei cognitionem pertinens. Primò quidem cogitatio cordis, secundùm illud Ierem. 17.* Pravum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda, & probans renes: *Secundò contingens futurum, secundùm illud Isai. 41.* Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & dicemus, quia Dii estis vos.

S. Tho. in Epist. ad Rom. c. 2. lect. 1.

Quæst. 2. Sunt-ne diversi gradus in suspicionibus, vel judiciis temerariis?

Resp. Sic respondet Divus Thomas: *Est autem triplex gradus suspicionis. Primus quidem gradus est, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat: & hoc est veniale & leve peccatum: pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua ista vita non ducitur, ut habetur in Glossa super illud 1. ad Corinth. 4.* Nolite ante tempus judicare: *Secundus gradus est, cùm aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis; & hoc si sit de aliquo gravi, est peccatum mortale, in quantum non est sine contemptu proximi; unde Glossa ibidem subdit:*

S.Tho. 2. 2. q. 60. art. 3. in corp.

Etsi

Etsi ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, judicia tamen (id est definitivas firmasque sententias) continere debemus: *Tertius gradus est, cùm aliquis judex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, & hoc directè ad injustitiam pertinet; unde est peccatum mortale.*

Quæst. 3. Judicium temerarium est-ne peccatum mortale ex natura sua?

Resp. Jam ostendimus ex sancto Thoma, quòd est peccatum mortale; idque satis probatur ex Scriptura sacra, in qua sic legitur: *Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Matt.c.7. Et in alio loco: *Nolite judicare, & non judicabimini: nolite condemnare, & non condemnabimini.* Et in Epistola 1. ad Corinth. cap. 4. Luc.c.6. *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Unde dicere debemus, quòd quando aliquis malè judicat de proximo, ex levibus indiciis, peccat mortaliter, si agatur de materia gravi, & judicet cum sufficienti deliberatione; quia tunc graviter læditur proximus. Ideòque sanctus Augustinus ait: S. August. tract.90.in Joannem. *In his rerum tenebris humanarum, hoc est cogitationum alienarum, etsi suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus; judicia tamen, id est definitivas firmasque sententias continere debemus; nec ante tempus quidquam judicare,* donec veniat Dominus, &c.

Quæst. 4. Dubia, vel suspiciones temerariæ, sunt-ne peccata mortalia?

Resp. Notandum est, hæc dubia, seu suspiciones temerarias, ex duobus diversis fontibus ortum sumere; aliquoties enim ex aliquo intellectus errore prodeunt, qui error nobis suadet, rationes illas dubitan-

di aut suspicandi, quòd talis homo sit improbus, aut tale crimen perpetraverit, esse verè sufficientes. Aliquando verò dubia & suspiciones oriuntur ex pravo affectu quem habemus erga talem hominem, aut ex invidia, aut odio quo illum prosequimur; unde facilè omnes illius actiones in malam interpretamur partem, etiam sine fundamento legitimo & rationabili.

His positis, videtur, quòd, juxta sancti Augustini & sancti Thomæ doctrinam, dum suspicio ex errore intellectus provenit, solummodò venialiter peccatur: *Ignoscatur nobis*, inquit sanctus Augustinus, *quod de occultis hominum aliquando, imò assiduè non vera sentimus. Hoc enim ad humanam tentationem pertinere arbitror, sine qua duci ista non potest vita, ita ut Apostolus diceret:* Tentatio vos non apprehendat nisi humana. *Quid enim tam humanum, quàm non posse inspicere cor humanum, & ideo non ejus latebras perscrutari, sed plerumque aliud quàm id quod ibi agitur suspicari?* Et in hoc sensu, ut supra diximus ex Divo Thoma, quando homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit, hoc est veniale, & leve peccatum. Reverâ hæc suspicionis species, quæ potiùs ex debilitate & errore intellectus quàm ex malignitate aut pravo erga aliquem affectu oritur, non gravem injuriam proximo irrogat; eò magis quòd hæc qualiscumque suspicio, verum supponit timorem, ne malum quod creditur, falsum sit, & ne in hoc aliquis error facilè subrepat.

S. August. tract. 90. in Joannem.

Quòd si suspicio oriatur ex depravato principio, superbiæ, odii, aut invidiæ: tunc si sine ullo rationabili fundamento sit, ita ut si odium aut invidia nos aliquo modo non excæcarent, facilè videremus

talem

talem suspicionem esse injustam: præsumi potest in ejusmodi casibus, hanc suspicionem regulariter peccatum mortale involvere, præsertim si respiciat materiam valdè gravem & proximo noxiam. Id innuere voluit Angelicus Doctor, dum sic loquitur: *Suspicio autem est quid imperfectum in genere judicii, & ideò est imperfectus motus: ideò non est mortale ex genere, quamvis si fiat ex odio, erit aliquando mortale.* S. Tho. quodli. 12. a. 34.

Quæst. 5. Quomodo effugere possumus suspiciones, & judicia temeraria contra proximum?

Resp. Unum ex præcipuis remediis est, ut quis assuescat se ipsum judicare, & propriæ studeat emendationi. Debet etiam in dubio favorabiliter de operibus proximi judicare. Etenim ut ait sanctus Augustinus, quando Dominus noster Jesus-Christus in Euangelio dicit: *Nolite judicare, ut non judicemini*, &c. *Hoc loco nihil aliud nobis præcipi existimo, nisi ut ea facta quæ dubium est quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur; de illis enim temerarium est judicare, maximè ut condemnemus. Temerarium judicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè judicatur; ei autem qui temerè judicat ipsa temeritas necesse est, ut noceat: maximè hi temerè judicant de incertis, & facilè reprehendunt, qui magis amant vituperare & damnare, quàm emendare & corrigere; quod vitium vel superbiæ est, vel invidiæ.* S. Aug. lib. 2 de serm. Domini in monte, c. 18.

Præterea maximi interest assuescere diffidere sibi ipsi, etiam dum quis aliquid percipit, quod malum videtur, & tunc non apparent rationes ad excusandum. Et si quis aliquâ polleat authoritate, & aliquo modo teneatur subditos corrigere, uti debet magna cautela priusquàm illos condemnet, etiam in mente, ad exemplum

S. Greg. lib. 19. Moral. in 19. c. Iob. c. 14.

Job, qui ait: *Causam quam nesciebam, diligentissimè investigabam*. Qua in re, ait sanctus Gregorius, *notandum video, ne ad proferendam sententiam unquam præcipites esse debeamus, ne temerè indiscussa judicemus, ne quælibet mala audita nos moveant, ne passim dicta sine probatione credamus. Quod profectò perpetrare pertimescimus, si autoris nostri subtiliùs facta pensamus. Ipse quippè ut nos à præcipitata sententiæ prolatione compesceret, cùm omnia nuda, & aperta sint oculis ejus, mala tamen Sodomæ noluit audita judicare, qui ait:* Clamor Sodomorum, & Gomorræorum multiplicatus est; peccatum eorum aggravatum est nimis: descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint, an non est ita, ut sciam: *Omnipotens itaque Dominus, & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi ut gravitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum antè præsumamus credere, quàm probare?*

Non credidi admodùm necessarium hìc explicare postrema duo Decalogi Præcepta, de quibus satis locutus sum in quinti, sexti, & septimi Præcepti Tractatibus; præterquam quòd extat eorum solidissima explanatio in Catechismo Concilii Tridentini, ad quam remitto Lectorem.

Superest igitur, ut Lectores rogem, ut non mirentur, si resolutiones quæ passim in hac Theologia Morali occurrunt, contrariæ aliquoties videntur illis, quæ apud plerosque recentiores Casuistas reperiuntur: neque putent, voluisse me aliquem spernere aut offendere hâc decidendi ratione; veritatem sectari unicè studui, & à propriis opinionibus & præjudicis liber esse satagens, authorum etiam singularium, quorum authoritas aliquam in Ecclesia vene-

venerationem non habet, dictis confidere tutum in tali opere non putavi. Necessarium igitur existimavi fideliter adhærere Doctrinæ sanctorum Patrum & sacrorum Canonum: *Sacri* enim *Canones*, ut habetur in Concilio Aquisgranensi, *toto Orbe venerandi, & sancto Spiritu inspirante digesti, imò calamum sanctorum Patrum, qui eos de ordine & statu sanctæ Dei Ecclesiæ conscripserunt, regente.*

Conc. Aquisgranensi, an. 836.c.25. lib.3.

Observavi, quantùm potui, quæ prescribit Vincentius Lirinensis, qui vivebat in quinto sæculo, explicans hæc verba Apostoli: *O Timothee, depositum custodi; devitans profanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ.* In quæ verba ait Vincentius Lirinensis: *Annuntiare ergo aliquid Christianis Catholicis præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nusquam licet, nunquam licebit; & anathematizare qui annuntient aliquid præter id quod semel acceptum est, nunquam non oportuit, nusquam non oportet, nunquam non oportebit. Quæ cùm ita sint, est ne aliquis vel tantæ audaciæ, qui, præter id, quod apud Ecclesiam annuntiatum est, annuntiet? vel tantæ levitatis, qui, præter id, quod ab Ecclesiis accepit, accipiat? Clamat, & repetendo clamat, & omnibus & semper, & ubique per litteras suas clamat ille, ille vas electionis, ille Magister gentium, ille Apostolorum tuba, ille terrarum præco, ille cælorum conscius, ut si quis novum dogma annuntiaverit, anathematizetur. Ergo sub anathematis interminatione prohibet Apostolus, ne quis nova, id est Apostolicis doctrinis abhorrentia proferre & disseminare audeat.*

1.ad Tim. c.6.

Vincentius Lirinensis cõmonitorii 1.c.14.

Possum cum illustri sancti Gregorii Nazianzeni Fratre dicere: *Non quædam propriè mea leviaque protuli, sed quæcumque*

Cæsarius, S.Gregorii Nazianzeni Frater, Dialog. 1.

clarorum beatorumque Patrum prata peragrans, de illorum roseto collegi. Quorum rosæ, aqua è latere Dei quod carnem sumpsit manante, rigantur, & à jugi sanguinis indidem orti rivo, rubro colore tinguntur, totumque mundum suavis odoris fragrantia replent: qui & splendore suo firmamenti luminaria vincunt, & vitæ sermonem continent: quorum ellychnium nunquam decidit, & lucerna non comminuitur, & oleum non absumitur, & lampas non quassatur, & flamma non extinguitur. Nam crucem gestant pro virga, Euangelia propera, charitatem pro pedo ac fistula: quibus omnibus Christi gregem rationis participem pascunt.

Cæterùm, etsi quidam laxitatum & latæ viæ amatores, me in opinionum delectu severitatis arguant & insimulent: nihilominùs majorem timendi causam habere me puto, ne aliquoties sanctas Moralis Christianæ veritates quadam inflexione minuerim, & ne, ut monet sanctus Augustinus, dum *qui severè reprehendunt, hoc nimium dicunt esse; ipsa autem veritas fortasse adhuc dicat: Non satis est.*

S. Aug. De mendacio, c. 1.



EPI-



EPISTOLA PASTORALIS

Sacræ Congregationis Episcoporum, & Regularium, quæ jubente Sanctissimo Domino Nostro CLEMENTE, divina providentia, PAPA XI. ad Dominos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, & alios Italiæ, & Insularum adjacentium Ordinarios, unà cum Iubilæo missa fuit die 16. Martii 1703.

LETTERA Circolare. Alli Monsignori Patriarchi, Arcivescovi, Vescovi, & altri Ordinarii dell'Italia, e Isole adjacēti, in accompagnamento del Giubileo che per ordine della Santità di N. Signore à loro si trasmette.

PAstoralis SS. Domini Nostri solicitudo ad promovendum gregis suis spirituale bonum semper intenta, sicut convenire putavit, ut Jubilæum non ita pridem in hac alma Urbe tanto cum fructu, deinde etiam in Regno Neapolitano, & quibusdam aliis statûs Ecclesiastici Civitatibus, & Diœcesibus, graviora in præteritis terræmotibus damna passis publicatum, etiam ad alias Italiæ & Insularum adjacentium civitates extendatur, ut pietas Fidelium ad placandam verâ pœnitentiâ, aliisque bonis operibus divinam iram justè nostris peccatis accensam, & ad obtinendam à summâ Dei clementiâ tot flagellorum cessationem, quæ ubique terrarum aut jam afflictam Christianitatem cruciant, aut certè illi manifestè imminent, magis, magisque excitetur; ita de omnibus aptioribus modis cogita-

La sollecitudine Pastorale di Nostro Signore intenta sempre à promuovere il bene spirituale del suo Gregge, sì come hà giudicato conveniente, che il Giubileo, quale poche settimane sono fù publicato con tanto frutto in quest'Alma Città di Roma, e susseguentemēte nel Regno di Napoli, e in al-

cune altre Città, e Diocesi dello Stato Ecclesiastico più gravemēte danneggiate da' passati terremoti, si distenda anco à tutte l'altre Città, e Diocesi dell' Italia, e Isole adjacēti, per eccittare maggiormēte la pietà de' Fedeli à placare con una vera penitenza, e con altre sante opere l'ira di Dio giustamente sdegnato per i nostri peccati, & ad implorare dalla Divina clemenza la cessazione di tanti flagelli, che per tutte le parti ò attualmente travagliano l'afflitta Christianità, ò manifestamente gli sovrastano; così hà pensato à tutti li mezzi più proprii, onde abbia à ritrarsi maggior frutto dal medesimo Giubileo, con stimolare tutti à prenderlo con le dovute disposizioni, & à rimuovere quegl'ostacoli, che potrebbero impedire gl'effetti della Divina misericordia. Che però la Santità Sua hà ordinato, che con la presente Lettera, che sarà circolare à tutti li Patriarchi, Arcivescovi, Vescovi, e altri Ordinarii dell'Italia, e Isole adjacenti sudette, si raccommandi efficacemente à V.S. d'insistere col suo Pastorale zelo per l'adempimento delle cose infrascritte.

vit, quibus ampliores ex dicto Jubilæo fructus colligi possint: stimulos cunctis admovens, ut illud cum debitis dispositionibus consequantur, & ea impedimenta removeant, quæ divinæ misericordiæ effectum frustrari possent. Idcircò Sanctitas sua jussit, ut per hanc epistolam, quæ pro singulis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Italiæ, & Insularum adjacentium Ordinariis circularis erit, efficaciter Dominationi tuæ commendetur, ut Pastorali, quo pollet, zelo executioni rerum infra scriptarum sedulò incumbat.

Primieramēte, ricorda la Santità Sua à V. S. l'esatta osservāza di quāto con altra simile lettera circolare le fù già prescritto intorno alla venerazione, e rispetto dovuto alle Chiese, sopra di che per molto, che già si fosse

Primò, Sanctitas Sua Dominationi tuæ in memoriam refert fidelem observationem eorum omnium, quæ aliâ simili circulari Epistolâ præscripta fuere circa venerationem, & reverentiam Ecclesiis debitam; cujus rei gratiâ, etsi multa jam facta, dictave fuissent juxta ejusdem Epistolæ tenorem, numquam tamen tantum factum, dictumque fuerit, quantum satis sit; eò magis, quòd dum à Divinâ Majestate ultrices illas pœnas in præsentiarum adhiberi cernimus, & sentimus, quibus præsertim Ecclesiarum irreverentias plectere illi solemne

est,

est, quàm longè grande illud malum processisset, manifestè cognoscimus.

fatto, ò si fosse detto à tenore della lettera sudetta, non però si sarà mai fatto, ne detto à bastanza; tanto più che il vedersi presentemente porre in uso dalla Maestà Divina quei castighi, co' quali la medesima suole specialmente punire l'irriverenza alle Chiese, fà manifestamente conoscere, quant'oltre si fosse avanzato l'inconveniente predetto.

Secundò vult, ut Dominatio tua dierum Festorum sanctificationi attendat, populum monens, quàm gravis Majestati Divinæ inferatur injuria, dum sacri dies, illius honori singulariter dicati, in operibus, non solùm servilibus, sed, quod pejus est, peccaminosis insumuntur. Satagat igitur, ut populus attentè perpendat, opera servilia diebus festivis prohiberi, non ut otio vacetur, sed ut longius tempus, & commodum suppetat Ecclesias frequentandi, Divinis Officiis interessendi, verbum Dei audiendi, animas orationibus, sanctis Sacramentis, aliorumque piorum operum exercitatione reficiendi, ac demùm unico, maximique momenti, salutis scilicet æternæ negotio seriùs & fideliùs attendendi, juxta Apostoli verba: *Rogamus vos, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis*. Hinc facilè perspicitur, quàm iniquus, & incongruus sit, nimiùm licèt frequens, eorum abusus, qui sacratos Deo dies in negotiationibus, ludis, crapulis, profanis amoribus, aliisque mundanis vanitatibus transigere non verentur. Unde etiam abominabiles in conspectu Dei facti videntur Festi dies, juxta formidabile Prophetæ dictum: *Odi, & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum*; Quinimò justè ob id genus profana-

Secondo. Vuole, che V.S. invigili singolarmẽte alla Sãtificazione delle Feste, con fare intendere al Popolo quanto grave torto si faccia alla Maestà del Signor Iddio impiegando quei giorni riservati specialmente al suo onore, in opere nõ solamente servili, mà, quel ch'è peggio, peccaminose. Procuri dũque di far ben riflettere al Popolo, che le dette opere servili sono vietate ne' giorni festivi, non perche si stia in ozio, mà affinche ci sia maggior tẽpo, e commodità di frequentare le Chiese, di assistere alli

fanationes divina movetur ira ad bellorum, inundationum, terræmotuum, pestilentiarumque publica flagella vibranda, dicente eodem Domino: *Sabbata mea violaverunt vehementer; dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos, & consumerem eos.*

Officii Divini, di ascoltare la Divina parola, di ristorare le anime colle Orazioni, e S.Sagramenti, e coll'esercizio d'altre opere di pietà, & in somma di attendere più di proposito all'unico, & importantissimo negozio dell'eterna salute, secondo il detto dell'Apostolo: Rogamus vos, ut abundetis magis, & operam detis, ut quieti sitis, & ut vestrum negotium agatis. (1.Thess.4.11.) Dal che si vede, quanto sia disdicevole l'abuso pur troppo frequente di quelli, che non si vergognano d'impiegare i giorni consacrati à Dio in traffichi, givochi, crapule, amorreggiamenti, & altre vanità mondane. Onde pare che le Feste ormai siano rese oggetto d'abominazione al Signor Iddio, secondo l'espressione terribile, che ne fà per il suo Profeta: Odi, & projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. (Amos 5.21.) Anzi si muove giustamente da simili profanazioni l'ira Divina à mandare publici flagelli di Guerre, Inondazioni, Terremoti, Pestilenze, e simili, dichiarandosi lo stesso Dio: Sabbata mea violaverunt vehementer; dixi ergo ut effunderem furorem meum super eos, & consumerem eos. (Ezech.20.13.)

Tertiò, perpendens etiam Sanctitas Sua, depravatos Christianorum mores ex pravâ puerorum institutione magnâ ex parte oriri, ob parentum negligentiam in illis in timore Dei educandis: expressè jubet Dominationi tuæ, quatenùs seriò attendat, ut strictissimum sibi onus impositum filios rectè educandi impleant Patresfamiliâs, illos instruendo, corrigendo, &, quod caput est, bonis exemplis imbuendo: quod quidem si pro virili præstarent, magna in Christianorum moribus mutatio conspiceretur; cùm verissimum sit, filios, quos mores pueri didicerunt, eos constanter, ut plurimùm, retinere: *Adolescens juxtà viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea.* Seriò itaque Patres, Matresque moneat, quàm

Terzo. Considerando in oltre la Santità sua, che una gran parte della depravazione de' costumi del Christianesimo procede dalla mala educazione de' figlivoli per la pochissima cura, che si pigliano i Padri, e Madri di allevarli nel timor santo di Dio, ordina espressamête à V.S.d'invi-

quàm strictam rationem in judicio reddituri sint, si sedulam operam non navaverint, ut filii à periculosis cœtibus quàm longissimè absint, sique patiantur, ut ad pravos habitus sensim declinent: eademque inculcet, & à Concionatoribus, & Confessariis, heris, Dominisve sæpiùs inculcari curet ratione eorum familiarium, famulorumque, operam dando, ut seriò gravissimum Apostoli dictum perpendant: *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

lare, acciochè i Capi di famiglia adempiscano l'obligo strettissimo, che hanno di educarli bene con istruirli, corregerli, e sopra tutto dar loro buon essempio; il che se facessero, come devono, si vedrebbe grandissimo miglioramento nel Christianesimo; essendo verissimo, che i figlivoli mantengono quei costumi, che apprendono da fanciulli: Adolescens juxtà viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. (Prov.22. 6.) Ammonisca però seriamente i medesimi Padri, e Madri del gran conto, che renderanno à Dio, se trascureranno di tener lontani i loro figlivoli dalle cattive compagnie, e li lascieranno assuefare ad abiti viziosi, e l'istesso inculchi, e faccia inculcare da' Predicatori, e da' Confessori alli Padroni, rispetto a' loro Servitori, facendo a' medesimi ben ponderare la gravissima sentenza dell'Apostolo: Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior. (1.Tim.5.8.)

Quartò, specialem curam Dominatio tua adhibeat, ut à Ludimagistris, & eò fortiùs à Parochis, diebus præsertim festivis doctrina Christiana summâ cum diligentiâ tradatur, & præcipua fidei mysteria dilucidè explicentur: cui saluberrimo exercitio magnum etiam afferent adjumentum alii pii, ac idonei viri, qui ad id eligi possent, quemadmodum tanto cum fructu olim S. Carolus in sua Mediolanensi Ecclesiâ præstitit, qui peculiares regulas aliis quoque Diœcesibus apprimè utiles edidit. Utque pueri frequenter, & eâ, quâ par est, attentione hujuscemodi instructionibus attendant, Dominatio tua Patres, aliosque, quorum curæ dicti pueri

Quarto: Dovrà V.S. specialméte invigilare, che da' Maestri di Scuola, e molto più dalli Parochi s'insegni cō tutta diligéza, e particolarmente le feste, la Dottrina Christiana, e che si spieghino con chiarezza i principali Misteri della Santa Fede; al che saranno di

grande ajuto anco altre persone pie, che à tal'effetto potrebbero deputarsi, come con tanto frutto praticò nella sua Chiesa di Milano S. Carlo, che ne prescrisse regolamenti sì utili anco per le altre Diocesi. Et affinche i fanciulli colla dovuta frequenza, & applicazione attendino à questa sì necessaria instruzzione, V.S. non lasci di auvertire seriamente i Padri, & altri, che ne hanno cura, dell' obligo di far loro imparare le cose necessarie alla salute, ordinando alli Confessori di non assolverli, se in ciò si troveranno notabilmente colpevoli, e contumaci.

pueri crediti sunt, seriò moneat, teneri illos in hanc curam incumbere, ut res ad salutem necessarias addiscant: Confessariis etiam præscribendo, ut illos non absolvant, qui hac in re graviter delinquentes, & contumaces fuerint.

Quinto. E perche pur troppo spesso si vedono più bisognosi d'istruzzione li Adulti, che i Fanciulli medesimi, dovrà V. S. ricordarsi dell'obligo, che hà insieme con tutti i suoi Parochi di pascere per se stessa, ò in caso di legitimo impedimento per mezzo de' Predicatori, colla divina parola i Popoli à se commessi, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, (1. Cor. 2.4.) mà con proporre, e spiegare

Quintò, quia nimis patet, quòd sæpiùs adulti instructione magis indigent, quàm ipsimet pueri, Dominatio tua meminisse debet, teneri se, sicuti etiam Diœcesis suæ Parochos, per semetipsam, aut si legitimè impedita fuerit, per Concionatores, Divino verbo populos sibi commissos pascere; *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, sed res utiliores, & auditorum intelligentiæ magis convenientes proponendo, exponendoque, quibus omnes ad ea, ad quæ ex proprio statu tenentur, addiscenda, & re ipsa fideliter adimplenda excitentur. Ut id consequi possit, Parochos enixè admonere non desinat, ut valdè necessario, & utili Catechismi Romani libro præcipuè utantur, curam adhibendo, ut iidem Parochi juxtà expressum Sacr. Concil. Trid. Decretum, *Inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem, sacra eloquia, & salutis monita vernacula lingua singulis diebus Festis, vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus postpositis inutilibus quæstionibus inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant.* Quod ad

Con-

Concionatores attinet, in id sedulò incumbat, ut pietatis spiritu ferventes officium exequantur eâ attentione, & dignitate, quæ tam sacrosancto ministerio debetur; & idcircò in primis attendat, ut eligat, ac ab iis, ad quos pertinet, eligantur Concionatores non minùs vitæ integritate, quàm soliditate doctrinæ conspicui, & ideò tanto officio digni, cùm usu nimiùm compertum sit, præcipuè in minoribus oppidis, & castellis, aliquam vivendi licentiam, aliquod exemplum minùs honestum, aliquam demum in Concionatore maculam, non solùm omnem fructum, quod ex concionibus sperari poterat, auferre, sed etiam multis quandoque scandalis, & delictis occasionem præbere.

massime utili & adattate alla capacità delli Uditori, affinche ogn'uno resti informato delle obligazioni del proprio stato, & eccitato ad adempirle con la dovuta esattezza. A tal' effetto non lasci d'inculcare à Parochi, che sopra ogni altro si vagliano del tanto necessario, & util Libro del Catechismo Romano; invigilando specialmente, che li medesimi secondo che vien loro prescritto dal Sacro Concil. di Trento (nella sess.24. de reform. cap.7.) Inter Missarum solemnia, aut divinorum celebrationem sacra eloquia, & salutis monita vernacula lingua singulis diebus Festis, vel solemnibus explanent, eademque in omnium cordibus postpositis inutilibus quæstionibus inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant. Rispetto poi a' Predicatori, abbia particolar cura, che essercitino il loro uffizio con quello spirito di pietà, e con quel decoro, che si deve ad un Ministero sì sacrosanto, e perciò usi tutta l'attenzione tanto in eleggere, quanto in procurare, che da quelli, a' quali appartiene, siano eletti à tal carico Soggetti non meno per l'integrità della vita, che per la sodezza della dottrina in tutto degni d'amministrarlo, accadendo pur troppo spesso, massime ne' Castelli, e Luoghi piccioli, che una licenza, un mal'essempio, un neo del Predicatore non solo tolga tutto quel frutto, che egli avesse potuto mai fare con le sue Prediche, mà positivamente sia cagione di molti scandali, e di molti disordini.

Sextò, multùm etiam ad sui gregis spiritualem profectum juvabit, si Dominatio tua Sacras Missiones, non solùm in terris, & castellis suæ Diœcesis, sed etiam in frequentioribus Oppidis fieri curet, non solùm, ut earum occasione faciliùs, & uti-

Sesto. Giovarà anco sommamente al profitto spirituale del suo gregge, se V. S. introdurrà

non solo ne' Borghi, e Ville della sua Diocesi; mà anco ne Luoghi più nobili, e popolati, l'uso delle Sacre Missioni, si per potere con questo mezzo più liberamẽte, e più utilmẽte riprẽdere quegl'abusi, che tal'hora nel suo popolo fossero maggiori, & in conseguẽza più bisognosi di remedio, come per supplire con ciò alla penuria, che si trova bene spesso nella Città medesima della parola di Dio, che da molti nõ viene predicata con la dovuta semplicità, e chiarezza; Havendo monstrato l'esperienza anco ultimamente in Roma, che quando si spiegano familiarmente, & in forma adattata al frutto per l'anima le cose di Dio, il popolo le sente con gusto, concorre con frequenza, e ne riporta grande utile con emendazione de' costumi, & edificazione universale. Non potrà però essere se non ottimo consiglio, che V.S. cominci presentemente à valersi di tal mezzo per meglio preparare li Fedeli di cotesta sua Diocesi all' acquisto del Santo Giubileo, e specialmente perche siano ben'instrutti, e pazientemente ajutati à fare una buona Confessione generale, ad effetto d'applicare in tal guisa l' opportuno, e necessario rimedio al pur troppo grave, e frequente male di quelle confessioni, che potessero per l'addietro haver fatte invalidamente.

& utiliùs eos reprehendere, & corrigere possit deteriores, ac frequentiores abusus, quos in populum suum irrepsisse cognoverit; sed ut etiam per eas opportunè supplere possit penuriæ Verbi Dei, quâ ipsa quandoque civitas laborare solet ob defectum Concionatorum, qui illud non eâ, quâ par est, perspicuitate, & Apostolicâ simplicitate administrant; cùm Romæ quoque haud ita pridem in praxi visum fuerit, quòd dum familiari methodo, & ad animarum profectum accommodatâ, ea tractantur, quæ Dei sunt, à populo libenti animo audiuntur, concurrunt certatim fideles, & inde maximum fructum morum emendationis, & communis consolationis suscipiunt. Optimè igitur Dominatio tua gregi tuo consulet, si in hoc præsentiarum Missionum medio utetur ad præparandos fidelium suæ Diœcesis animos ad sacrum Jubilæum consequendum, & præcipuè, ut apposite instruantur, & patienter juventur circa Confessionem generalem utiliter faciendam, quo salubre, opportunumque remedium apponant gravissimo, & nimiùm frequenti malo earum Confessionum, quas fortè antea invalidas fecisse contigerit.

Septi-

Septimò, Dominationi tuæ singulariter commendatur paterna Monialium cura, quæ cùm sint *Illustrior portio gregis Christi*, in majori pretio habendæ tanquam charæ Christi sponsæ, & majori sunt etiam solicitudine custodiendæ. Satagat igitur Dominatio tua, ut in iis, quę ad observantiam regularem spectant, in Monasteria non inducatur disciplina solutior, & in primis debitus à sæcularibus secessus observetur: auferatur idcircò inutilis ad crates frequentia, ne à divino, cui se dedicarunt, cultu distrahantur; atque operam det, ut ea quæ de colloquiis cum externis tam sæcularibus, quàm regularibus à sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis, variisque Decretis, & Sacrarum Congregationum declarationibus desuper sæpiùs emanatis, publicatisque ordinata sunt, accuratè observentur. Studeat prætereà, ut Confessarios doctos, ætatis maturæ, vitæ irreprehensibilis, zelantes, & ab omni cupiditate alienos habeant, & pro tempore Concionatores probis moribus insignes, spirituque ferventes, à quibus ad debitam Christo fidelitatem servandam excitentur, qui easdem præ aliis ad tantum honorem evexit, & tam sublimi voluit vocatione dignari. Meminerit etiam dare operam, ut id, quod à sanctæ memoriæ Innocentio Papa XI. statutum fuit, fideliter observetur, ut scilicèt illæ omnes, quæ Moniales in quocumque Monasterio, etiam Regularibus subdito fieri cupiunt, exercitiis spiritualibus per decem dies, antequam habitum suscipiant, & inter Novitias admittantur, incumbere debeant: & eadem per idem tempus repetant exercitia, antequam ad pro-

Settimo. Si raccommanda specialmente à V. S. la paterna cura delle Monache, che essendo illustrior portio gregis Christi, devono come Spose care al Signore essere in maggior pregio tenute, e cõ più sollecitudine custodite. Procuri perciò V.S. che ne' Monasterii non s'introduchino rilassamenti nell'osservãza Regolare, e sopra tutto che vi si osservi la dovuta ritiratezza, togliẽdo à tal'effetto alle Monache la frequenza inutile delle Grate, perche non siano divertite dal divino servigio, al quale si sono dedicate, e facendo loro esattamẽte osservare quanto a'colloquii con persone di fuori tanto Secolari, quãto Rego-

lari quel, che sopra di ciò si disponeda' Sacri Canoni, dalle Constituzioni Apostoliche, e da varii Decreti, e dichiarazioni delle Sacre Congregazioni in diversi tẽpi emanate, e publicate. Procuri altresì, che siano provedute di Confessori dotti, d' età provetta, di vita irreprehensibile, zelanti, e disintereffati, ed à suo tempo di Predicatori essemplari, e ferventi, che le essortino con efficacia à mantenersi fedeli à quel Signore, che frà tante altre le hà elette ad un si grand'onore, & ad una vocazione si sublime. Si ricordi in oltre di far puntualmente osservare quel che dalla sa: mem: di Papa Innocenzo XI. fù ordinato, cioè che tutte quelle, che vogliono farsi Monache in qualsivoglia Monastero anco soggetto a' Regolari, siano tenute fare gl'Essercizii Spirituali per dieci giorni avanti che ricevino l'abito, e siano ammesse al Noviziato, e che li medesimj Essercizi si ripetino per l'istesso spazio di dieci giorni avanti che siano ammesse alla Professione. E perche l'istesso Pontefice ordinò parimente, che si procurasse con tutte le diligenze possibili, mà con modi soavi, e discreti, che ancora tutte le Monache Professe una volta l'anno almeno per qualche tempo, che si fosse stimato opportuno, facessero li medesimi Essercizii per la rinovazione dello spirito tanto necessaria à persone del tutto consacrate à Dio; vuole perciò la Santità Sua, che s' intenda rinovato anche tal'ordine, e quando fin'ora non ne fosse stata introdotta la prattica in cotesta Diocesi, incarica specialmente à V.S. di procurarne l'introduzzione in tempo, e con l'occasione del presente Giubileo.

Professionem admittantur. Et quia idem Pontifex similiter decrevit, ut omni magis solicito, & diligentiori studio, modo tamen suavi, & discreto, curarent Superiores, ut omnes etiam Moniales professæ semel in anno per aliquos saltem dies, tempore magis opportuno iisdem exercitiis vacarent ad assequendam innovationem spiritus iis, quæ Deo penitùs consecratæ sunt, valdè necessariam; idcircò vult Sanctitas Sua, ut dictum Decretum pro renovato habeatur, & casu, quo in ista Diœcesi in praxim hactenùs deductum non fuerit, Dominationi tuæ expressè committit, ut illius executionem præsentis Jubilæi occasione inducere, ac promovere diligenter curet.

Ottavo. Quello poi in che V. S. deve premere maggiormente, si è il vivere re-

Octavò. Illud autem, in quo majorem curam ponere convenit Dominationem tuam, modestam respicit vivendi normam Clericorum, ut scilicèt tam in habitus honestate, & externis actionibus,

bus, (in quo multi graviter delinquunt) quàm in vitæ disciplinâ, morumque innocentiâ, illum in Ecclesia Dei sanctitatis odorem spirent, cujus suavitate omnes ad virtutis amorem efficaciter possint allicere, prout institutum, quod profitentur, & Ordinis, cui nomen dederunt dignitas meritò exposcit. Meminerint se in Ecclesia Dei in alto positos, tanquam bene vivendi exemplum cæteris præbituros; quia ut in Concilio Trid. habetur, *In eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur;* idcircò etiam necesse est, ut in omnibus, *Nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant;* vitæ probitate cæteris præeuntes, operibusque confirmantes id, quod alios verbo docere tenentur.

golato degli Ecclesiastici affinche tanto nella decenza dell' abito, e portaméto esteriore (nel che da molti si manca notabilmente) quanto nella vita, & honestà de' costumi spirino nella Chiesa di Dio quell'odore di santità, con cui possano tirar tutti soavemente, & efficacemēte all'amore della virtù, sicome richiede la professione, e l'obligo, che gli viene imposto dal loro grado. Si ricordino di essere nella Chiesa di Dio in alto luogo, per esser considerati da tutti, come regola del ben vivere; Perche come parla il Concilio di Trento: In eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt, quod imitentur. Che però è necessario, che in tutte le cose; Nil nisi grave, moderatum, ac religione plenum præ se ferant; Precedendo à tutti colla esemplarità della vita, e confermando coll'opere quello, che devono ad altri insegnare colle parole.

Nonò. Cùm autem certissimum sit, easdem Orationes, quæ si pio erga Deum animo, religiosâque cum observantiâ fiant, Divinam misericordiam nobis conciliant; si è contra oscitanter, ac irreverenter peragantur, maledictiones divinas nobis arcessere, juxtà id quod scriptum est: *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter;* & non ad meritum, sed ad culpam deputari, juxtà Prophetæ verba: *Oratio ejus fiat in peccatum;* idcircò

Nono. E perche ècertissimo, che quelle stesse orazioni, che fatte cō la dovuta religiosità, & esattezza ci rendono degni delle celesti misericordie, se si fanno cō trascurragine.

circò, ut omni ex parte, quantùm fieri potest; publicorum in afflicto Orbe Christiano flagellorum occasiones eliminentur, utque conveniens in Ecclesiâ decor, unà cum majestate sacrarum functionum propriâ resplendeat, vult Sanctitas sua, ut vehementer, frequenterque Dominatio tua ob oculos ponat Canonicis, Beneficiatis, Mansionariis, Capellanis, Clericis, aliisque tam in suâ Cathedrali, quàm in suæ Diœcesis Collegiatis inservientibus, strictissimè teneri eos cum omni reverentiâ, silentio, & modestiâ Choro interesse, prout præsentiæ tremendæ Altissimi Majestatis convenit, ibique cum cordis devotione, voceque distinctâ psallere, non cursim, & festinanter, aut verba truncando, sincopandoque; ita ut una Chori pars versiculum non incipiat, priusquam alius completus jam sit; populusque ea, quæ cantantur, intelligere valeat, & in audiendis Divinis laudibus ad devotionem, & compunctionem accendi: Monendo, quòd illi, qui in talibus graviter delinquunt, ministerii sui præscriptum non implent, & idcircò iniquè stipendia solita recipiunt, consequenterque ad illa restituenda tenentur. In hoc autem Sanctitas sua conscientiam non solùm Dominationis tuæ, sed etiam Chori præfectorum graviter onerat, si debitam diligentiam non adhibeant, ut superiùs dicta observentur, atque alia etiam, quæ juxta dispositionem Sacrorum Canonum, & singularium cujusque Ecclesiæ statutorum, observari debent. Volens, ut transgressores punctatione, & aliis pœnis Canonicis severè puniantur, & si sint ministri, aut servientes amovibiles, remo-

& irreverẽzà, chiamano sopra di noi le maledizzioni divine, secondo ciò che è scritto, Maledictus homo, qui facit opus Domini negligenter; E ci servono non di merito, mà di colpa, cõforme all'espressione del Profeta: Oratio ejus fiat in peccatum; Perciò affinche per ogni parte si tolgano, quanto è possibile, le cagioni de' publici castighi sopra l'afflitta Christianità, e risplenda nella Chiesa il dovuto decoro, e maestà delle Sagre funzioni, vuole Sua Beatitudine, che V.S. inculchi premurosamẽte alli Canonici, Beneficiati, Manzionarii, Capellani, Chierici, & altri servẽti tanto della sua Catedrale, quanto delle Colle-

moveantur. Maximam prætereà attentionem adhibere tenebitur Dominatio tua, ut tremendum Altaris Sacrificium, quo nihil sanctius diviniusque in toto terrarum orbe reperitur, à Sacerdotibus, non solùm cum interiori cordis munditiâ, quæ summa convenit offerentibus quotidie æterno Patri cæleste Incarnati Filii holocaustum, verùm cum externa etiam devotione, quæ in fideli, accuratâque Sacrarum ceremoniarum in rubricis præscriptarum observatione consistit, peragatur; ita ut qui mediator inter Deum, & homines ad placandam divinam iram constitutus est, eam propria negligentia, socordiâque ampliùs non accendat.

giate della sua Diocesi, l'obligo strettissimo, che hanno d'assistere in Coro con ogni riverenza, silenzio, e modestia, come conviene alla presenza della tremenda Maestà dell'Altissimo, e di salmeggiarvi con divozione di cuore, e distinzione di voci, senza precipitazione, ò troncamento di parole, in modo che una parte del Coro non cominci un versetto, prima che l'altro non sia finito, e che il Popolo possa intendere quel che si canta, & essere eccitato à divozione, e compunzione in udire le divine Lodi: Auvertendoli, che se in ciò notabilmente mancano, non adempiscono il debito del Ministerio loro, e però ingiustamente ne tirano li stipendii, e sono in conseguenza tenuti à restituirli. Sopra di che Sua Santità in carica gravemente la conscienza tanto di V. S. quanto de'Presidenti del Coro, se non faranno le debite diligenze, affinche si osservi quanto di sopra si è detto, e quello che di più deve osservarsi secondo la forma de' Sagri Canoni, e delle particolari constituzioni di ciascheduna Chiesa; Volendo che li trasgressori siano severamente puniti con puntature, & altre pene canoniche, e li Ministri, e Serventi amovibili anco con la rimozione. Maggiore poi di qualsisia espressione dourà essere l'attenzione, ch'ella è tenuta ad usare, affinche il tremendo Sacrificio dell'Altare, di cui non vi è nel Mondo azzione più santa, ne più divina, si offerisca da' suoi Sacerdoti non solo con quella interna purità, che conviene à chi quotidianamente dee porgere all'Eterno Padre il celeste olocausto del suo umanato Figlivolo, mà anco con quell'esterna divozione nell'essatta osservanza delle Sacre Ceremonie prescritte dalle Rubriche, che si ricerca, affinche chi è posto trà Dio, e egli Huomini per placare l'ira sua Divina, non abbia con le proprie trascuratezze, e negligenze maggiormente ad irritarla.

Decimò, ac postremò; cùm negari non possit, quin magnus Ecclesiasticorum numerus dignitatis Sacerdotalis existimationem multùm apud populum minuat, dum maximè in pluribus illa meriti prærogativa non elucet, quæ gradui respondeat: Idcircò Dominatio tua cautelam multam, circumspectionemque in Ordinibus conferendis adhibeat, moniti Apostolici memor: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*: Nullumque omninò Ecclesiastico cœtui adscribat, ut admonet S. Leo, *ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ*; illos penitùs constanterque rejiciens, qui non vero famulandi Deo desiderio accensi, sed humanis cupiditatibus, mundanisque rationibus adducti, se in Domini Sanctuarium intrudere tentant. Fideliter ergo servet id omne, quod eâ de re à Sacris Canonibus, & præsertim Sacro Concilio Tridentino decretum fuit, sedulòque satagat ministros idoneos pietate, doctrinâque ornatos eligere; quia licèt tales pauci sint, melius est, ut in Sacris Canonibus habetur, & experientiâ confirmatur, *Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant*.

Decimo. Per ultimo non potendosi negare, che il gran numero degli Ecclesiastici, non diminuisca molto la stima della Dignità Sacerdotale presso del Popolo, mentre non scorge in molti di loro quella prerogativa di merito, che corrisponde al grado, perciò V. S. vada molto circospetta nel conferire gli Ordini, ricordevole dell'ammonizione dell'Apostolo, Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis: (1. Tim. 5. 22.) guardandosi dall'ammettere nel Clero alcuno, come auverte San Leone, ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, e rigettando assolutamente, e con petto forte coloro, che non per vero desiderio di servire al Signore Iddio, mà per umani interessi, e rispetti vogliono intrudersi nel Santuario del Signore. Osservi perciò esattamente quel tanto, che in questa materia si dispone da' Sacri Canoni, e specialmente dal Sacro Concilio di Trento, e procuri di fare scelta di Ministri idonei, e ben forniti di pietà, e di dottrina;

Poiche

Poiche se ben questi son pochi : melius est, (come si legge ne' Sacri Canoni, e si comprova colla esperienza) Domini Sacerdotium paucos habere Ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant (C. Tales dist. 23.)

Quòd si superiùs dicta sedulò observentur, confidit Sanctitas sua, eam tam ardenter à suo paterno animo concupitam consolationem assequi se posse, ut, gravioribus abusibus sublatis, verâque Christianâ pietate restitutâ, Italia nostra à præsentibus calamitatibus, majoribusque aliis, quas nobis Justitia Divina intentat, liberetur, & ad uberes divinarum misericordiarum effectus in spiritualibus, ac temporalibus consequendos, magis ac magis feliciter disponatur.

Con la osservanza delle sopradette cose confida la Santità Sua d' haver la consolazione tanto desiderata dal suo paterno cuore, di vedere mediante l'estirpazione de' principali abusi, e lo stabilimento di una vera pietà Christiana, resa la nostra Italia libera dalle presenti calamità, e dalle maggiori, che la giustizia di Dio ci minaccia, e disposta sempre più à ricevere sì nello Spirituale, come nel Temporale gli effetti abbondanti delle Divine misericordie, &c. Roma 16. Marzo 1703.

G. Card. di Carpegna Prefetto.

N. Grimaldi Segretario.

In Synodo Montisfalici ann. 1696. à Marco Antonio Cardinali Barbadico congregata, inserta fuit Instructio vulgari linguâ exarata, circa contractus usuram sapientes: hanc Eminentiss. Cardinalis in sua Diœcesi bis in anno publicari voluit, ut videre est, cap. 18. pag. 106. Idcircò tanti viri sententiam suspiciens, utile putavi, hanc Instructionem Morali Theologiæ adjungere.

Decimo. Per ultimo non potendosi negare, che il gran numero degli Ecclesiastici, non diminuisca molto la stima della Dignità Sacerdotale presso del Popolo, mentre non scorge in molti di loro quella prerogativa di merito, che corrisponde al grado, perciò V. S. vada molto circospetta nel conferire gli Ordini, ricordevole dell'ammonizione dell'Apostolo, *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis:* (1. Tim. 5. 22.) guardandosi dall'ammettere nel Clero alcuno, come auverte San Leone, ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, e rigettando assolutamente, e con petto forte coloro, che non per vero desiderio di servire al Signore Iddio, mà per umani interessi, e rispetti vogliono intrudersi nel Santuario del Signore. Osservi perciò esattamente quel tanto, che in questa materia si dispone da' Sacri Canoni, e specialmente dal Sacro Concilio di Trento, e procuri di fare scelta di Ministri idonei, e ben forniti di pietà, e di dottrina: Poiche

Decimò, ac postremò; cùm negari non possit, quin magnus Ecclesiasticorum numerus dignitatis Sacerdotalis existimationem multùm apud populum minuat, dum maximè in pluribus illa meriti prærogativa non elucet, quæ gradui respondeat: Idcircò Dominatio tua cautelam multam, circumspectionemque in Ordinibus conferendis adhibeat, moniti Apostolici memor: *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis*: Nullumque omninò Ecclesiastico cœtui adscribat, ut admonet S. Leo, *ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ*; illos penitùs constanterque rejiciens, qui non vero famulandi Deo desiderio accensi, sed humanis cupiditatibus, mundanisque rationibus adducti, se in Domini Sanctuarium intrudere tentant. Fideliter ergo servet id omne, quod eâ de re à Sacris Canonibus, & præsertim Sacro Concilio Tridentino decretum fuit, seduloque satagat ministros idoneos pietate, doctrinâque ornatos eligere; quia licèt tales pauci sint, melius est, ut in Sacris Canonibus habetur, & experientiâ confirmatur, *Domini Sacerdotium paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.*

Poiche se ben questi son pochi: melius est, (come si legge ne' Sacri Canoni, e si comprova colla esperienza) Domini Sacerdotium paucos habere Ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant (C. Tales dist. 23.)

Quòd si superiùs dicta sedulò observentur, confidit Sanctitas sua, eam tam ardenter à suo paterno animo concupitam consolationem assequi se posse, ut, gravioribus abusibus sublatis, veràque Christianâ pietate restitutâ, Italia nostra à præsentibus calamitatibus, majoribusque aliis, quas nobis Justitia Divina intentat, liberetur, & ad uberes divinarum misericordiarum effectus in spiritualibus, ac temporalibus consequendos, magis ac magis feliciter disponatur.

Con la osservanza delle sopradette cose confida la Santità Sua d' haver la consolazione tanto desiderata dal suo paterno cuore, di vedere mediante l'estirpazione de' principali abusi, e lo stabilimento di una vera pietà Christiana, resa la nostra Italia libera dalle presenti calamità, e dalle maggiori, che la giustizia di Dio ci minaccia, e disposta sempre più à ricevere si nello Spirituale, come nel Temporale gli effetti abbondanti delle Divine misericordie, &c. Roma 16. Marzo 1703.

G. Card. di Carpegna Prefetto.

N. Grimaldi Segretario.

In Synodo Montisfalici ann. 1696. à Marco Antonio Cardinali Barbadico congregata, inserta fuit Instructio vulgari linguâ exarata, circa contractus usuram sapientes: hanc Eminentiss. Cardinalis in sua Diœcesi bis in anno publicari voluit, ut videre est, cap. 18. pag. 106. Idcircò tanti viri sententiam suspiciens, utile putavi, hanc Instructionem Morali Theologiæ adjungere.

Breve Istruttione del Cardinal Giulio Spinola, circa li contratti di vendite e credenze.

Essendo pervenuto alla nostra notizia, per relatione di persone pie e religiose, non senza gran dispiacere dell'animo nostro, che in tutti quasi i luoghi di questa Diocesi si fanno alcune specie di contratti affatto illeciti & usurarii, con danno notabile di poveri, e non meno pregiudizio dell'anime de contraenti, che ne i Mesi di Decembre e di Gennaro vendono il grano in credenza con patto d'aspettarne la solutione del prezzo fino al Mese d'Agosto, e di pagarseli perciò un scudo di vantaggio sopra il prezzo rigoroso, che corre a denaro contante nel tempo del contratto in detti Mesi di Decembre e di Gennaro: e che parimente ne i sudetti tempi danno in credenza carne porcina da pagarseli ad Agosto, cinque, sei, sette, & otto bajocchi, rispettivamente a i luoghi, sopra il prezzo corrente pecuniâ numeratâ nel tempo della vendita; nè quali contratti apparisce chiaramente l'usura palliata, come non solo è stato quì concluso da piu Teologi, e da quattro de primarii in Roma, a quali fù da Noi commesso l'esame di questo fatto; ma anco da una Congregazione d'altri Theologi a quest'effetto specialmente deputata da Nostro Signore, le di cui santissime determinationi habbiamo finalmente pensato d'implorare in un dubio così importante. Per tanto desiderando Noi d'estirpare quest'abominevol vizio, per quanto sia possibile, dalla nostra Diecesi, e togliere quest'infettione

dal

dal noſtro Grege: havendo primieramente riguardo al rimedio delle anime per il paſſato, habbiamo giudicato bene di porre quì ſotto la lettera, con la quale l'Eminentiſſimo Altieri, per ordine della Santità ſua, ſi è degnato riſpondere alle noſtre richieſte, e dalla quale chiunque ſarà traſcorſo in ſimili contratti, potrà regolarſi intorno alle reſtitutioni, che doverà fare delle uſure fin quì pratticate; e rimirando ſecondariamente al ſouvenimento de poveri in auvenire, habbiamo di piu riſoluto di ſoggiungere alcune regole generali circa i ſudetti contratti, e prezzio giuſto delle coſe da venderſi in credenza; accio poſſa ogn'uno dalle medeme prender la forma di celebrar contratti leciti in caſi ſimili; e ſappiano anche i Confeſſori, come haveranno da portarſi con i loro penitenti, ogni volta che gl'occorrino i medemi caſi; giache Noi per hora con queſti paterni auvertimenti penſiamo ſolo di dare opportuno rimedio alle inferme. conſcienze de noſtri ſudditi, ſenza punto toccar il foro eſteriore. Non tralaſciamo però d'auvertire tutti, che per l'auvenire s'aſtenghino da i ſopradetti contratti illeciti; perche altrimente contro i contumacci, e che non vorranno emendarſi, doppo che per una noſtra Lettera circolare diretta a queſt' effetto a i Vicarii foranei, Arcipreti, Curati, e Confeſſori della Dioceſi, ſotto la data in Nepe de i 27. Aprile 1672. gli ſaranno pervenuti a notizia queſti noſtri giuſti ſentimenti, ſi procederà poi in forma juris, e al caſtigo di tal vizio aborrito da tutte le Leggi, e naturali, e divine, e humane.

Lettera dell'Eminentissimo Signor Cardinal Altieri, d'ordine di Nostro Signore, circa le restitutioni dell'usure nei contratti di vendita a credenza, & applicationi di esse.

Eminentissimo e Reverendissimo Signor mio Osservandissimo.

Essendosi cōsiderati, d'ordine di Nostro Signore, i dubbii e le dimande fatte da Vostra Eminenza con la sua lettera de i due del corrente: i Teologi deputati ad esaminarne l'importanza, hanno risposto, doversi restituire le usure praticatesi con persone certe, alle medeme: l'incerte, ò di persone, le quali non habbiano lasciati eredi, potersi da Vostra Eminenza applicare ad opere pie, e rilasciarne ancora alcuna parte a quelli usurarii, quando siano poveri. Sono stati anco di parere, che con le restitutioni incerte possa darsi la facoltà d'erigere il Monte; purche nell'erettione d'esso s'osservino le conditioni prescritte, e s'escluda ogni pallio d'usura; e dell'istesse restitutioni di lucri, purche siano d'usure incerte, sono stati di senso, che Vostra Eminenza possa valersi per la restaurazione della Catedrale. Dentro questi termini Nostro Signore concede all'Eminenza vostra le facoltà necessarie, & io le bacio humilissimamente le mani.

Roma 23. Aprile 1672.

Di V. E.

Humilissimo e Devotiss. Serv.
P. Card. Altieri.

Re-

Regole generali da osservarsi ne i contratti di vendita a credenza.

DUe regole generali devono osservarsi ne i contratti di vendita a credenza la prima si è, che non si venda il tempo, cioè a dire, che della cosa venduta non pretenda quello che vende qualche cosa di piu del prezzo giusto, per il tempo che concede a pagare. La seconda, che il medemo non ponga se stesso, ò sempre, ò per il piu, in sicuro del guadagno, & il compratore per il contrario in sicurezza della perdita; e perche queste regole dependono molte volte dall'intentione del venditore, quindi è che il prudente Confessore doverà in simili casi esplorar bene l'intimo di questa sua intentione; poiche chi vende per esempio il suo grano in credenza nel mese di Decembre, per riceverne il prezzo nel mese d'Agosto: ò intendeva di venderlo nel sudetto mese di Decembre, ò pensava di transferire questa vendita in altro tempo, quando forse probabilmente credeva che potesse valer piu caro, come nel mese di Maggio V. G.

Se intendeva di venderlo nel mese di Decembre, non può, senza manifesta nota d'usura, pretenderne prezzo maggior del prezzo giusto che corre nel predetto mese, altrimente venderia il tempo; mà se pensava di trasferirne la vendita in altro tempo, ò determina in questo caso il prezzo che corre nel tempo che vende, ò si contenta che questa determinatione habbia a dipendere da un tempo futuro.

Se determina al suo grano il prezzo che corre, ancorche determinasse il prezzo rigoroso, questo contratto è lecito, pur-

che non transcenda il detto prezzo rigoroso; mentre debbonsi considerare dalla sua parte i pericoli, le fatighe, e le spese che regolarmente occorrono nella conservatione del grano fino al tempo, nel quale haveva proposto di venderlo; se poi lascia che questa determinatione dependa da un tempo futuro: ò vuole che questo tempo sia quello del pagamento, ò altro determinato, benche in esso communemente soglia valer piu caro, che in altro tempo precedente: ò pretende che habbia a dependere da un tempo futuro indeterminato.

Se vuole che dependa il prezzo da un tempo futuro determinato, come se dicesse per esempio, io ti vendo adesso il mio grano, che mi pagarai nel mese d'Agosto al prezzo che valerà a Maggio ò a Giugno: questo contratto è lecito, purche due cose non vi concorrano: la prima che non pattuisca del prezzo sommo che correrà nel tempo del pagamento, mà al piu del prezzo medio: la seconda, che si deduchino dal prezzo le spese che doveriano farsi, e tutto ciò che sarebbe mancato nel conservarlo fino a quel tempo secondo il giudizio d'huomini esperti. Mà se pretende che il prezzo habbia a dependere da un tempo futuro indeterminato, come se dicesse: io voglio che tu mi paghi il mio grano tanto quanto valerà in qualsivoglia tempo fino alla solutione del prezzo quando si venderà piu caro, il contratto è usurario, perche egli si assicura per il piu del guadagno, e pone per il contrario il compratore nel sicuro della perdita.

Queste Regole si verificano particolarmente nella vendita a credenza, ò commuta-

mutatione economica, che è allora che il vendente non intende di negotiare il prezzo di ciò che vende, mà di ſervirſene ſolo ad uſo proprio; e però ſe bene in eſſa può ſuccedere tal volta il danno emergente, non per queſto potrà giamai il lucro ceſſante, ſi come potriaſi forſe conſiderare nella vendita ò commutatione negociativa; onde può un mercante che tiene i ſuoi denari ſempre eſpoſti al negozio, vender le ſue merci piu care in credenza, che a pecunia numerata, perche vendendo a credenza, ſi priva del guadagno che con la negoziatione haveria potuto acquiſtare; il che hà da intenderſi con queſte limitationi. 1. Che veramente, perche non riceve attualmente il prezzo, perda di quello il guadagno. 2. Che nell'alteratione del prezzo habbia in conſideratione i pericoli, le fatighe, e le ſpeſe che haveria fatte nel conſervar le ſue merci; e perciò non deve alterarlo ſopra il prezzo rigoroſo che corre. 3. Che non venda in credenza, perche non può vendere di preſente in pecunia numerata. 4. Che ammoniſca il compratore, che egli veramente coram Deo per la dilata ſolutione ceſſa di quadagnar tanto, quanto gli vende a credenza piu care del prezzo giuſto le ſue merci; acciò ſe il ſudetto con queſta conditione non vuol comprarle, ſia poſto in ſua libertà.

Regole generali intorno al prezzo ne' ſopradetti contratti.

IL prezzo giuſto in ogni ſpecie di vendita, non hà ſolo da dipendere dalla volontà de venditori, mà deve piutoſto eſſer taſſato dal Prencipe, ò Republica, ò

dalla commune opinione nelle fiere, ò mercati, ò pure dalla prudenza d'huomini periti e da bene, che devono in questo haver riguardo a molte cose; cioè a dire alla necessità della cosa che si vende, all'abondanza ò carestia, alle fatighe, alle spese, all'industria, a i pericoli della negociazione ò mercantia, alla frequenza de venditori ò compratori, al meglioramento ò deterioratione delle merci, al luogo dove le medeme si consegnano, & al tempo nel quale si consegnano; perche si come il prezzo giusto è quello che corre nel luogo dove si consegnano le merci, così è ancora regolarmente quello che corre nel tempo, quando si consegnano; è ben vero, che non consiste questo prezzo nell'indivisibile, mà havendo le sue parti, si divide, in maniera, che altro è rigoroso ò supremo, altro infimo ò pio, & altro mediocre, quale saria per esempio il dieci frà l'undici & il nove.

Da tutto cio che si è detto, molte cose si deducono; prima, che nell'estimatione del prezzo giusto se hà da riguardarsi alla stima commune de gl'huomini, non dovetassi havere in consideratione la spesa, ò i pericoli a i quali tal'uno in particolare haverà potuto soggiacere; e però non puole vendere alcuno le sue cose sopra questo prezzo communemente tassato, benche habbia fatto nelle medeme spese maggiori.

2 Nelle vendite a credenza, in particolare di grano, vino, oglio, carne porcina, e simili, non hà da stimarsi prezzo giusto quello che attualmente corre ne proventi, cioè a dire nel forno commune, hosteria, pizzicaria, ò macello; perche non soggiace quello che vende a credenza

a tan-

a tanti pericoli, fatiche, industrie, e spese, a quante sono sottoposti li sudetti; le quali però s'hanno necessariamente a dedurre, per determinare un lucro e prezzo giusto.

3 Se per i pericoli, fatiche, e spese che potriano succedere nel riscuotere il prezzo, ò perdere il capitale, pretende il venditore di aggiungere al prezzo giusto delle cose da lui vendute in credenza, tanto di più, quanto dubita di poter perdere: deve anche sapere, che se il debitore paga in tempo determinato senza alcuna sua spesa, ò fatica, è obligato rimettere tutto il di piu; e per ouviare a tutti i suoi pericoli, fargliene scrittura, nella quale prometta, che se pagarà a tempo debito, egli sarà pronto di rimetterli tanto del prezzo, quantò alterò il prezzo giusto. Il meglio però saria non haver in consideratione le sudette cose, di modo che siano motivo d'alterar il prezzo, mentre si può provedere a tutti i pericoli con mezzi piu leciti e giusti; come di sicurtà, ò altre obligationi in solidum: ò con dedurre in patto, che il compratore non pagando in tempo, sia obligato a tutti i danni & interessi, si come è obligato veramente in coscienza, se in particolare non paga per sua negligenza ò malitia; & in fine con negare quest' atto a quelli, de quali può dubitare che non siano per riuscirgli nel pagamento, se non vogliono assicurarlo; mentre non è esso obligato a vendere in credenza ad alcuno, se non in caso che si trovi in estrema, ò quasi estrema necessità.

4 Ne i medemi contratti, quando pensa il vendente di conservar cio che vende, in altro tempo di quello si celebra il contratto, devesi haver in molta considera-

tione il tempo del contratto; poiche se bene il grano, vino, ò oglio regolarmente vagliono assai meno nel tempo della raccolta, che nel mese di Maggio per esempio; ad ogni modo non succede così universalmente in tutti li mesi che sono avanti il maggio; e però se nella raccolta si potesse determinare il prezzo alquanto maggiore di quello che corre per la sudetta probabilità, non ne siegue, che nell'istessa maniera habbia a pratticarsi nell'altri mesi, ne' quali manca di molto questa verisimiglianza, essendo che ò niente, ò poco piu vale ordinariamente il grano nel mese di Maggio, che nel mese di Decembre per esempio, Gennaro, e seguenti avanti il Maggio; anzi molte volte vale anche meno, & in conseguenza l'alteratione del prezzo non devesi egualmente regolare ne detti tempi; di modo che se fusse lecito V. G. vendere nella raccolta il grano in credenza uno scudo piu il rubbio di quello che presentemente vale, nell'istessa maniera e proportione s'havesse a vendere ne mesi sudetti avanti il Maggio.

5 Si puo dire anche prezzo giusto, quando le sudette cose essendo in caro prezzo, si vendono con questo patto, che si paghi il medemo in altretanto grano, vino, oglio, al tempo delle raccolte respettivamente.

MAR-



MARC'ANTONIO

Del Titolo di S. Marco della S. R. C. Prete Cardinal Barbarigo

Per Divina misericordia Vescovo di Montefiascone, e Corneto.

IL Vizio detestabilissimo dell'Usura è così pernicioso al Mondo, così dannoso al buon governo de' Popoli, e così ingiurioso alla Carità fraterna, che Dio lo proibisce espressamente al suo popolo: *Non fænerabe- ris fratri tuo ad usuram pecuniam, nec fruges, nec quamlibet aliam rem*; e minacciò agli Usurari la morte. Rinovando poi lo stesso precetto nella Lege nuova: *Mutuum date, nihil inde sperantes*. I Gentili tutti lo conobbero per vietato dalla stessa Legge di natura, come l'afferma Aristotele; e Catone Censorio stimò, che fosse l'istesso il dare il denaro ad usura, che ammazzare un huomo. I SS. Padri hanno fatte gravi invettive contro questo Vizio. S. Basilio, e S. Gio: Crisostomo hanno comparato gl' Usurai à i mostri prodigiosi. S. Ambrosio gli paragona à Giuda, & al Diavolo. I Sacri Canoni hanno decretato molte pene contro i medesimi, e primo, che non s' ammettano alla Communione del Santissimo Sacramento dell'Eucharistia. 2. che non si seppelliscano in Chiesa. 3. che non si ricevano dalla Chiesa le loro offerte, e tut-

Deut. 23. 19.
Ezech. 18. 13.
Luc. 6. 35.
1. Politic. cap. 7.
Cicer. de Offic. lib. 2 in fin.
in Ps. 14.
Hom. 5. in Matth.
de Tob. cap. 4.
c. quia in omnibus de usur.
c. quamquam de usur. in 6.
cap. 1. de usur. in 6.
c. Quam perniciosi. eod. tit.
l. improbū fœnus.

c. ex qui bus cauf. inf. irrog. l.2.& 6. C. de dignit. lib.12. L. 2. C. Teodos. de usur.

tutto sotto pena di sospensione. 4. che non possano esser assoluti da verun Confessore, se prima non haveranno restituite tutte l'Usure prese. 5. che i loro testamenti non siano di verun valore. 6. che veruno possa intervenire a i loro testamenti. 7. che veruno possa ritenere Usurai manifesti nella sua giurisdizione, sotto pena, se sarà Vescovo, di sospensione, se sarà d'ordine inferiore, di scommunica, se sarà d'università, d'interdetto, e se sarà laico, d'esser forzato con censure Ecclesiastiche. 8. che non le si ammetta mai appellazione alcuna. 9. che siano ipso facto infami. Oltre le leggi Ecclesiastiche anche le Civili hanno promulgato le loro pene. 1. dichiarando gli Usurai infami. 2. rigettandoli da tutte le dignità. 3. proibendoli l'esser Testimonii, e finalmente imponendo contro quelli molte pene arbitrarie.

Ciò non ostante è arrivato alle nostre orecchie con molto nostro dispiacere, che nelle nostre Città, e Diocese si sia trovato modo per istigazione del Demonio di palliar l'usure sotto manto di giustissimi contratti, senza riflettere, che quanto più i contraenti procurano di salvarsi da rigori della giustizia terrena, tanto più incorrono nelle pene eterne decretate dalla giustizia Celeste, mentre alcuni imprestano danaro con obligo, che gli si restituisca in termine di un'anno, e di poi à beneplacito, e perchè vogliono tirarne l'usure annue di cinque, sei, e sette per cento, fingono un contrato di cambio: e benchè sappiano benissimo, che il debitore hà bisogno di servirsi de' denari per se, nè mai li darà à cambio, nondimeno fingono, che egli se li prenda

con

con obligo di mandarli ad un tal Mercante, che fintamente nominano nel contratto, affinche quel Mercante habbia à farli cambiare, e girar per le fiere, e del guadagno di detti cambii esso debitore debba corrisponderglene un tanto l'anno, con questo, che se il debitore non mandarà à cambiarli, sia obligato à pagargli per il danno, & interesse la somma convenuta; e perchè il debitore in realtà non manda à verun'Mercante detto denaro, dovendosene servire per li suoi bisogni, resta ogni anno obligato à pagarli i frutti, finche essi creditori vogliono ripetere la sorte di quella moneta, che in realtà prestarono; mà per fuggir le pene degl'Usurai, palliarono la prestanza con questo nome di cambio, che altro non può chiamarsi, che cambio finto, assai peggiore del cambio secco, tanto proibito nelle Bolle de' Sommi Pontefici, e tanto detestato da tutti i Sacri Theologi, senza che veruno ardisca ne pur per ombra di difenderlo.

Noi per tanto per non incorrere nelle pene minacciate da Sacri Canoni contro quelli, che permettono le Usure, e per sodisfare al Nostro debito Pastorale, che è d'impedire per quanto è in Noi, che l'anime alla Nostra cura commesse non cadano trà l'insidie, e lacci, che continuamente tende l'astuto Serpente nemico del genere umano, col presente Nostro publico Editto detestiamo, riproviamo, condanniamo, & annulliamo tutti i contratti fatti sin qui in questa forma, notificando a i Contraenti, che quando anche habbiano con clausule, e formule inventati da ingegni diabolici pal-

palliato in modo l'Usura, che possano evitare le pene delle Leggi umane nel foro esterno, non possono mai evitare le pene della Legge divina nel foro interno, e però non possono essere giustamente assoluti da verun Confessore, se prima non restituiscono tutti i frutti ricevuti con questi finti e palliati contratti, oltre che non si lascierà da Noi di procedere contro i medesimi criminalmente, quando si potrà giuridicamente far costare nel foro esterno, che quando fecero il contratto, sapevano benissimo, che il tutto era finto, e che la moneta non doveva girar per via di cambi nelle solite piazze. E poi perchè in avvenire si sradichi affatto dalle Nostre Città, e Diocese ogni specie di usura, e di palliamento di essa; proibiamo espressamente a qualsivoglia Notaro nelle sudette nostre Città e Diocese esistente, che non abbia ardire di stendere, stipulare, ò rogare veruno Istromento di contratti di Cambii, ò altri simili, se prima ò da noi, ò da nostri Vicarii Generali non sarà conosciuto, se il contratto sia Legitimo, ò usurajo: e chi haverà ardire di contravenire al presente Nostro Editto, adesso per allora lo condanniamo nella pena di scudi di cinquanta d'applicarsi a Luoghi Pii, & altre pene anche corporali ad arbitrio &c. e nella medesima pena incorreranno gli stessi Contraenti, & anco molto maggiori, quando incorreranno più d'una volta in tal delitto: & acciò che veruno possa allegare ignoranza del presente Editto, vogliamo, che affisso che sarà alli soliti luoghi, habbia forza, come

me ſe foſſe a ciaſcheduno perſonalmente intimato.

Dato in Monteſiaſcone nel Noſtro Palazzo Veſcovale li 15. Ottobre 1697.

M. A. Card. Barbarigo.

Carlo Lapſini Segretario.



EDIT-



EDITTO

Per l'osservanza della Quaresima.

GASPARO per la Misericordia di Dio Vescovo di Sabbina della S. R. C. Cardinal di Carpegna, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale &c.

Acciò il tempo Quaresimale consagrato à i digiuni, & ad altre opere di penitenza, e perciò detto da Santa Chiesa *tempus acceptabile, dies salutis*, sia in quell' osservanza, che si deve, e si rimovano le occasioni, che possono indurre qualche scandalo, ò rilasciamento in quel che appartiene al precetto del digiuno, ò all'astinenza de cibi proibiti: La Santità di Nostro Signore inerendo alla disposizione del Sagro Concilio di Trento nel decreto, *de delectu ciborum, & jejuniis*, ed agli Editti altre volte emanati per l'osservanza della Quaresima, ci hà incaricato coll'oracolo della sua viva voce di publicare il presente Editto, e di ordinare la piena essecuzione delle cose infrascritte.

1 Che nessuna Persona durante detto tempo venda, ò tagli (come si suol dire) carni in qualsivoglia luogo della Città di Roma, eccetto che nelli Macelli deputati per l'Infermi, e Valetudinarii, ò malsani. Le quali carni debbiano esser solo di quelle chiamate salubri, cioè di Castrato, Vitella, e Capretti, ne le tenghino fuori di detti Ma-

Macelli, mà dentro, in modo che non apparifcano, ne fi vedano in publico.

2 Quelli che comprano le dette carni per l'infermi, ò malfani, come fopra, debbiano, per evitare ogni fcandalo, portarle coperte, in modo che non fiano vifte.

3 Che non fi tengano da qualfifia Perfona publicamente à vendere, ò fi portino vendendo per la Città le dette, ò altre carni, anche di Cacciagioni, ò Salvaticina, molto meno Porcina, ne ova, formaggio, ò altra forte di latticinii, e cibi proibiti in detto tempo.

4 Li Pollaroli, ed altri, che fogliono vendere carni Salvaticine, ed Ucellame, tenghino nelle Botteghe (però in modo, che non fi vedano in publico) folo quelle che fecondo la teftimoniale del Signor Protomedico poffono annoverarfi trà le carni falubri, e non altre.

5 Che neffuna Perfona di qualfivoglia ftato, grado, e condizione poffa comprare, ò far comprare, overo cibarfi d'alcuna forte di carne, ò d'altri cibi proibiti fenza la licenza, fecondo la forma da Noi prefcritta, che li farà infinuata da i RR. Parochi. Qual licenza prima fi dovrà fcrivere di propria mano dal Medico Ordinario, e come tale fi fottofcriverà in lingua volgare, il tutto gratis: doppo dovrà effer fottofcritta dal proprio Parocho delli detti Infermi, ò malfani, e per ultimo fi portarà à fottofcrivere da alcuno dell'infrafcritti RR. PP. Noftri deputati folamente, e non da altri in nome loro, alli quali incarichiamo di confiderare, ed offervare dette licenze, e quando non fono concepite fecondo la folita forma, non le dovranno fottofcrivere.

6 Auvertendo ciafchedun Medico, e Paroco, che fe fottofcrivono le dette licen-

ze

ze ſenza legitima cauſa, overo ſe l'eſibiſcono, e preſentano ad alcuno ſenza conſiderare, ſe habbia cauſe ſufficienti, oltre il partecipare, che ſaranno dei peccati d'altri, nel che reſtarà molto aggravata la loro coſcienza, ſaranno da Noi puniti ad arbitrio noſtro, anche con pene corporali, come ſi è ſtrettamente incaricato al Signor Protomedico.

7 Auvertano di più tanto i Medici, quanto quelli, che domandano le medeſime licenze, d'attendere alla qualità delle carni, cioè che ſiano ſalubri, perche ſolo queſte ſon permeſſe nella Quareſima, à chi per giuſta cauſa non può cibarſi de' cibi Quareſimali: e ſe al biſogno ſi puol ſupplire con ova, e latticinii, non devono quelli permettere loro, nè queſti reſpettivamente cibarſi delle carni anche ſalubri, mà contentarſi dell'ova, e latticinii, & oſſervar il digiuno, alle di cui leggi ſiano tenuti anche quelli che ſi cibano di carni ſalubri col motivo d'eſſer loro nocivo il Vitto Quareſimale. In oltre ſe per tutto l'anno ſi aſtengono della carne nel Venerdì, Sabbato, Quattro tempi, e Vigilie di precetto, molto più devono oſſervare tale aſtinenza ne' ſudetti giorni in Quareſima, non oſtante la licenza, che otterranno, eccetto quando ci fuſſe nuova cauſa, che richiedeſſe altrimente: e non potendoſi in queſto particolare dare certa regola, deve ogn'uno conſiderare prima il ſuo biſogno, e le ſue indiſpoſizioni, e che non ſiano affettate, perche ne dovranno rendere conto ſtrettiſſimo nel Tribunale di Dio, dove non potranno ſcuſarſi colla licenza eſtorta con cauſe ſuppoſte, ò finte; onde riflettano bene, che non ingannaranno il Medico, ò il Paroco, mà ſe medeſimi, e l'anime loro, quelli, che

eſpon-

espongono indisposizioni non vere, mà figurate, per ottenere la detta licenza.

8 Che gli Osti, Tavernari, Albergatori, Bettolieri, ò qualunque altro di qualsivoglia stato, grado, ò condizione, non permettino, ò tolerino, che nelle loro Osterie, Taverne, Alberghi, Bettole, e Case, s'habbia à cuocere, ò mangiare alcuna sorte di cibi proibiti, così nel detto tempo di Quaresima, come nelli altri giorni, in cui parimente vengono proibiti dalla Santa Romana Chiesa, eccetto, che per gl'Infermi, ò Malsani, che haveranno licenza, come sopra, sotto pena à chi trasgredirà in ciascheduno de' casi compresi in questo nostro Editto di scudi venticinque, e di trè tratti di corda, e d'altre pene à nostro arbitrio secondo la qualità delle Persone.

9 Ordiniamo, che in tutto il tempo Quaresimale nessuno di qualsivoglia stato, grado, e condizione, faccia, ò assista à quelle conversazioni, ò altre adunanze, dove si faccino suoni, e balli, e che ne meno di notte si vada per Roma sonando, ò cantando, overo facendo serenate in luogo fermo, sotto le pene sudette.

10 Esortiamo per fine tutti i Fedeli, non solo all'osservanza del digiuno Quaresimale, consagrato da Cristo Signor Nostro col suo esempio, mà ad attendere con divotione à quelli Esercizii Spirituali, che il medesimo tempo ricerca, non meno per placare l'ira di Dio, che per prepararsi à celebrare degnamente la Santa Pasqua. Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo dì 15. Febraro 1704.

G. Card. Vicario.

Nicolò Antonio Cuggiò Segret.

De-

Deputati dall'Eminentissimo Signor Cardinale Vicario per concedere le sudette Licenze.

Il Rev. P. Generale dell'Ordine de' Predicatori nella Minerva.

Il Rev. P. Generale de' Minori Osservanti, ed in sua assenza il Commissario Generale in Ara-Cœli.

Il Rev. P. Generale de' Minori Conventuali in Santi Apostoli.


Il Rev. P. Generale di tutto l'Ordine Agostiniano in S. Agostino.

Il Rev. P. Generale de' Carmelitani nella Traspontina.

Il Rev. P. Maestro del Sagro Palazzo.

Il Rev. P. Generale della Compagnia di Giesù.





IN-



INDEX

RERUM PRÆCIPUARUM in hoc Septimo tomo contentarum ordine Alphabetico.

A

Abor-



F

Fu-

Ho-

I

Men-

I

D.Tho-

in

M

Men-

Puel-

Ad

Ad

S

dem

F I N I S.

Erra-

Errata pro Tomo Septimo.

Pag. 8. lin. 36. occaſionem.	lege: occiſionem.
Pag. 34. poſt lin. ultimam.	lege: Videatur Tom. 6. Tract. 5. cap. 3. q. 7.
Pag. 63. lin. 9. prohibitiæ.	lege: prohibitæ.
Pag. 169. lin. 10. licet nox.	lege: licet non.
Pag. 172. lin. 22. Quid tamen.	lege: Quod tamen.
Pag. 183. lin. 9. Adde: Vide	Tom. 4. de Pœnitentia.
Pag. 204. lin. 29. requirantur.	lege: requiruntur.
Pag. 231. lin. penult. & ex ipſo.	lege: & ex ſe ipſo.
Pag. 252. lin. 8. reſtituito.	lege: reſtitutio.
Pag. 260. lin. 20. uſu.	lege: uſum.
Pag. 264. lin. ult. confiderent.	lege: conſiderent.
Pag. 287. lin. 22. Quando.	lege: Quæſt. 6. Quando.
Pag. 306. lin. 35. illorum cui.	lege: illorum quibus.
Pag. 316. lin. 1. dicendus eſt.	lege: ducendus eſt.

